



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1602

Cap. Decimi Libri sunt, XXXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14077

IOANNIS AZO-
RII LORCITANI, E SO-
CIE TATE IBSV,

INSTITVTIO
NVM MORALIVM,

LIBER X.

DE HORIS CANONICIS, ET
Missæ Sacrificio.

CAPVT PRIMVM.

*De origine, institutione, & numero Ho-
rarum Canoniarum.*

HACTENVS de Oratione in vni-
uersum, vt est religionis officiu,
& opus, breuiter egimus: reliquū
est iam, vt speciatim de ijs Orati-
onibus disseramus, quæ Canoni-
cæ nominantur.

Primò queritur, quas Orationes intelligamus
appellatione Horarum Canoniarum, & cur ita
vocentur? Respondeo, Horas Canonicas intelli-
gi eas preces, quæ ad Deum laudandum, opemq;
eius diuinam inuocandam, certis statisque horis,
iuxta Canones Ecclesie fundi, recitari, aut cantari
debent, & solent. Porrò dictæ sunt Horæ Canoni-
cæ, Horæ quidem, non ab orando, vt quidam
putarunt, Zenzelinus Zabarel. in *Clemen. 1. de celeb. Missar.* Ioannes Lignanus, & alij *tratt. de Hor. Canon.* sed quòd more atque instituto Ecclesie præ-
scriptis, definitisque horis, nocturnis ac diurnis
recitari, vel decantari debeant: Canonica verò,
quasi regulares, quòd iuxta Ecclesiasticorum Ca-
nonum traditionem, & regulam, earum Oratio-
num pensum sit à Clericis perfoluendum. Non-
nulli Horas Canonicas, opinantur ideo dictas esse,
quòd sint preces, quæ à Clericis Canonicis in
templo sunt decantandæ: Sed primæ opinioni
magis assentior. Eadem Horæ Canonica dicuntur
Officium Diuinum, quasi munus, & obsequium,
quòd Clerici Deo præstant. Item, quia in eo
multa recitantur ex diuinis literis sumpta; Vo-
cantur etiam Officium Ecclesiasticum, quasi Cle-
ricorum ministerium, & pensum. Item, quia Ec-
clesie præcepto perfoluitur, & quia ab Ecclesia
est institutum.

Secundò queritur, Quot sint Horarum preces
Canonicae? Duæ sunt opiniones; prima, octo esse
contendit, videlicet, Nocturnas vigilias, Matutinas
Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam,
Vespertinas preces, & Completas. Sic Antonin.
*par. 2. tit. 9. c. 12. §. 1. & 3. par. tit. 13. cap. 4. §. 1. Nauar. De
Oratione, & Horis Canon. c. 3. nu. 27. & 28. Archidiacon. in
cap. Presbyter, distinctio. 91. Glossa. in Pragm. tit. Qualiter
horæ Canonicae sint dicendæ extra choron, in verbo officium.
Quam opinionem hac illi ratione confirmant:
quoniam Horæ Canonicae institutæ esse videntur*

exemplo, & imitatione veteris populi, de quo
Scriptura testatur. Quater in die legebant in vo-
lumine legis Domini, & quater confitebantur,
& adorabant Dominum, quem locum ita inter-
pretatur Nauarrus, Quater confitebantur, & ado-
rabant, videlicet de nocte, sicut quater interdum.
Deinde, quia in Psalmis proficitur David: *Septies
in die laudem dixi tibi.* Et eodem Psalmo ante dixe-
rat: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* vbi Pro-
pheta diem à nocte in Diuinis laudibus videtur
distinxisse. Accedit id, quòd habetur in *c. Presbyter
dist. 91. & in c. 1. de celebrat. Missarum, allatum ex Con-
cilio Agathensi, vbi dicitur: Presbyter mane matuti-
nali officio expleto, pensum seruitutis sue, conuendo, Primam,
Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque persoluat. Et sub-
dit, iuxta Prophetam, septies in die laudem dixi tibi.
Qui septenarius sacratus numerus à nobis sic im-
pletur, si Matutinæ, Primæ, Tertie, Sextæ, Nonæ,
Vesperæ, Completorij tempore, nostræ seruitu-
tis officium persoluamus: quia de his dixit Pro-
pheta: *Septies in die laudem dixi tibi.* Nam de Nocturnis
vigilijs ipse idem Propheta ait: *Media nocte sur-
gebam ad confitendum tibi.* Glossa ibi. Idem prorsus
habetur in capite primo De Celeb. Missarum, &
eisdem verbis id ipsum tradit S. Benedictus in Re-
gula 16. Olim etiam Matutinæ Laudes per se sepa-
ratim à Nocturnis vigilijs canebantur, & nostris
etiam temporibus in nocte Natalis Domini diui-
duntur, & Missæ Sacrificium interponitur. Postre-
mò, nocturnæ vigiliæ, & Nocturnæ Laudes, Hym-
nis per se distinctis gaudent, & inchoantur à ver-
ficulis illis: *Domine labia mea aperies. & Deum in adiu-
torium meum intende.**

Secunda opinio affirmat septem esse duntaxat
Horas Canonicas. Sic Glossa, & ceteri omnes Can-
onici iuris interpretes, Innocentius, Hostiensis,
Ioann. Andreas, Abbas, Ancharanus, Inola, An-
tonius, Zabarella, partim in cap. 1. De Celebrat. Missæ, &
partim in Clem. 1. De Celebrat. Missæ. Sic etiam omnes
Summistæ, Angelus, Syluester, Rosella, Tabienfis,
Caietanus, Armilla, in verbo Hora. & Altitus in sum.
lib. 6. tit. 1. ar. 6. & alij. In hac quæstione negari non
potest, quin prima opinio magis conueniat cum
ijs, quæ de Horis Canonicis antiquiores scripto-
res tradiderunt. Nam Amalarius lib. de ordin. Anti-
phonarj, & li. 4. de Ecclesiast. Offic. à cap. 2. vsque ad ca. 11.
Nocturnale Officium, quòd sic ille appellat, om-
nino sanè à Matutinali Officio distinguit, hoc
est, Nocturnas Vigilijs à Matutinis Laudibus. Ra-
banus item, lib. 2. de Instit. Clerico. à c. 3. vsque ad cap. 9.
primis nouem capitibus numerat octo horas, vi-
delicet Matutinas preces, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam,
Vesperam, Completorium, & Nocturnas vigilias. Rupertus docet lib. 1. de Diu. offic. à
ca. 1. vsque ad c. 8. septem esse Horas Canonicas dici,
quas enumerat; Primam, Tertiam, Sextam, Nonam,
Vesperam, Completorium, Matutinum officium,
& postea vigilias nocturnas recēset, deinde sub-
iungit: *exceptis vigilijs nocturnis, septem sunt Horæ.* Ra-
dulphus in libello de Canonum obseruant. propo-
sit. 14. Ob hoc itaque, inquit, sunt Horæ Canonicae, vigilia
Nocturnæ, & septem diuine ex Scripturis auctoritate ha-
bentes, & ex Cassiano lib. 2. de Institutis Monachorum ca. 4.
& ex Concilio Agathensi, quòd refertur ca. 1. De Ce-
lebr. Missæ. & Eccliales iungunt vigilias nocturnas cum
Matutinis laudibus, at sunt distinctæ Horæ, et diuisim à Mo-
nachis

nachis per orationes terminande. Hæc ille. Hugo S. Victoris in speculo Ecclesiæ cap. 3. & lib. de Eccl. offic. 2. cap. 1. & capit. 9. Orosius ait, Horas sancti patres instituerunt præceteris, ad laudandum Deum; Matutinam, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperam, Completorium, & Mediam noctem. Sic ille. Eundem numerum constituit Beda. lib. 3. in Esaiam. cap. 29. & Agathense Concilium, ut referunt in cap. Presbyter. distinction. 91. & cap. 1. De Celeb. Missa. & Regula S. Benedicti 16. Unde iuxta hanc sententiam, illud Davidis: *Septies in die laudem dixi tibi*; intelligitur de die civili, quem artificialem appellant. Id etiam quod passim dicitur, septem esse Horas Canonicas: interpretatur prima sententia, septem esse horas diuinas, Nocturnis Vigilijis exceptis.

Cæterum communi omnium consensu receptum est, Horas Canonicas septem esse duntaxat, & in Concilio Cabilonensi 2. Canon. 59. sub Carolo Magno, Septem tantummodo numerantur, videlicet Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespertina, & Completorium, & Cassiodorus versiculum illum Psalmi supra positum: *Septies in die laudem dixi tibi*; *Septem*, inquit, *illas significat vires, quibus se Monachorum pia deuotio consolatur*; Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, (hoc est Vespertinam) Completorios, & Nocturnos, videlicet Psalmos. Auctor expositionis secundæ in Psalmum 119. enarrans versiculum: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*, qui nomine Hieronymi passim citatur, recenset septem Horas Canonicas his verbis: *Horam Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, Mediam noctem, Gallitanum, & Mane primum*. Isido. lib. 1. de Ecclesiast. offic. 119. & sequentibus, septem tantum numerat. Walfridus de reb. Ecclesiast. c. 25.

Mihi in hac re placet quod docuit, Turrecremata tract. 73. in regulam S. Benedicti. & in c. Presbyter. dist. 91. q. 1. conclus. 2. Olim in multis prouinciarum Ecclesijs Nocturnas vigilijs diuinas fuisse, & seruatas à Matutinis Laudibus, & in Monachorum conuentibus plane seruati, & disingui: & per Orationes distinctas, terminari solitas esse, & tunc temporis octo Horæ verissime numerabantur. At verò nostris temporibus vsu receptum est, vt Matutinæ laudes simul cum Nocturnis vigilijis decantentur; vel recitentur, ac proinde septem tantummodo Horæ supputantur. Quin etiam olim Ecclesiæ Romanæ vsus obtinuit, vt Nocturnæ preces vna cum Matutinis laudibus coniungerentur. Scribit enim Amalarius in prologo de ordinatione Antiphonarij, se Romæ Magistros interrogasse, & præsertim Theodorum Archidiaconum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, an inter Nocturnum Officium, & Matutinum, id est, Laudes, aliquod interstitium esse deberet; & responsum accepisse, nullum, sed continuò inchoandas, Laudes per versiculum, *Deum in adiutorium meum intende*.

Tertio queritur, cur Septenario numero Horarum preces Canonice consent? Respondeo; id eo eum numerum esse constitutum, quia ex sacris literis septem tempora Diuinas laudibus, & precationibus apta, & accommodata colliguntur iuxta illud Davidis in Psalm. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*, vt statim de singulis Horis ostendemus. Et aptè profectò, & appositè septenarius Horarum numerus institutus est, vt septem Spiritus sancti dona precibus impetremus, & septem Pe-

tionibus respondeant in precatione Dominica contentis. Vnde Hieronymus: *Hofis*, inquit, *ille antiquus septem Spiritus assumi nequiores, aduersus quos preualere non possumus nisi sepiiformi sancti Spiritus gratia adiuti*. Rursum Prouer. 24. *Septies in die cadit iustus*. Deuteronomij 7. *Septem sunt reliquæ gentes, quas debellari oportebat à Iudæis, vt terram sibi diuinitus permissam, pacatam haberent*. Typicè adumbrantur septem lethaliū peccatorum genera in illis septem gentib⁹. Marci 16. *Septem demonia sui per Dominum expulsa à Magdalena*, denique Prouer. 26. *Septem nequitie memorantur*. Ergo aptè sunt septem Horæ Canonice Diuinis laudibus, & precibus destinatæ contra septem lapsus, & septem impias Gentes, septem Dæmonia, & septem nequitias. Nec ineptè septenarius hic Horarum numerus dicitur, quasi adumbratus conuenire cum septem tubis, quarū sonitu Hiericuntini muri corruerunt Iosu. 6. in septem Asperionibus Leuitici 14. & 16. in septem Candelabris Ecclesiæ Apocalyp. 1. in septē Lampadibus siue Lucernis Exodi 25. & Apocalypsis 1.

Cæterum Septenarius Horarum Canonice numerus tribus quatuorue de causis videtur esse potissimum institutus. Primò, quia, vt dixi, septē illa tēpora in sacris literis Diuinae laudi, & precationi deputantur. Deinde, vt beneficium, quo cuncta sunt à Deo procreata, in memoriam reuocemus, & pro tanto munere gratias Deo debitas agamus: nam septem diebus Deus rerum vniuersitatem è nihilo finxit, & condidit. Tertio, vt redemptionis nostræ beneficium ad memoriam pariter reducamus: nam septem præcipua redemptionis nostræ mysteria hæc horis completa esse noscuntur. Media siquidem nocte, vt Græci patres sentiunt, Christus surrexit ex mortuis; vel potius, vt Latini arbitrantur, sub auroram, de quodiam inferiis. Media item nocte, aut certe paulò post, ex Virgine natus esse perhibetur. Insuper, hora matutina in Concilio Pontificum, & Phariseorum, consilium est initum de Christo perdendo. Hora prima, ductus est ad Pilatum, atque inde ad Herodem, & hinc rursum ad Pilatum reductus. Hora tertia, clamauerunt Iudæi, *Crucifige, Crucifige eum*: flagellis cæsus est, & corona spinea caput eius confixum. Hora sexta, est in Crucem actus. Hora nona, spiritum emisit, ad inferos descendit, Satanæ regnum, & imperium deleuit. Vespertina hora, est è cruce depositus item, cum Discipulis coenauit, eorum pedes lauit, Euchariæ sacramentum instituit. Hora Completorii, post orationem in horto, & sudorem sanguineum emissum, comprehensus à Iudæis, ad Annam, & Caipham ductus, varijs modis derisus, & despectus est. Vnde Glossa in capite primo De Celebra. Missa, ad hæc mysteria significanda, versus quoddam in medium producit, quos hic apponendos duxi;

Hæc sunt septenas propter quæ psallimus Horas.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:
Prima replet spiritus: causam dat Tertia moris:
Sexta Cruci necit: latus eius Nona bipertit:
Vespera deponit: tumulo Compieta reponit.

Quarto queritur, Quæ preces Horarum in Iure accipiantur appellatione officij Matutini; quæ item nomine officij Vespertini? Obseruandum est, preces canonicas in Iure, vt ante iam dixi, ap-

Matth. 12.

Genes.

Matth. 26.

Ioan. 13.

Luc. 22.

pellari Officium Diuinum, eo quod sit officium, quod Deo omnium bonorum largitori tanquam debitum Clerici persolunt, vt eum laudent, eique pro acceptis beneficijs gratias agant, eiusque opem, & auxilium imploret. Præterea quia eiusmodi preces constant psalmis, & canticis, Versiculis, Antiphonis, & Lectionibus ex sacra & Diuina Scriptura desumptis. In cap. Placuit, Dist. 12. cap. Si quis, Distinct. 92. cap. Si quis Episcopus in Concil. 11. Quæst. 3. Horæ Canonica, nomine Matutini, & Vespertini Officij vocantur. Glossa appellatione Matutini officij intelligit preces ante meridiem recitari solitas, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Matutinas laudes: appellatione verò Vespertini Officij intelligit preces, quæ post meridiem funduntur, vespertinas nimirum, & Completas. Ita vt Matutinum officium, & vespertinum dictum sit quasi antemeridianum, & post meridianum. Alij verò in Matutino officio Primam, Tertiam, Sextam, & Matutinas laudes includunt: in vespertino Nonam, Vesperam, Completorium, & vigiliis nocturnas.

Quintò queritur, quæ & quot Horarum preces Canonica in c. Dolentes. De Celebrat. Missarum, & Clem. 1. De Celebrat. Missa. sumi debeant voce officij diurni, quæ item voce officij nocturni? Quidam nomine Officij Diurni accipiunt Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperam; Nocturni vero officij vocabulo, vigiliis nocturnas, Laudes matutinas, & Completorium. Sic Archidiaconus in ca. presbyter. dist. 91. & Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas. Abbas in c. 1. de Celebrat. Missar. Alij verò Nocturno officio tantum includunt vigiliis nocturnas, & laudes matutinas, Diurno verò Horas cæteras: quod quidem videtur magis cū ipso Canonico iure congruere.

Sextò queritur, quando primum septem Horarum preces Canonica fuerint instituta? Polydorus Virgilius, lib. 6. de inuentione rerum cap. 2. & quidam alij, vt Maurolyus in Martyrologio die 27. August. & Supplementum Chronicorum censent legem Ecclesiasticam de septem Horarum Canonarum officio à Clerico persolendo, à Pelagio 1. vel Pelagio 2. latam fuisse: quod probare nituntur ex c. Eleutherius d. 91. quod decretum dicitur esse Pelagij. Alij verò hanc Horariam precum institutionem Damaso tribuunt. Alij Gregorio I. Verum, ex historijs Ecclesiasticis, & Patribus plane colligitur, iam inde ab Apostolorum temporibus, Clericos certis diei, ac noctis temporibus in Ecclesiam conuenire consueuisse, vt Psalmos, preces, hymnosq; Deo decantarent. Apud Clementem lib. 8. Constitutio. Apostolicæ, cap. 30. extat Apostolica Constitutio hunc in modum habens: Precationes facite mane tertia hora, & Sexta, Nona, & vespere vsque ad galli cantum. Apud Basilium quoque in Regulis copiosius disputatis, Interrogatione 37. serm. 1. de instituta Monachorum, vbi explicat illud Apostoli: sine intermissione orantes, & illud. Nocte, & die laborantes, habetur: Neque verò, quanquam hanc assidue, acque ad eodè omnibus momentis adhiberi oportere gratiarum actionem, & lex ipsa precipit, & nos eam vna nostra necessitatem, cum natura, tum ratione docuimus, propterea ille statim temporibus prescriptæ orationes negligende veniunt, quas obseruari in Conuentibus solemne est, & quotidianum. Et deinde memorat Matutinam horam, Tertiam, Sextam, No-

nam, Vespertinam, Completam, & Mediam noctem. Cyprianus in expositione orationis Dominicae circa finem: In orationibus, inquit, celebrandis inuenimus obseruasse cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores, horam Tertiam, Sextam, & Nonam. Et Paulò post: sed nobis fratres dilectissimi, præter horas antiquitus obseruatas, orandi nunc, & statim, & sacra menta creauerunt. Nam, & mane orandi est, vt resurrexerit Dominus matutina oratione celebratur: recedente item Sole, ac die cessante, necessarii rursus orandi sunt. Et infra: Quia autem in Christo, hoc est, in lumine semper sumus, nec nobis oratione cessemus. Ex Cypriano igitur, & Basilio habemus septenarium numerum precationum Canoniarum: ex Basilio quidem Matutinam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinam, Completam, & ad mediam noctem precationem: ex Cypriano verò Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinam horam, Completam, Matutinam, & Nocturnam. Hieronymus in Epist. 22. ad Eustochium de Castidia Virginitatis: Horam Tertiam, inquit, Sextam, Nonam, Diluculum quoque, & Vesperas, nemo est, qui nesciat. Infra: Nolite quoque bis, terque surgendam. Ecin 23. Epistola ad eandem. De obitu Pauli: Mane, inquit, Hora Tertia, Sexta, Nona, Vespere, noctis medio per ordinem Psalterium cantabam. Eadem ferè habet in Epistola 7. ad Letam de institutione filia, & in Epist. 8. ad Demetriadem. Chrysostomus in homilia 55. ad Populum Antiochenum, describens Monachorum mores, ait: Ante Lucem cum galli vocem dederit, omnes statim cum reuerentia somnum deponentes exurgunt excantant eos Prelato, & consilij sunt sanctam consilientes chorant: & statim manus extendentes sacros hymnos decantant. Infra: Tertiam, Sextam, Nonam, & Vespertinas orationes celebrant, & in quatuor partes diem distorunt, dum singula partes implentur, psalmis, & hymnis Deum venerant. S. Ambrosius lib. 7. in Lucam, in illud. qui vestrum habens amicum: ait, Si ille David tam sanctus, & qui regni erat necessitatis occupatus septies in die laudem Domino dicebat, matutinis, & vespertinis sacrificijs semper incensas, quid nos facere oportet, qui eo amplius rogare debemus, quo frequentius carnis, ac mentis fragilitate dei iniquum locuti libro tertio de Virginitate, orandi sex tempora recenset: conjurgimus mane, inquit, cum est prodeuntem, ante prandium, post prandium, hora incensi, & cum pergitur cubitum; quæ tempora videntur significare proculdubio sex Horas Canonicas, Matutinam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinam, & Completam. Et extant hymni ab eodem Ambrosio compositi ad singulas Horarias preces videlicet Nocturnas vigiliis, Matutinas laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinam, & Completam. Athanasius in lib. de Virginitate sine exortatione. Habeto, inquit, Psalterium, & Psalmos edice, si exieris videat librum in manu tua: post Tertiam horam peragito communionem: Sexta hora celebrato precet, quantum hac hora Filium Dei iudicatus est in Crucem, Hora Nona rursus est in hymnis, & laudibus Dei, quoniam hac hora Dominus in Cruce pendens spiritum reddidit. Et infra: Hora duodecima maiorem, & crebriorem celebra communionem cum virginibus tuis. Eodem quoque libro: Media, inquit, nocte surgit, & laudato Dominum Deum tuum. Augustinus item: Rogo vos, ad vigiliis matutinis surgite, ad Tertiam, & Sextam, ac Nonam ante omnia conuenite. Hieronimus in Psalmum 118. Callianus lib. 2. de Institutis Monacho, cum egisset de Vigilijs Nocturnis, lib. 3. differt de Diurnis precibus, & cap. 3. & 4. commemorat Ho-

rat. Horam matutinam ante ortum solis, & rursum aliam matutinam orto iam Sole, hoc est, matutinas laudes, ac Primam: deinde enumerat Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperam. Sanctus quoque Benedictus in Regula 16. *Hic*, inquit, *Horis referamus laudem Creatori nostro*, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespere, Completorio, & nocte surgamus ad commendandum ei. Cassiodorus explicans illum Psalmi versiculum: *septies in die laudem dixi tibi: Septem*, inquit, *illud significat vices, quibus se Monachorum pia devotio consolatur*, Matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, Completorios, Nocturnos, Et Auctor nomine Hieronymi in secunda expositione Psalmi 119. explicans versiculum: *cum ijs qui oderunt pacem: recenset Horam Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, Mediam noctem, Galli cantum, & Primum mane.*

Ex his clare perspicitur septenarium Horarum Canoniarum numerum antiquo vsu in Ecclesia fuisse receptum ante Gregorium I. Pelagium II. Gelasium I. & Damasum I. Ab Apostolorum temporibus vsu, & more receptum fuit, vt Christiani in templum siue eodem sacrum siue Oratorium conuenirent, & Psalmos, & hymnos cantarent, vt colligitur ex Adone in Martyrologio 5. Idus Ianuarij, in vita Iuliani Martyris, & Basilisæ, & 10. Kalendas Augusti de S. Apollinare. Sozom. lib. 6. hist. Eccl. ca. 33. & 34. Socrate lib. 2. hist. Eccl. c. 8. Theodoret. lib. 2. cap. 17. Porcassus Pelagius I. aut II. legem constituit, qua Clerici horarias preces septies in die perfoluere cogentur, ita vt quod antea vsu, & consuetudine antiqua seruabatur, lege deinde lata, perpetuò in Ecclesia iusserit obseruari. Et hinc est, vt in concilijs, & scriptoribus Ecclesiasticis post ea tempora frequens mentio habeatur septem Horarum Canoniarum. In Concilio Cablonensi 2. sub Carolo Magno, ca. 59. dicitur, *horas Canonias, Matutinam videlicet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperianam, Completorium pariter celebrent.* In Concilio Aquigranensi sub Ludouico Pio à cap. 126. vique ad cap. 130. eadem Horæ ex Isidoro referuntur, sicut, & in Concilio Agathensi, vt habetur in c. Presbyter De Celebr. Missa. & in c. Presbyter d. 91. nec non & apud Isidorum, Alcuinum, Amalariu, Rabanum, Rupertu, & Hugonem S. Victoris, quos supra citauimus.

Septimò quæritur, An septem Horarum preces Canonice sint iuris Diuini, an verò Canonice? Docet Abbas ca. 1. de Celebrat. Missa. esse iuris diuini, vt Clericus septies singulis diebus oret: quia in Psalmo dicitur: *Septies in die laudem dixi tibi.* Modus verò, & formula precandi est, inquit, ab Ecclesia constituta. Ex quo deducit, Romani Pontificis auctoritate non posse Clericu excipi à lege, & præcepto septies Deum precandi: quamuis fieri posse concedat, vt soluatur lege seruandi modum, & formulam orandi. B. Antonin. part. 2. tit. 9. cap. 12. f. 1. Angel. Hora. quæst. 6. Rosel. Hora. num. 13. Tabien. Hora. quæst. 15. Armil. Hora. num. 11. Cardin. Clement. 1. de celebr. Missa. Turre. in c. presbyter. dist. 91. eiusdem videntur fuisse sententiæ. At probabilius alij senserunt, solum iuris esse Canonici, vt Clerici septies singulis quibusque diebus orent. Sic Laurentius Rodolphus, Ioannes Lignanus in ca. dolentes de celebra. Missa. Syluest. Hora. q. 8. num. 9. & alij. Abbas verò, & alij quidam Canonici iuris interpretes latius quam par est, ius diuinum accipiunt: nam

tale ius appellant, quicquid in sacris literis habetur, aut ex eis deriuatur; cum tamen reuera id minimè sufficiat, vt in præfenti negotio planè conspiciatur. Quod enim Dauid septies in die Deum precabatur, factum est hoc; sed non ius constitutum: alioquin enim omnes Reges eodem iure nepe Diuino, cogentur, id officij, & muneris obire. Dauidis igitur exemplo, & imitatione, Ecclesia diuinitus edocta legem sanxit, qua Clerici septies in die preces fundere, & recitare cogentur. **QVAERES**, an saltem Clerici ad Ecclesiastica Beneficia promoti, & electi, iure naturali debeant horarias preces perfoluere, vt grati sint ijs, qui de Ecclesia bene meriti bona reliquerunt; ex quibus beneficia Ecclesiastica sunt instituta: An item Clerici eo ipso, quòd sunt in Sortem Domini vocati, & Ecclesiasticis ordinibus initiati, septies Deum orare iure compellantur; Virique huic dubitationi infra commodius respondebo.

Caput I I.

De septem precibus horarijs, & Canonice spectatim.

PRIMO quæritur, Quandonam nocturnæ vigiliae sint institutæ? Ex ijs, quæ ex Patribus, in capite superiori diximus, liquido constat eas ab ipsis primum Apostolorum temporibus coepisse, & Ecclesiam in huiusmodi nocturnis precibus ad Deum fundendis, Regium Prophetam esse imitam, dicentem: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi Paulum item, & Silam, qui teste B. Luc. in carcere, & vinculis positi, media nocte orantes laudabant, & benedicebant Deum.* Præterea, id temporis aptissimè est orationi deputatum. Etenim media nocte, Aegyptiorum primogenita esse ab Angelo percussa, sacrae literæ testantur. Scit quoque Ecclesia, Sponsus media nocte, esse venturus; ac ideo tunc temporis vigilare nobis expedit, ne nos ille dormientes, ac pigricantes inueniat, & puniat. Media item nocte Dominus ex vtero Virginis natus in lucem produiuit, & media nocte, aut paulò post è mortuis resurrexit.

Secundò quæritur, An Clerici nocturnas preces olim tribus temporu interuallis diuisas perfoluere consueuerint? Sunt, qui id affirmant; & Amalarium in libello de ordine Antiphonarij, & Isidorum lib. 1. de offic. Eccl. cap. 10. Hugonem Victorinum libro secundo, de Offic. Ecclesiast. capite nono, Sanct. Thomam 1. Corin. cap. 14. lect. 6. Waldensem libro de Sacramentalibus. cap. 24. & 28. huius rei testes produciunt: Clerici, inquit, eo tempore, prima Vigilia noctis exalta, id est, post tres horas noctis, in templum conuenire solebant, & primos Nocturnos Psalmos decantabant: deinde verò somnum resumebant, & secunda vigilia, id est, post sex horas noctis elapsas iterum conuenientes in templum, secundos Nocturnos Psalmos canebant. Deinde tertia vigilia, id est, post nouem horas noctis expletas è somno surgentes, tertios Nocturnos Psalmos concinebant. Postremò, quarta vigilia nondum completa, hoc est, duodecima noctis hora paulò ante solis ortum in ipsa aurora laudes matutinas psallebāt. & ita noctu quater Deum orabant, sicut etiam interdum quater quoque Deum precari solebant; videlicet hora Tertia post Solis ortum, hora Sexta, hoc est, ad meridiem, hora Nona, id est, post nouem horas ab ortu solis, & vespere, hoc est, hora

Ad. 16.

duodecim diei. More enim Hebræorum dies civilis in duodecim horas diuidebatur, iuxta illud Christi, *Noune duodecim sunt hore diei?* ac proinde nox quoque totidem horis constabat. Mihi certò non constar, an Nocturni Psalmi, quas vigilias veteres scriptores appellauerunt, diuisim, ac per tria temporum interualla canerentur. Illud potius existimo, Nocturnas preces simul media nocte à Monachis; ab alijs verò, vel paulò ante mediam noctem, vel paulò post cantari solitas fuisse. Laudes verò matutinas, vt Amalarius in libello de ordine Antiphonarij cap. 7. Hugo Sancti Victoris in libro de Ecclesiast. offic. i. cap. 1. & 9. & in Speculo Ecclesiæ. ca. 3. Radulphus in libro de Canonum obseruant. proposi. 14. testantur, Monachi à Nocturnis vigilijs diuidebant, & vtrisque per tempora terminabant. Clerici verò seculares alicubi diuidebant eas. Romæ verò simul omnes coniungebant. Nec Isidorus, Amalarius, Hugo, VValdensis, sancti Thomas tradiderunt expressim Nocturnas preces per tria noctis interualla cantare. Clericos consueuisse: solum aiunt noctem in quatuor militares vigilias, vel excubias, siue custodias laicos distribuisse in primam, secundam, tertiam, & quartam, & singulas qualque illarum tribus horis constituisse, ita vt nox in duodecim horas diuideretur: & quod Ecclesia instar militarium excubiarum cõtate consueuerit Psalmos in tres partes dispersitos; ita vt simul cum ternis Psalmorum partibus terna Scripturæ lectiones, & terna responsoria recitarentur: ac proinde terna Psalmodia, & Orationes, quamuis continenter decantata, responderent tribus militibus vigilijs. Nam sicut militares vigilie ternas horas continebant, sic Clerici tribus distinctis Ordinibus, quamuis sine temporis interstitio Psalmos, Lectiones, & Responsoria concinebant. Et in prima quidem parte Psalmos, & tres Lectiones, & tria Responsoria coniungebant pro tribus primæ vigilie militaris horis; in secunda, cum Psalmis, & Responsorijs tres quoque Lectiones respondententes tribus horis secundæ vigilie; & sic pariter in tertia parte. Deinde verò Matutinæ Laudes respondebant tribus alijs horis quartæ vigilie militaris. Noctem diuisi in quatuor vigilias, ex Euangelio colligitur.

Luc. 12.
Mat. 11.
Matth. 24

Tertio queritur, cur Nocturnæ vigilie duodecim Psalmis consent, aut nouem, aut decem, & octo? cur item tribus interdum Lectionibus, & tribus Responsorijs, aliquando nouem: cur item tribus Psalmorum, & Lectionum, & Responsoriorum distinctiõibus concludantur? Respondeo, diebus Dominicis, Nocturnas vigilias constare decem, & octo Psalmis in tres veluti classes, & ordines distributis: in alijs diebus festis, nouem Psalmis, in tres Ordines diuisis: in diebus profestis, duodecim Psalmis, quibus proximè tres Scripturæ lectiones, cum tribus Responsorijs, succedunt. Tres ordines siue classes, vt tradit Hugo in libro 2. de Offic. Eccl. cap. 9. & 10. referunt Trinitatem, ob cuius cultum, & honorem Psalmi decantantur: Tria item Mundi tempora, nimirum tempus quo sub lege naturæ homines vixerunt, & illud, in quo sub lege scripta Mosis, & præsens, quo sub lege gratiæ viuimus. Vel potius respondent tribus paulò ante dictis militibus vigilijs. Quam-

uis autem in diebus profestis nõ sint tres ordines Psalmorum, & Lectionum, ac Responsoriorum; recitantur tamen duodecim Psalmi, vt respondeant duodecim noctis horis, vt quasi per totam noctem Deum orare videamur: & tres Lectiones respondent tribus militibus excubijs. Hugo testatur, in duodecim Psalmi significari duodecim Prophetas, aut duodecim Apostolos, in tribus Lectionibus, sanctam Trinitatem, vel tria Mundi tempora.

Quarto queritur, Quibus de causis Matutinas Laudes instituerit Ecclesia? Primo, vt in quarta noctis vigilia preces ad Deum funderemus, sicut enim tres Nocturnorum Psalmorum distinctiõnes tribus noctis vigilijs respondent, sic etiam Matutinæ Laudes, quartæ vigilie, vt nos in ea paratos, & contra hostes armatos, & munitos Dominus inueniat. Deinde, vt pro hostibus in nocte deuictis Deo gratias debitas referamus, more Hebræorum, qui Aegyptijs in mare demersis, diluculo Diuinis laudes cecinerunt. Item, vt Regium Prophetam Dauid imitemur, qui in Psalmis nõ raro testatur se diluculo preces ad Deum fundere. Postremo, vt in memoriam reuocemus, quot, & quanta ea hora Christus pro nobis mala pertulerit.

Quinto queritur, Quare Horam Primam Ecclesia colat, & obseruet? Respondet Rabanus in libro 2. de institutione Clericorum. c. 3. vt in ipso solis ortu Solem iustitiæ nobis orientem postulemus, vt illius illustrati lumine, peccatorum tenebras, & laqueos mortis effugere, ac deuitare possimus. Et vt ait Amalarius in libello de ordine Antiphonarij, c. 6. Sicut quibus, que nocte custodiamur in caulis in cluse, mane ad Pascha excubijs, ilico ad est spiritus, qui ead dirigat, ducat, & defendat à lupis: ita nobis primo dicitur surgentibus, Sole oriente adit Dominus, verus pastor ac doctor. Rupertus ait: lib. 1. de Diuin. Offic. ca. 3. Prima hora Deo laudes referimus, quia primum est regnũ Dei querendum, & ante omnem curam corporis vacandum menti. Item, quia ea hora Dominus noster nescire, & impie suum sedatum est, derisus, despectus, & colaphis castus. Insuper sunt primitias frugũ Deus sibi veteri lege offerri iubeat, sic prima Clericorum cogitatione, & cur a, tanquam gratiam in eis primitiæ Deo offerende sunt. Præclare Ambrosius in ser. 43. & in Hexam. li. 5. c. 12. & 24. de ambus loquens, quæ Oriente, & Occidente sole aethera canebat, mulcere solent: quibus, inquit, sensum hominis generi non erubescat sine Psalmorum celebritate diem claudere, & adorari, cum etiam aues suam modulationem, & dulcissimam ne ortus dierum, ac noctium proseguantur?

Sexto queritur, An primæ horæ sit antiqua, & vetus institutio? Radulphus in libro de Canonum obseruantia proposi. 14. docet Primam, & Completam alijs Horis longè ante institutas additas fuisse, quod verum esse probat ex Cassiano in libro 3. de instit. Monachor. c. 4. qui duas Horas matutinas constituit, vnam ante solis ortum ad galij cantum, alteram orto iam sole. Et ait: sciendum est, hanc Matutinam secundam scilicet, que nunc obseruatur in occidentis maxime regionibus, Canonicam functionem, nostro tempore, in nostro quoque Monasterio, Bechleem scilicet, primum institutam, vbi Dominus noster Iesus Christus ex Virgine uirginitate suscipere incrementa dignatus est. Sic ille. Sed verius arbitrat, Primam quoque Horam à primis Apostolorum temporibus, cū alijs Horis simul coepisse: quoniã Clemens ait, li. 8. Constit. Apostolicarũ c.

30. Preces vestras facite Diluculo, Tertia Hora, Sexta, Nonam, & vespere, & in Gallisanti. Et Athanasius lib. de Virginitate. siue de exercitatione. Sol, inquit, oriens videtur in libris in mentibus suis. Basilius item in regulis copiosis disputatis interrogat. 37. ait preces esse inchoandas à Martinis laudibus. Hieronymus in Epistola ad Latam, Affuecat, inquit, exemplo ad orationes, & Psalmos, nocte consurgere, mane hymnos canere Tertia, Sexta, Nona hora. Sed certè non improbabile videtur, quod Radulphus in lib. de Canonum obseruantia, propos. 14. tradidit, Primam, & Completam horas fuisse cæteris horis adiectas, vt Cassianus lib. 3. de Instit. Monachor. capit. 4. non obcurdè indicat, quamuis etiam fieri potuerit, vt in quibusdam Ecclesijs, Prima hora cum cæteris vna coeperit, & in alijs fuerit processu temporis instituta.

Septimò queritur, qua de causa Prima, & Completa hora, in multis sint sibi similes, & affines? Respondet Radulphus in lib. de Canon. obseruant. propos. 14. esse ferè in omnibus similes: nam in diebus profectis, in Prima quatuor Psalmi cantantur, sicut in Completa. Deinde, in Prima, & in Completa fieri solet generalis peccatorum confessio, recitaturque Symbolum Apostolorum, quæ omnia apud conueniunt diei, ac noctis initio: vt hisce omnibus quasi armis quibusdam muniti, & instructi contra hostes diurnos, & nocturnos constanter, & fortiter pugnemus.

Octauò queritur, cur ad orandum Deum, Tertia quoque, Sextam, & Nonam, horas instituerit Ecclesia? Respondeo, hora tertia Spiritum sanctum, super Apostolos descendisse: eadem hora clamauerunt Iudei postulantes à Pilato, vt Christus Crucifigeretur, ita vt eorum vocibus atque clamoribus coeperit crucifigi hora Tertia, & hora Sexta fuerit verè, & re ipsa in Crucem actus. Item, de Daniele in eius historia refertur, quod ter in die Dominum rogaret, Tertia hora nimirum, Sexta, & Nona. Idem etiam in Actibus Apostolorum de Petro, & Ioanne comemoratur. Vnde Tertullianus Tertiam, Sextam, & Nonam horas insigniores in rebus humanis, quæ diem distinguunt, quæ negocia distinguunt, quæ publicè resonant, ita & solemniores fuisse in orationibus diuinis, commemorat.

Nonò queritur, Quomodo concilientur duo Euangelistarum loci de hora, qua Christum Iudei in Crucem sustulerunt: nam Ioannes refert horam fuisse ferè sextam, cum Cruci affixus est Dominus: at Marcus: *Erat autem, inquit, hora tertia, & crucifixerunt eum.* Hæc quæstio veterum, & recentiorum ingenia plurimum exercuit. Augustinus tractat. 117. in Ioannem, & lib. 3. de Consen. Euangelist. ca. 13. & in libro questionum veteris, & noui testamen. q. 65. Euangelistas conciliat, Christum dicens à Iudeis hora tertia verbo, & lingua Crucifixum, nõ autem Iudicis sententia factò, & re. Marcus igitur de hora tertia loquitur, in qua Iudæorum clamoribus, & linguis est Cruci affixus; Ioannes verò hora ferè sexta tradit, Christum esse in Crucem sublatum, nimirum Iudicis sententia, & re ipsa. Albertus, Lyranus, & arthufianus Marc. 15. Gagnæus Ioan. 19. Magister Historiæ Scholasticæ Euang. t. 166. aiunt Christum in Crucem ascendisse tempore medio inter horam tertiam, & Sextam: & ideo nunc hanc, nunc illam posuisse Euangelistas.

Non defunt, qui Christum hora tertia fuisse reuera in Crucem actum affirmant: & illud Ioan. 19. Hora quasi sexta, exponit: hora Sexta à nona nocturna ab initio diei, quæ hora Sexta erat eadem, quæ Tertia ab ortu Solis: Et ideo aiunt dixisse Ioannem cap. 19. *Erat Parasceue Pascha hora quasi Sexta.* hoc est, erat hora quasi Sexta, & hora noctis nona, qua coeperat præparari immolatio agni Paschalis, quem Ioannes, inquit, appellat Pascha, & Parasceuen vocat ipsam præparationem, qua agnus Christus coepit præparari hora noctis nona. Vnde quidam Patres docuerunt, iuxta illud Marci 15. *Et hora tertia Crucifixerunt eum:* Christum in Crucem ascendisse hora tertia. Quidam conciliant Marcum, & Ioannem sic: *Erat hora tertia, & Crucifixerunt eum,* hoc est, Erat elapsa hora Tertia, postquam Crucifixerunt eum: ita vt significet Marcus, tres horas in Cruce pendisse Christum, & coniunctio, Et, sumatur pro adverbio, postquam Euthymius in Marcum cap. 47. dicit id, quod Marcus ait: *erat hora tertia,* non coniungi cum eò quòd sequitur: *Et crucifixerunt eum:* sed referri ad præcedentia: Ita vt significet Marcus, fuisse horam tertiam, ex quo tempore coepit Christus Dominus multa mala pati vi militum: & postea sequatur: *Et Crucifixerunt eum,* hoc est, Post multa mala, quibus eum milites affecerunt, Crucifixerunt. Sic videntur intellexisse Marcum Patres illi, qui sentiunt Christum hora Tertia fuisse in Crucem sublatum. Telephorus in Epistola quadam, quam refert Gratianus c. Noctæ. De Consecrat. Diss. 1. Damascus in Pontificali, Cyrillus Catechisi 13. Theophylactus, & Auctor Commentariorum in Marcum nomine Hieronymi. Ambrosius in Hymno, qui cantatur ad Tertiam in diebus Dominicis in Ecclesia Mediolanensi, Walfridus in lib. De rebus Eccles. ca. 23. Radulphus in libro de Canon. obseruantia, propos. vltima. Alij, vt Theophylactus in Ioannem cap. 19. Caietan. in Mar. 15. Canus lib. 2. de locis Theol. ca. 28. ad quintum, Sixtus lib. 6. Bibliotheca, Annotatione 131. tradiderunt, apud Marcum, Codices esse corruptos librariorum vitio, & legendum esse: *Erat autem hora Sexta.* Hanc sententiam. S. Th. p. 3. q. 46. art. 9. ad secundum testatur, quorundam fuisse, quam nec probat ipse nec improbat.

Mihi verò aliter Euangelistæ conciliari posse videntur. Animaduertendum igitur est, apud Hebræos duplicem olim fuisse rationem computandarum horarum, vnã Sacram, alteram profanam. Sacra erat, qua dies à Sacerdotibus, & Leuitis in quatuor tantum horas diuidebatur, Tertiã, Sextã, Nonam, & Vespertinam, quia his Temporibus in Templo Sacri aliquid fiebat: erant enim hæ diei partes Diuinis laudibus, vel orationibus, vel Sacrificijs destinatæ: & ideo his horis Sacerdotes, vel Leuitæ in Templum conuenire consueuerat. Profana verò computatio erat, qua Populus diem in duodecim horas distribuerebat. Vnde Christus dixit: *Nõne duodecim sunt horæ diei?* & Matt. 20. mentio fit horæ vnde decimæ, & Ioan. 4. horæ septimæ: *Hæc, inquit, hora septima reliquit eum febris.* Et tum in illa horarum enumeratione Sacra, tum in profana numerantur horæ, non à fines, sed ab initio: ita vt hora Tertia, sit postquã incipiebat hora Tertia ab ortu solis, & Sexta, postquam aduenerat hora Sexta ab ortu solis, & sic de reliquis. Et quia secundum illam computationem sacram,

dies in quatuor tantum horas deducebatur, inde fiebat, ut quælibet pars tres horas profanas contineret. Tertia igitur hora Sacra comprehendebat tertiam profanam, quartam, & quintam: Sexta Sacra, complectebatur sextam profanam, septimam, & octavam: Nona itidem Sacra includebat nonam profanam, decimam, & undecimam. Vespertina hora dicebatur totum illud tempus, quod est interiectum inter duodecimam, hoc est, ultimam horam diei, & nocturnas tenebras, & mane dicebatur totum illud tempus, quod est ab ortu solis usque ad tertiam horam ab eodem ortu: & ita, quod fiebat post horam nonam, Sacerdotes, & Leuitæ dicebant fieri ad vesperam, vel in vespera, & quod fiebat ante horam Tertiam fieri dicebant primo mane, vel prima luce. Marcus igitur dicit hora tertia fuisse Dominum Crucifixum, nimirum hora tertia sacra, quæ à tertia hora profana protendebatur usque ad sextam itidem profanam. Ioannes verò dixit hora ferè sexta, Christum Dominum in Crucem actum, quia loquebatur de hora profana: nam Christus in Crucem sublatu est sub meridiem appetente hora sexta profana, & ideo verè dixit Ioannes: hora ferè sexta. Et quia hora tertia sacra continebat, ut dixi, tres profanas, tertiam nimirum, quartam, & quintam, verè quoque dixit Marcus, hora tertia Dominum fuisse cruci affixum, quoniam quicquid à tertia hora post solis ortum usque ad sextam fiebat; hoc est, quicquid fiebat hora tertia, quarta, & quinta profana, verè fieri dicebatur hora tertia sacra. Ergo cum Christus fuerit in Crucem actus, teste Ioanne hora ferè sexta, hoc est, ad finem horæ quintæ profanæ, verè Crucifixus esse dicitur hora tertia, nimirum sacra, non profana. Hora sexta in Crucem ascendisse Christum Dominum, ut ait Ioannes 19. testantur Clemens lib. 5. Constituit. Apostolicarum capit. 16. & lib. 8. cap. 40. Ignat. in Epist. 2. quæ est ad Traianum. Cyprian. de oration. Dominica. Athana. de Virginitate. Isidor. li. 3. de Diu. Offic. c. 19.

Horam porò sextam celebrat Ecclesia multis de causis, quas Anastasius Sinaita, in libr. commen. in Hexam. 7. commendat, Deus, inquit, hora sexta, visus est Abrahæ in valle Mambre. Eadem hora Ioseph simul cum fratribus suis pransus est. Eadem itidem hora Ruth Moabitrix ad ipsum Booz in agro esuriens accessit, quam ille benignè, et libenter excepit, & mulier Samaritana hora sexta cum Christo Domino sermonem habuit. Hora item Nona in sacris literis celebratur: nam Actorum 3. Petrus, & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. Eadem hora Cornelius Centurio in precibus persultebat, & videre Angelum, & ab eo doceri promeruit: ea denique hora Christus Dominus spiritum emisit, & inferos spoliavit.

Decimò queritur, cur Vespertinam horam Ecclesia colat, & obseruet? Respondeo, Christum ea hora de Crucem fuisse depositum: hanc horam veteres Ecclesie scriptores Lucernariam appellat: Cassianus, li. 3. de Insti. Monacho. c. 3. ad finem, Epiphanius contra hereses li. 3. in compendiaria vera doctrina propè finem. Hieronymus in 2. expositi. ad Psalmum 118. Aug. in serm. 1. ad fratres in Eremo. Cassiodorus li. 9. Tripert. c. 38. Socrates lib. 3. Eccl. historie c. 21. Nicephorus li. 1. c. 2. Radulphus, de Canonum obseruantia proposi. 12. eo quòd dum lucernæ accendebantur, ad horam nempe duodecimam, Vespertinæ preces persolui solebant.

Undecimò queritur, cur, & quando Ecclesia horam completam instituerit? Radulphus, ut supra indicauimus, censet horam Primam, & completam longè post Horas alias fuisse institutas. Sed ex Basilio, & alijs Patribus colligi potest videri fuisse cum alijs obseruatas, & Basilius testatur hora completa recitari solere Psalmum nonagesimum, cuius initium est: *qui habitas in adiutorio Altissimi*, qui Psalmus etiamnum eadem hora recitatur.

Caput III.

A quibusnam sint preces Horariae iure persolueda.

Primò queritur, Quor, & qui iure Pontificio preces canonicas recitare cogantur? Communis est omnium sententia, ad id adstringi eos, qui sunt sacris, siue maioribus ordinibus initiati, eos item, qui beneficium Ecclesiasticum possident, denique omnes Religiosos professos, & ad eorum destinatos: de quibus singulatim est nobis differendum.

Secundò queritur, Vnde nam constat, eos, qui sunt ad beneficium Ecclesiasticum promoti, ad preces canonicas recitandas iure compelli? Respondeo, dist. 92. c. 1. vlt. pœna depositionis Clericis irrogatur, qui certæ Ecclesie præficti, ac deputati non conueniunt in Ecclesiam ad Matutinum, & Vespertinum Officium persoluedum. Sic Abbas, & ceteri in c. 1. De celebra. Missa. Sic Cardinalis, & alij in Clem. 1. De celebra. Missa. & colligitur ex c. cum secundum Apostolum de Præben. Item, c. Quia per ambitionem de Rescri. in Sexto, dicitur: Beneficium Ecclesiasticum datur propter Officium. Vbi Glossa annotat: Ideo priuatus officio priuatus quoque est beneficium, cum sit eius sequela. dist. 51. c. eos, & c. Si quis Sacerdotum dist. 32. & c. Latentes de Cleric. excom. Hæc Glossa.

Tertiò queritur, An quando beneficium est tenue, ita ut eius redditus ad Clericum commodè sustentandum minime sufficiat, debeat Beneficiarius integrum Officium Diuinum persoluedere? Dux sunt opinionones: Prima Soti, qui libro 10. de iust. quæst. quinta, articulo tertio, negat, id genus Beneficij talem obligationem inducere: nam parum, inquit, pro nihilo reputatur: ergo qui tenue, & modicum Beneficium habet, non censetur esse Beneficiarius. Deinde, qui altari seruit, ex eo viuere debet: ergo qui ex Beneficij redditibus non viuunt, iure non cogitur Horarias preces recitare. Accedit id, quod habetur in cap. 1. c. 1. De Præben. in c. 1. vbi statuitur: *quando conceditur alicui facultas idoneis Beneficia conferendi, non potest ea conferre ijs, qui habent Beneficia, que sufficiunt ad vitam: potest tamen ijs, qui Beneficia non habent, que satis sint ad eorum vitam sustentandam*: Ergo in iure Beneficium paruum, & exiguum, pro Beneficio non habetur. Hanc Soti sententiam quamuis cum communi pugnantem iuniores quidam Theologi sequuntur, Arag. 2. c. 2. qu. 83. art. 12.

Secunda opinio affirmat quodlibet Beneficium, etiam paruum, ac tenue esse cum onere, & lege preces Horarias perorandi. Sic sentit Nauarrus tract. de Oracione, ca. 7. nu. 27. & c. 11. nu. 11. Sic etiam Ledesmius 4. part. 2. quæst. 16. artic. quarto, dubio quinto,

vbi re-

vbi referens hanc opinionem ait: esse sententiam communem, & reuera ita est. Eam enim habet Glossa ab omnibus Summis recepta in cap. Clerici dist. 91. Sic Rosel. in verbo Hora nu. 1. Syluest. quest. 2. Antonin. part. 3. tit. 13. cap. 4. §. 1. Tabien. q. 1. in verbo Hora, Armil. in eod. verbo nu. 1. Medin. de oratione qu. 7. Idem etiam sentiunt Cardinalis, Hostiensis, Abbas, ac Ioannes Andreas, Imola, Turrecremata, Bonifacius, & ceteri Iuris Canonici interpretes, partim in ca. 1. de ca. dolentes de celebr. Missar. & partim in Clemens. 1. de celebr. Missarum, & partim cap. 1. dist. 91. & cap. Clerici dist. 92. In hac questione, non est ab opinione communi recedendum, ea enim magis cum ipso iure communi Canonico congruit, vt manifestum fiet. Etenim in c. Clerici dist. 91. dicitur: Clericus, qui ab Ecclesia sibi commissis commodè non sustentatur, quæ sibi videntur, & vestitum ex artificio, vel agriculturæ post sui muneris, & officij penum per solutum. Deinde, eo ipso, quod quis duxit uxorem inopem, eam a leere iure compellitur: ergo nihil minus est si is Clericus egens, cui Ecclesia pauper committitur, Diuinum officium per solvere cogatur. Accedit, quod qui sponte, ac voluntate sua nomen militie dedit, militare compellitur, quamuis non ita commodè ex militia viuat. Adde, quod scienti, ac volenti non fit iniuria, ergo qui sponte sua Beneficium acceptum, & ratum habet, le Ecclesiæ obstringit. Præterea, qui beneficium habet quamuis tenue, & exiguum, ceteris Beneficiariis priuilegijs gaudet, & in iure habetur verè, & propriè Beneficiarius: ergo non est cur ab eorum oneribus liber, & immunis censetur. Postremò, beneficium Ecclesiasticum, vt dicitur in cap. 1. de rescrip. in 6. propter Officium confertur, quod absolute, & simpliciter dicitur de quolibet beneficio in viuendum, & vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus: & Glossa in eo capite probat, Officium esse veluti affectum, & comitem beneficij; unde, inquit priuatum officio, eo ipso priuatum beneficium censetur. Nihilominus tamen si quis Soti opinionem lequatur, non continuo condemnandus mihi videtur: cum & viri pij, ac docti eam opinionem probabilem esse arbitrentur, vt ipse etiam Nauarrus existimat. Nam Sotus libenter fatebitur beneficium tenue, & modicum pro beneficio esse habendum, quod pertinet ad alimenta; at quod spectat ad præceptum, & legem exoluendi pensum Horarum, pro beneficio non haberi, cū redditus tenues habeat, & parū pro nihilo reputetur.

Quærat quis, si iam, au inter sit aliquid inter beneficium, quod à principio est tenue, & exiguum, & illud, quod cum à principio pingue fuerit, est tamen factum deinde paruum, & modicum? Respondet, cum Glossa communi consensu recepta, multum inter esse: quoniam dubitari non potest, quin beneficium, quod à principio vberes redditus ferebat, etiam si progressu temporis tenues reddat, obligationem asserat, & lege cogat Officium diuinum persolvere: satis enim est, si à principio beneficium ditius, & pinguis fuerit: nam sic vxor, quæ cum ducta est, inops, & tenuis non erat, postea ad egestatem, & inopia redacta à viro suo alimenta ipso iure accipit, & habet. Quare Soti opinio in hoc locum habere non potest, sed solum in eo beneficio, quod à principio est exiguum, & modicum. Si secundo quis roget, an Soti opinio

locum habeat generatim in quolibet beneficio, quod ad Clericum commodè sustentandum non sufficit? Quidam Soti sententiam laxius interpretantur de quolibet beneficio, quod ad vitam Clerici sustentandam non sufficit. Sed hoc certe nullam habet probabilitatem, nec tale quid ille auctor sensisse credendus est. Neq; enim beneficiarius, cuius beneficium reddit fructus quadraginta nimirum, vel triginta, vel viginti aureos, liber est, & solutus à lege preces Canonicas recitandi, & tamen quadraginta, vel triginta aurei alicubi non sufficiunt ad comoda alimenta Clericorum. Quare, vt Soti sententia sit probabilis, intelligi tatummodo debet de eo beneficio, quod primum adeo tenue fuerat, vt eius fructus annui sint quatuor, vel quinque, aut sex aurei nummi. Sotus expressit beneficium cuius fructus sunt octo, aut decem aurei.

Quarto quæritur, An qui habet beneficium, quod in Hispania Præstimonium, siue Præstimonialis portio vocatur, iure cogatur preces Horarias recitare? Dux sunt opiniones, prima negat, eo quod eiusmodi beneficium institutum esse creditur ad subsidium adolefcetium, qui in studia literarum incumbunt, vel in subsidium eorum, qui contra hostes Christianæ religionis bellum gerunt, vel in subsidium Canonicorum, quorum Canonica tenues fructus reddebant. Deinde, quia eiusmodi beneficia omnino à ceteris distinguuntur: quoniam nec requirunt vt Beneficiarij in Ecclesijs suis comorentur, ac resideant, nec vt in illis inseruiant per seiplos, aut per alios in sui locum substitutos, nec talia sunt, vt simul cū alijs haberi iure non possint. Sic Medina de oratione q. 7. Palacius in 4. d. 15. disputat. 9. & quidam pro hac opinione facere dicunt Ioan. Andr. in c. 1. de rerū permutatio. in 6. Oldrad. in conf. 134. Ioan. Seluam de Beneficijs. p. 1. q. 3. nu. 10. Gigantem de personib. q. 28. nu. 5. Secunda sententia affirmat: hanc lequitur Nauar. de orat. ca. 21. nu. 9. Sot. in lib. 10. de iust. q. 5. a. 3. & his antiquior Abbas in conf. 47. par. 2. nu. 1. idem sentiunt recentiores Theologi, qui post Nauarrum, Medinam, & Sotum scripsere.

In hac questione, dubitandum non est, quin eiusmodi beneficium sit verè, & propriè beneficium Ecclesiasticum: quod rectè probat Abbas ex his, quæ beneficio Ecclesiastico communi iure conueniunt. Nimirum, quia cōferri illud nequit, nisi ab Episcopis, vel alijs Ecclesiarij Præfectis: nec conferri potest nisi in Clericos: & datur in titulum, vt Canonica iura loquuntur; item, in perpetuum datur, nec obitu clerici extinguitur; sed vacat, & alteri cōfertur. Deinde, Episcopus nequit id genus beneficij sibi conferre. Non potest item dari ex pacto vlla iure conditione absq; Simonix labe. Adde, quod in c. quoniam. De Præben. in Sexto, inter Ecclesiastica beneficia recensetur. Postremò, Pius V. in Constitutione, quæ incipit: Ex proximo Lateranensi concilio, postquam præcepit, vt omnes Clerici, qui Beneficia habent, Diuinum Officium persoluant, adiunxit hæc verba: Declarantes, Præstimoniam, Præstimonialis portiones, & qualiacumq; alia beneficia etiã nullum omnino seruitium habentia continentes, in prædictis contineri. Sic ibi.

Ad argumenta verò Questionis initio obiecta, respondeo; etiam si huiusmodi beneficia, quæ Præstimoniam vocantur, fuissent in subsidium ado-

lescentium, vel quorumlibet aliorum instituta, de qua institutione, & origine nihil certi habetur: progressu tamen temporis omnino in beneficia Ecclesiastica transferunt, quod iure fieri potuit: ac propterea nunc dubitari non potest, quin sint verè, & propriè beneficia. Et Ioanes Andreas, Oldradus, Ioannes Selua, & Gigas solum loquuntur de eo præstimonio, quod datur alicui, ut stipendium, & merces operis profani, non Ecclesiastici, & sacri: at præstimonia, quæ sunt in Hispania, non hac ratione conferuntur in Clericos, sed dantur illis, quia Clerici sunt, certis Ecclesijs deputati.

Quintò quæritur, An Clericus, qui habet Cappellaniã quam vocant, iure debeat Horarias preces Canonicas recitare, sunt enim, qui negat. Sed verius est, quod alij docuerunt, ita distinguentes: aut Cappellania per verum, & legitimum ius conferendi datur, hoc est, canonicè iuxta Canonum præscriptum, aut secus. Si datur: Tunc clericus eius possessor iure debet Diuinum Officium persolvere: si non datur, ad id minimè adstringitur. Hanc opinionem tuerent Medina *tratt. de Orat. q. 7. Nauarr. de Orat. cap. 20. nu. 17. Ledes. in 4. p. 2. q. 16. art. 4. dub. 5. ad finem.* Primi generis Cappellaniã Collatiuam nominat, quam dicere possumus sacram quam etiam volunt esse verè, & propriè beneficium Ecclesiasticum. Secundam vocant Cappellaniã, non Collatiuam, nos appellemus profanam, non sacram, ac proinde à beneficij Ecclesiastici ratione alienam.

Hoc vt clariùs explicem; animaduertendum duco, Cappellaniã à Laicis sepius institui ex ipso fori bonis, in quibus Cappellanijs erigendis, si nec in initio cum instituuntur, nec postea ex intervallo temporis vlla Episcopi auctoritas interuenit, hoc est, si prorsus sine vlla Episcopi auctoritate eriguntur, & constituuntur, beneficij Ecclesiastici rationem habere nequeunt. Neque enim laicus ex re profana sacram facere potest: vnde sicut hospitalis domus, Oratorium, sacellũue extructũ à laico absq; Episcopi auctoritate, Sacer, & Religiosus locus nõ est; sic etiã nulla Cappellania ex laicorũ bonis, & rebus instituta, sine Episcopi auctoritate beneficium est Ecclesiasticum, cum in ea nullũ sit ius percipiendi Ecclesiasticos fructus ex bonis Ecclesiæ. Si vero ex bonis laicorum Episcopi auctoritate Cappellania erigatur, ea veram habet beneficij Ecclesiastici rationem, quamuis in ea laicus auctoritate Episcopi sibi ius Patronatus referuet, & tũc annui redditus, quos laicus suis ex bonis instituit Episcopi auctoritate, in beneficium Ecclesiasticum transeunt. Et hæc est Cappellania, quam Medina, Nauarrus, & Ledesmius Collatiuam appellant, nos sacram, quoniam impetrari, & haberi non potest, nisi auctoritate Ecclesiæ conferatur, per electionem legitimam, vel confirmationem, vel præsentationem, quã laicus, vel Clericus nominet, & offerat futurum Beneficiarium, & institutione Episcopi, vel alicuius alterius Ecclesiæ Præfecti, vel per simplicem, quam vocat collationem, instar aliorum beneficiorum, quæ hisce modis conferuntur, & obtinentur. **QVÆRITUR**, aliquis vndenam dilceri queat, sit nec ne aliqua Cappellania beneficium Ecclesiasticum? **Respondeo**, in primis inspi-

ciendam esse eius institutionem, in qua si Episcopi auctoritas interuenit, hoc est, si Episcopi auctoritate erecta, & instituta fuerit Cappellania: pro beneficio Ecclesiastico haberi debet: alioquin minimè, vt quando testator certos annuos redditus nomine Cappellaniæ relinquit, & expressim ait se nolle, vt in huiusmodi bona se Episcopus inferat, aut si nominet, & eligat certum Clericum; ac deinde statuit, vt sui posteris, vel sibi genere propinquiore absolute per se ius, & auctoritatem habeant sine Episcopo, nominandi, & eligendi Clericum ad Cappellaniã. Præterea, si certo annorum tempore, videlicet quadraginta annorum spatio quater, ter, aut etiam bis Cappellaniã Episcopus contulerit, aut in ea instituerit Clericum nominatum, & oblatum à laico, haberi debet pro Ecclesiastico beneficio, quoniam consuetudine potest Ecclesia contra laicum præscribere. Vnde etiam si Cappellania prima sua institutione, & origine beneficium non fuerit, progressu tamen temporis, in beneficium Ecclesiasticum transire potest. Si igitur Cappellania, vel Episcopi auctoritate instituitur, vel cõferri solet, beneficium Ecclesiasticum censerit debet.

Sextò quæritur, An qui beneficium Ecclesiasticum non sibi collatum, sed commendatum, hoc est, non iure, & nomine tituli, sed iure, & ratione commendationis habet, Horarum canonicarum pensum exolvere debeat? quod perinde est, ac si quæreretur, An qui habet beneficium in commendam, (vt dicitur) non in titulum, persolvere Diuinum Officium cogatur? **Respondeo**, cum Medina de *Oration. quest. 7.* & cum Glossa in *cap. nemo, de electione, in 6.* ab omnibus recepta, eũ ad id adstringi, siue habeat beneficium ad tempus, siue in perpetuum commendatum. Idem quoque docet Nauarrus de *oration. cap. 20. nu. 16. Ledes. 4. part. 2. q. 16. art. 4. 5.* Nam etsi, beneficium cum datur, (vt aiunt) in commendam; hoc est, cum commendatur alicui, & non confertur, non habeatur in titulum, nec per collationem, vt vocant, satis tamen est, si is, cui commendatur, habeat verã beneficij administrationem spirituales, & temporales, in omnibus, ad tempus, vel in perpetuũ, Administratio enim eiusmodi in hac parte idem valet, quod titulus. Obijcies, titulum beneficij imponere legem preces Horarias perorandi: ergo qui titulum beneficij non habet, liber est ab ea lege, sed commendarius titulum non habet, ergo nec onus prædictum. **Fatemur** commendatarium non habere titulum; sufficere tamẽ legitimam beneficij, quam gerit, administrationem in omnibus, quæ ad beneficium attinent, ratione cuius administrationis, legitimè quoque fructus beneficij percipit, sicut Beneficiarius ratione tituli: verũ qui administrationem haberet temporalem, eadem lege minimè teneretur. Sic communis opinio.

Caput III.

Alie quæstiones de eadem re diluuntur.

PRIMO quæritur, An Adiuutor Beneficiarij preces Canonicas recitare debeat? **Respondet** Medina de *Orat. q. 7. ijs diebus debere, quib; supplet vices ei, cui est datus Adiuutor; alijs verò diebus minimè.* Nauarrus de *Orat. c. 20. nu. 17.* aliter respon-

det Adiu-

det, Adiuotorem videlicet solum cogi ea prestare, ad que datus est adiuotus, ac proinde si constitutus est ad canendum solum in Choro, id tantummodo facere debet. Et tandem concludit, Adiuotorem beneficiarij nullo iure cogi preces Canonicas recitare; quia beneficiarius non est, nec ratione vilius beneficij duos Clericos Diuinum officium persolvere oportet: sed is, cui datur adiuotus, est verè beneficiarius, ergo is solum cogitur pensum Horarum exolvere. idem censet Ledemius 4. part. 2. q. 16. art. 4. dub. 1. Dices; fieri posse, ut Beneficiario, quia morbo laborat, adiuotus detur, ergo cum Beneficiarius liber sit à lege, & præcepto preces Horarias recitandi, adiuotus eas recitare debebit. Respondet Nauarrus, hoc solum argumento concludi, oportere adiuotem id præstare, & supplere, ad quod est datus: Adiuotus vero non datur ad officium Diuinum pro alio persoluum, sed ad sacrum faciendum, vel ad Sacramenta conferenda, vel ad cantandum in Choro, aut alia ratione inseruiendū Ecclesiæ. **QVAERITUR**, an aliquis saltem Adiuotus beneficiarij preces Canonicas recitare debeat? Quæstionem mouet, quia interdū dari solet adiuotus Parocho ob amentiam ipsius, aut ingrauentem, & decrepitanæ ætatem, vel ob alium quemlibet morbū perpetuum, quo laborat Parochus. Aliquando datur Adiuotus cum futura successione in Beneficio, hoc est, cum iure succedendi in Beneficio. Aut is adiuotus datur ad supplendum ex toto munus eius, & officium, aut ad supplendum tantum ex parte. Si primum, necesse est, ut Horarias preces recitet: alioquin enim non explebit, nec præstabit ex toto Beneficiarij partes. Si secundum, minimè cogitur Horarum pensum reddere, sed tantum id præstare, ad quod est institutus.

Ceterum ipse magis probò Nauarrus sententiã, Adiuotorem quatenus eiusmodi est, non cogi ad officium Diuinum persoluum, quia titulum beneficij non habet: nec subrogatur in locum Beneficiarij, ut eius vice preces canonicas recitet, sed ut alias eius partes expleat: aliunde igitur nimirum, vel quia est sacris ordinibus initiatus qualis esse solet Adiuotus, qui datur Parocho cum futura successione, hoc est, ut ei in Ecclesia succedat, vel quia ita est Adiuotus creatus, ut sit etiam in beneficiarium electus, lege preces canonicas Canoniarum tenetur.

Secundo quæritur, An qui habet beneficium, quod Manuale vocatur, debeat preces Horarias recitare? Respondet, debere: Animaduertendum est, beneficium Manuale, siue regulare, illud dici, quod ad nutum eius, qui confert, reuocari potest, dolo excepto, cap. Cum ad Monasterium, De Statu Monachorum, Clem. de Regularibus, De Supplen. neglig. Prælator. & Parrethæ, cap. Ad nostram. De Confirmat. vili, vel inuili. Quia igitur beneficium manuale ad nutum conferentis reuocabile est, non immeritò quæritur an imponat legem Beneficiario preces Horarias persoluum. Communi consensu docent omnes, in Clem. 1. de supplen. neglig. Prælat. Manuale beneficium idem prorsus iuris, & oneris habere, quod cetera beneficia, excepta facultate, qua est reuocabile ad nutum, & voluntatem conferentis, ut colligi videtur ex ipsa. Clem. 1. De supplen. Prælat. neglig. Et reuera id ex iure, & ratione ipsa conclu-

ditur: Siquidem, qui est miles ad tempus, etiam cogitur militia onera sustinere, dum militat. Deinde, beneficium Manuale quasi habitus, ut aiunt, & potestate, est perpetuum, cum Beneficiarius id genus beneficij permisso eius, qui confert, possit habere, quamdiu viuat. Postremo, perpetuum aliquo modo est, quod certo, & definito temporis intervallo non terminatur, etiam si detur, vel habeatur ad nutum, & voluntatem alterius, cui possit eius permisso ad vitam haberi. Nam dicitur perpetuum, quod est virtute, & potestate perpetuum Cardin. in Clem. 2. de rescrip. & colligitur teste Sylu. in verb. Dignitas, nu. 2. ex c. clericos in verbo, perpetuum. de cohabit. Clerico. & mulier, & Gloss. ibidem.

Tertio quæritur, An qui pensionem Ecclesiasticam habet ex aliquo beneficio sibi soluendâ, Horariorum preces legem teneatur? Communis est omnium opinio, Pensionarium ad id minimè astringi: hanc opinionem Sotus, li. 10. de iust. q. 5. a. 3. Medin. de orat. q. 7. Nau. de orat. c. 7. nu. 25. Ledem. in 4. p. 2. q. 16. ar. 4. sequuntur. Hanc quoque Canonici iuris interpretes probauerunt sententiam, & firmant ea ratione, quod Pensionarius proprie Beneficiarius non est, nec pensum beneficium, quamvis vsu, & more Curie Romanæ, in multis beneficio æquiparetur. Obijciunt, Pensionarium ius habere percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, ergo verè est Beneficiarius, & beneficium nihil aliud sit, nisi ius percipiendi fructus ex Ecclesiæ patrimonio. Respondet, in beneficio non solum ius esse percipiendi fructus, ex redditibus Ecclesiæ, sed ob ministerium factum, & Ecclesiasticum: at Pensionarius habet quidem ius accipiendi fructus, sed non ob ministerium Ecclesiasticum: pensio enim confertur alicui, ut vitæ subsidium, & alimentum habeat. **QVAERITUR**, an Pensionarius preces aliquas recitare iure debeat? Respondet, iure communi & antiquo eum non cogi, at iure nouo qui ut clericus pensionem obtinet, soluere debet paruū, quod vocat facium B. Marie virginis officium. Id enim decernit Pius V. in Constitutione cuius initium est: Ex proximo Lateran. Conc. quam Nauarrus habet in Mon. c. 25. nu. 122. vbi non in vniuersum iubet Pontifex omnem Pensionarium id officij prestare, sed eum duntaxat, cui tanquam Clerico pensio constituitur. Nec est, quod dicas, eam Constitutionem non esse vsu receptam; nam omnes iuniores Theologi, qui post eam scripsere dicunt eam esse seruandam. **ROGABITUR**, quis tanquam Clericus pensionem obtinere dicatur? Respondet, distinguendum esse; nam cum ad pensionem, que reseruat, & datur alicui, exigitur, ut is Prima saltem Clericorum tonsura initiatus sit: tunc pensio dicitur ei constituta tanquam Clerico: quando verò non requiritur, ut sit Clericus, tunc non habet pensionem tanquam Clericus: aliquando enim quibusdam conceditur pensio ob inopiam eorum, vel senectam, vel infirmitatem, vel eò quod sint bene de Ecclesia meriti, vel ob spem meritum erga Ecclesiam, vel ob laborem, & operam temporalem, nimirum ad tintinnabula pulsanda ad aperiendas templi fores, ad horologij curam, ad pueros Ecclesiæ instituendos, vel ad alia huiusmodi ministeria, & officia obeunda Sic etiam auctoritate Romani Pontificis pensionem habent certi quidam milites alioquin matrimonio quidem cõiuncti, sed aliquem regularem ordinem professi,

in qui.

in quibus nihil aliud requiritur, nisi illius ordinis professio vna cum habitu conuenienti suscepto. **QVAERES** itidem, an Clericus sacris ordinibus initiatus, vel ad beneficium Ecclesiasticum promotus, si simul etiam pensionem habeat, exolvere debeat Paruum B. Virginis officium, praeter septem Canonicas, & Horarias preces ratione illius Pontificiae Constitutionis a Pio V. editae supra memoratae: eod quod vniuersae praecipit, ut omnis Pensionarius, Paruum illud officium persoluat: igitur ratione beneficii, vel Sacri ordinis cogitur is Clericus septem Horarum preces Canonicas recitare, & quatenus Pensionarius, Paruum B. Virginis Officium soluere. **Respondeo**, sufficere, si septenas preces horarias persoluat, quoniam mens Pij Quinti ea videtur fuisse, ut pensionarius alioqui non adstrictus ad aliquas preces perorandas, Paruum Deiparae sacrum Officium persolvere cogatur.

Quarto quaeritur, An Titius certae alicuius Ecclesiae Canonicus creatus, septem Horarum Canonicas preces recitare debeat primo anno, in quo nullos prorsus ex beneficio fructus percipit, qui consuetudine, vsu, aut privilegio illius Ecclesiae debentur fabricae templi, siue sacrae aedis, vel in aliquem alium pium usum impenduntur? **Respondet**, Nauarrus in *tract. de orat. cap. 7. num. 30.* eum minime solui lege Diuini Officij recitandi, etiam illo primo anno, quod probat, quia beneficium cum suo onere transit in eum, in quem confertur: sed huiusmodi beneficium ex vsu, consuetudine, & privilegio habet hoc onus, ut fructus ex primo anno Canonico, non debeantur, ergo Canonicus cum hoc onere beneficium acquirit. Deinde beneficiarius debet Diuinum Officium persolvere ratione iuris, ac tituli, quem habet in beneficio, at huiusmodi Canonicus in primo anno vere habet ius, & titulum beneficii. **Accedit**, quod Canonicus sibi imputare debet, quod in primo anno fructus non percipiat: nam sponte sua beneficium acceptum, ac rata habet, ergo illud suscipit cum oneribus, & obligationibus ipsi beneficio annexis. **Sciendum** est, in Germania, Gallia, & Hispania multarum Ecclesiarum morem esse, ut Canonici, electi, & recepti nullos fructus in primo anno, immo etiam in secundo ex beneficio sibi acquirant: qui fructus aliquando debentur Canonici demortui haeredibus, vel creditoribus; aliquando referuntur, ut impendantur in fabricam templi, aliquando distribuuntur in ceteros Canonicos, pro eorum antiquitate, aliquando in alios pios vsus erogantur. Et nihilominus inter extrauagantes communes extat Pontificia constitutio, quae incipit, *Suscepti, Tit. Ne sede vacante*: & eadem ponitur inter Extrauagantes Ioannis 22. *De Electis*, ubi declarat, & decernit Pontifex huiusmodi Canonici, & Beneficiariis creatis dimidia fructuum partem, etiam ex primo anno deberi. Quo efficitur, ut ubicunque fuerit, haec constitutio vni recepta, Canonici debeant Diuinum officium primo etiam anno persolvere, quoniam dimidiam etiam saltem fructuum partem percipiendi eo anno ius habent. Vbi vero ea Constitutio non est vsu recepta, aut est consuetudine abrogata, consuetudini standum est, quae Canonici in primo anno, aut etiam in secundo fructibus pri-

uat. Et tunc quaestio proposita locum habet. **Antales Canonici**, eo ipso, liberi reddantur ab Horarijs precibus recitandis. De qua re in primis dicimus; si consuetudine, vel privilegio Ecclesiae fructus ex primo anno referuntur Canonici defuncti haeredibus, aut creditoribus; tunc Canonici debent Horarum preces Canonicas recitare, etiam primo anno, quo nullos percipiunt fructus, quoniam, cum & ipsi e viuis excesserint, solito commodo fruuntur: nam referuntur eorum haeredibus, creditoribusque fructus percepti ex primo anno Canonico non succedentium. Idem iudicium de Canonici est in primo anno fructus beneficii non acquirentibus, eod quod tertiae Ecclesiae more, vel privilegio referuntur alijs canonicis antiquioribus, in quos distribuuntur: siquidem eodem privilegio, recentes canonici gaudent, posteaquam antiquiores euaserint.

Quare tota quaestio est, quando fructus ex primo anno, vel etiam secundo consuetudine, vel statuto Ecclesiae alicuius in alios pios vsus impenduntur. Dux sunt opiniones, quarum prima negat, praedictos Canonicos debere Diuinum officium persolvere, quoniam nullos eo anno fructus acquirunt sibi, nec vero vnquam eos sunt fructus percipiendi: ergo perinde est, ac si beneficiarius non esset. Deinde qui altari seruit, debet ex altari viuere, & sustentari. **Postremo**, licet titulum, & ius beneficii habeant, fructibus tamen, spoliatur, nec per ipsos stat, quo minus fructus percipiant: his enim, velint nolint, ratione consuetudinis, privilegij, vel statuti priuantur.

Secunda opinio affirmat hos canonicos esse cogendos preces horarias persolvere, eo argumento vtens, quia beneficiarius, propterea quod sponte sua beneficium accepit, & ratum habet suscipit in se quicquid oneris inest beneficio, & subijcit se legibus, statutis, consuetudinibusque Ecclesiae, in qua est situm beneficium. Ceterum quamuis vtraque sententia probabilis esse videatur, **Secunda tamen** magis probabilis apparet. **Animaduertendum** est, hoc, quod dixi, locum habere in eo, qui vere, & re ipsa est Canonicus, ita ut ius habeat in re, & non solum ius ad rem: nam si tantum habeat ius ad beneficium, beneficiarius vere, & re ipsa non est; sed solum spe, & iure, quod ad beneficium habet.

Quinto quaeritur, An qui beneficium impetrat a Romano Pontifice, cuius auctoritate omnes beneficii fructus alteri referuntur, debeat Diuinum officium persolvere. **Duplex** est opinio, **Vna**, quae negat, quam sequi videntur Paludanus in 4. d. 35. q. 5. ar. 5. Caiet. in sum. verbo *Horae Canonicae*, *Sot. lib. 10. de inst. quest. 5. ar. 3.* Turrecrem. cap. Clericus d. 9. q. 14. Nauarr. de oration. cap. 7. num. 28. Syluest. *horae* q. 2. Ratio eorum haec est, primum, quia qui non percipit commodum, nec debet onus sustinere. **Deinde**, quia per huiusmodi beneficium non stat, quo minus ex tali beneficio fructus sibi percipiat: quoniam eum Romanus Pontifex beneficii fructibus priuat, cum eos alteri referret.

Secunda opinio quae affirmat oportere eum pesum horarum Canonicarum persolvere, est opinio *Medinae de oratione qu. 7.* quam probat ille in primis, quia vere beneficii ius, & titulum habet. Deinde, hic beneficiarius propria voluntate beneficium

accepit,

acceptit, & acceptam ratamque habuit reservationem fructuum Romani Pontificis auctoritate factam, sibi igitur imputet, quod solum beneficij titulum habeat, nam perinde est, ac si sponte sua beneficij fructus ipse in alterum transfuisset: perinde itidem est, ac si progressu temporis ipsius consensu fructus beneficij alteri tribuantur. *Le-desimus in quarta parte secunda questione 16. artic. quarto, dab. 5. & Cordub. in suis casibus in casu 186. Arag. secunda secunda, questione 83. articulo duodecimo, ita distinguunt, ut ambas concilient opiniones: aut hic Clericus auctoritate, & iussu Pontificis beneficium suscipere cogitur, aut secus: Si primum, non adigitur septem Horarum preces Canonicas recitare, & sic, inquit, vera est prima opinio: quoniam tunc non sponte sua fructibus beneficij caret: si secundum, tunc, inquit, iure compellitur officium Diuinum persolvere, eo quod voluntate sua in beneficij imperationem, & ademptionem consentit, ac proinde se subicit oneri, quod scit Pontificis Romani auctoritate constitui, & imponi, & sic verior est, autem, secunda sententia, & ea praecipue locum habet in eo, qui licet fructus ex beneficio non capiat, habet tamen distributiones quotidianas, quas vocat, ex eo quod praesens adit in choro, dum officia diuina sunt.*

Mihi quidem, utraque opinio videtur probabilitatem habere, praesertim cum Doctorum testimonio fulciatur: sed secunda, quippe quae cum veritate magis congruere videtur, mihi magis placet ob rationes propositas.

Sexto quaeritur, An praecipuum sit beneficiario de Horarijs precibus recitandis ratione tituli, vel iuris, quod in ipso Clericus habet, an vero ratione fructuum, quos ex ipso Clericus acquirit? *Auctores passim sentire videntur, Clericum ad Horarijs preces Canonicas adstringi, ratione tituli, & iuris, quod habet in beneficio, quoniam eo ipso, quod est beneficiarius, dominium, vel quasi dominium beneficij habet, locum item in Choro, & suffragium in collegio Clericorum, certam itidem honoris gradum in Ecclesia, multus denique alijs privilegijs gaudet, & varijs de causis solet beneficij fructibus spoliari, & nihilominus lege precatationum recitandarum tenetur obstrictus. Quibusdam vero videtur, beneficiarium ad officium Diuinum persolvendum solum ratione fructuum compelli: quia alioqui, inquit, si per vim, iniuriamque impeditur, quominus, vel beneficij possessionem adipiscatur, vel fructus acquirat, Horarum preces canonicas recitare deberet.*

Vna est omnium opinio, quotiescunque beneficiarij consensu per alium beneficij fructus percipiuntur, oportere ipsum Horarum Canonice-rum pensum persolvere: ratio est, quia quamuis per se fructus minimè percipiat, per alium tamè percipiat, ut si beneficiarij parentes, fratres, propinqui, familiares, vel amici ipso annuente percipiant: quod fieri quotidie videmus. Certi itidem iuris est, quoties per beneficiarium fiat, quominus fructus ex suo beneficio percipiat, eum iure adstringi ad Horarum preces Canonicas recitandas: ut si beneficij possessionem sua culpa non capiat, aut sua voluntate in irregularitatem incurrat, vel ob delictum suum excommunicat-

tione, suspensione, vel interdicto feriat, vel si sponte sua in Ecclesia non commoretur, & refideat, aut Ecclesia non seruiat, cum comòde possit, & ob id, vel ob aliud crimen, beneficij fructibus priuatur. *Mud etiam nemo negat, beneficiarium debere horarias preces canonicas recitare, si distributiones quotidianas beneficiarijs dari solitas acquirat, tamen si beneficij fructus non percipiat. Distinguantur enim saepe beneficij fructus à distributionibus: vbi ergo est huiusmodi distinctio, solae distributiones quotidianae sufficiunt. Compertum quoque est, quoties per beneficiarium minimè fiat, quo minus sibi fructus acquirat, tunc eum solum, ac liberum esse à lege, & praecipuo de Horarijs precibus perorandis, ut si per vim beneficiarius suo beneficio spoliatur, quod contingit in prouincijs Hereticorum, qui beneficia Clericorum inuadunt, & occupant. Item, si per Reges, & Principes, qui suum quod habent, ius Patronatus defendere, & tueri contendunt, Clerici impediuntur, & arcètur à beneficijs, ad quae sunt electi, possessione acquirèda. Postremo, his omnibus exceptis, beneficiarius ratione iuris, & tituli in beneficio acquisiti Horarias preces Canonicas recitare compellitur, quando ratione tituli habet suffragium in collegio Canonice-rum, & sedem in Choro, & certum honoris locum seu gradum in templo, & fructus expectat, quos tempore debito percipiet.*

Septimò quaeritur, An beneficiarius officium Diuinum persolvere debeat à die collati sibi beneficij, an verò à die possessionis obtentae? *Respondet, Nauarr. in tracta. de orat. capite septimo, numero 29. à die collati beneficij: quoniam ab eo die incipit beneficij ius, & titulum habere, & per collationem, ut vocant, fit Clericus quasi Dominus beneficij. Ex eo item tempore etià antequam apprehendat possessionem, debentur Clerico beneficij fructus, & cum possessionem nanciscitur, & capit, beneficiarius percipit fructus non solum praesentes, sed praeteritos à die collati sibi beneficij. Collationem verò beneficij accipiunt in praesentia, ut rata habetur à Clerico, cui beneficium datur: nam antequam in collationem Clericus consentiat, minimè ius in beneficio acquirit, quamuis Episcopus, qui confert, à collatione recedere iure nequeat, cum consensum Clerici, cui dat beneficium, expectare debeat, cap. Si tibi absentis, de praeben. in sexto. At Flaminij Parisiens. libr. 3. de resignat. beneficiorum, quest. 9. numero 15. censet non nisi à die possessionis apprehensae beneficiarium debere preces Horarias recitare, & ait id esse vsu receptum in curia Romana, & id docere Nauarrum in consil. 17. de celebrat. Missa. Ceterum id ibi Nauarrus non dicit, sed solum ait beneficia-rium eiusmodi lege non teneri ratione tituli, si nullos percipit fructus, nec expectat, nec sperat se eos percepturum. Si verò curia Romanae stylus, & mos id habet, tanta conscientia beneficiarius eum seruare potest. Et certe saepe còtingit, ut quis beneficium impetret, & ob tinea, & deinde, cum per se, vel per alium possessionem nancisci contendit, videt se nihil impetrasse, aut quia beneficium non vacabat, aut quia alius ante impetrauerat, aut multis alijs de causis. Et ideo probabilis est Flaminij Parisiensis sententia.*

Octavo quæritur, Quid dicendum sit de eo, cui beneficium confertur Romani Pontificis auctoritate, qui cum idoneus non sit ad seruendum Ecclesie, quod legitima ætate, ordine, literatura debita, vel natalibus careat, per alterum seruire compellitur; & ideo vel nullos, vel certe tenues fructus ipse percipit? Respondeo, sine dubio debere pensum Horarum persolvere, cum per ipsum stet, ne fructus percipiat: sibi enim imputare debet, quod sit ad beneficium electus ætate legitima, aut debito ordine, idonea literatura, vel iustis natalibus carens, nec sufficit si per substitutum sui loco Clericum debitum Ecclesie munus expleat, quandoquidem ipse ius, & titulum, & quasi dominium habet beneficii: alteri verò quasi stipendio conducto fructus beneficii redduntur.

Nono quæritur, An qui de certo aliquo beneficio litigant, debeant Horarias preces Canonicas recitare? Apud omnes certum, & exploratum est eum, qui beneficii possessionem habet, oportere Diuinum Officium persolvere; quoniam ratione possessionis ius habet in beneficio. Deinde, quando auctoritate Iudicis fructus detinentur, apud aliquem sequestrum depositi, is, qui ius habet in beneficio, & sperat se futurum in lite, & causa victorem, debet preces Canonicas recitare: quoniam fructus debentur ipsi, & lata sententia à die contestatæ litis recuperabit. Sic Nauar. *de Orat. ca. 7. nu. 28. Ledel. 4. part. 7. 16. art. 4. dub. 5. QVAERES*, quid dicendum, quando alter litigantium beneficium possidet, & reuera in eo ius non habet, cū sit in eum per errorem, dolumue collatum. Respondeo, eum in foro exteriori præter possessionem, quam habet, etiam titulum, licet non re ipsa in speciem tamē habere. Sufficit autem vnā cum possessione titulus in speciem acquisitus: quem titulum non verum, sed coloratum Canonici iuris interpretes appellant. Sed quid si neuter possessionem beneficii nactus sit, & vterque dubius est de iure, & lite, & causa. Respondeo, non esse, cur alterutrum cogamus preces Horarias persolvere: Siquid neutro in beneficio ius habet. Quid si lis, & causa sit dubia, sed vnus litigantium probabiliter sperat se in causa, & lite victorem futurum. Quidam aiunt eum debere preces Horarias recitare, quia credit, & sperat se futurum in lite superiorem, & fructus percepturum. Alijs probabilius videtur eum nondum lege teneri, quia ius in beneficio non habet: nec opinio, quam animo conceptam habet de victoria, ius illi dat in beneficio: aut cogit eum preces Horarias recitare. Hoc probabilius mihi videtur.

Decimo quæritur, An qui duo beneficia possidet, debeat bis in die Diuinum officium persolvere? Duæ sunt opiniones; quarum vna affirmat, eamque probat Nauarrus, afferens pro se Gulielmum Parisiensem, & Carthusianum, hisque eam firmare nititur argumentis. Primo, qui fert emolumentum, & commodum, ferre quoque debet onus, iuxta Regulam iuris in cap. *quis sentit, de regulis iuris in 6.* Deinde, quia Beneficium datur ad officium præstandum, vt constat ex cap. *ylti. De rescript. in 6.* Accedit, quod qui æs alienum duobus creditoribus debet, necesse est, vt vtrique debitum soluat, si vtrique velit satisfacere: sed qui duo beneficia in duabus Ecclesijs habet, preces duobus eorum

beneficiorum fundatoribus debet, & duabus pariter Ecclesijs ministrare. Sic enim, qui duabus est Capellanijs præfectus, sacra vtrique debita curat facienda: & qui duplici munere, & officio Republicæ fungitur, vtrumque per se, vel alterum præstat: & si cui impositum est præceptum de audienda bis re diuina, suo officio, & oneri minimè satisfacit, si semel tantum audiat, non bis. Sic Nauarr. *Miscellan. 60. de orat. num. 2. 3. 4.* Et loquitur de eo, qui habet contra, siue præter ius duo beneficia, non de eo, qui legitima Superioris, & legis auctoritate plura possidet. Idem senserunt Gulielmus Parisiensis in tracta. *de collat. beneficiorum*, & Carthusian. in libro *contra pluralit. at. benef. artic. 2.* Secunda opinio negat, quam re vera sequuntur Paludanus 4. d. 15. *quest. 5. artic. 1.* Turcrem. in cap. 11. d. 91. *quest. 13.* Maior. 4. *diss. 12. quest. 6.* Ioannes Liguarius, *de Horis Canonicis. qu. 9.* & quod plus est, S. Thomas *quodlib. 1. art. 13.* Paludanus enim, quem Turcremata, & Maior sequuntur, distinguit in hunc modum: Aut Clericus duo beneficia legitimo iure possidet, videlicet legitima iuris, aut Romani Pontificis auctoritate, & in dultgentia: aut contra fas, & ius possidet, & hoc dupliciter, aut vtrumque contra iura, aut vnum contra fas omne, & ius, & alterum debite, & iuste. Si vtrumque iure possidet, tunc ratione vtriusque debet Diuinum officium persolvere, sed non bis, quoniam si semel tantum persoluat, vtrique Ecclesie, suoque muneri satisfacit, vnus enim suffinet aliquando duorum labores, & fungitur munere, & officio duorum. Item, vno, eodemque opere duo interdum præcepta, immo etiam tria possumus implere: Vt Religiosus, qui ieiunium seruat ab Ecclesia, & Regula Religionis indicium, & voto susceptum, atque promissum. Si verò duo beneficia quis habeat, eaque contra ius, debet vtrumque deponere. Vnde quamuis semel, aut bis Diuinum officium persoluat, sibi beneficii fructus minimè acquirit, eoque debet restituere, quia absque beneficii titulo sibi percipit, ac retinet, ac si quid etiam damni Ecclesia patitur, id totum compensare debet: vt si Ecclesiam debito obsequio, & ministerio priuant. Quod si vnum beneficium iure tenet, alterum contra ius, illud, quod præter ius habet, debet dimittere, cuius fructus minimè suos facit, siue semel tantum, siue bis Horarias preces Canonicas recitauerit, & omne damnus Ecclesie illatum, cuius beneficium præter, aut contra ius possidet, debet resarcire. Hæc ex Paludano, Turcremata, & Maiore.

Illud verò quæritur, An si Romani Pontificis indulgentia, duo quis simul habeat beneficia, ita vt eiulmodi Pontificis indulgentia, & iuris relaxatio, in foro quidem Ecclesie valeat, non tamen coram Deo, suo officio satisfaciat, & fructus ex vtroque beneficio tuta conscientia percipiat, etiam si Horarias preces semel tantum singulis diebus recitet. Prædicti auctores respondent, in foro Ecclesie talem Clericum suo muneri satisfacere, si semel quotidie preces Canonicas recitet, non tamen coram Deo. Ecclesia enim cum lege sua Clericum soluat, liberat à pœnis iuris, sed non ab ijs, quæ iure diuino, ac naturali debentur. Sentiunt nimirum ij auctores, oportere etiam naturali, &

rali, &

rati, & diuino preces Horarias ob beneficii persoluere, aut saltem id aliqua ratione compensare, ne eum, qui Ecclesiam fundauit, dotauit, vel extruxit, debito fructu defraudet. Ceterum si hic beneficiarius damnum, si quod Ecclesia sustinet, refarciat, nullos fructus, quos ex utroque beneficio percepit, restituere iure compellitur: quandoquidem preces Horarias, quamuis semel tantum recitauit. Neque enim, ut statim dicam, Horarias preces Canonicas naturali, aut diuino iure recitare debet, aut si uictus restituere, etiam si eas prætermittat: tamen si Ecclesie, cui ratione beneficii deputatur, inferuire iure diuino, & naturali cogatur.

Ad obiecta uero in principio respondeo, aliud ius esse in eo, qui duobus creditoribus debet, vel qui duabus Cappellanij præficitur, vel qui bis rem diuinam audire debet: Cogitur enim utriusque oneri satisfacere. At uero, qui duobus est beneficiarius præfectus, quamuis ratione utriusque Diuini officium iure persoluere debeat, non cogitur tamé bis preces Canonicas recitare, sicut qui duplici præcepto quippiam facere compellitur, una eademque actione utriusque satisfacere potest ac soler. Dubitet quispiam, an is, cui Confessarius præcepit, ut audiat duo sacra, faciat satis, si ex uno loco commodè duo simul audiat. Deinde, an is, cui iussu alterius constitutum est, ut quinque templi, siue ædis sacræ altaria inuisat quinque orationem dominicam recitâdo, debitum soluat, & expleat, si ex eodem loco ad quinque altaria quinque recitet Orationem dominicam. Et utrum is, qui duos, uel plures precarios globulos habet Pontificia auctoritate sacros, debeat totidem preces fundere quot globulos sacros habet, quorum singuli eo sunt Pontificie indulgentiæ beneficio donati, ut qui semel precationem dominicam, & salutationem Angelicâ perorauerit, peccatorum remissionem obtineat. Ad primum, & secundum respondeo, eum satisfacere, si ex eodem loco duo sacra simul commodè audiat: nisi Confessarius aliud expresserit: aut coram quinque altariibus precationem dominicam quinque recitet. Ad tertium respondeo, peccatorum remissionem obtineri, dummodo bis Oratio dominica, una cum salutatione Angelica peroretur. Nam pro numero sacrorum globulorum fundi precatio dominica debet.

Vadecimò quæritur, An Beneficiarius, qui legitima auctoritate, uidelicet Episcopi, ratione literarij studij, uel iusta alia de causa, absens est ab Ecclesia, ei tamen commodè per alterum in sui locum suffectum inseruit, liber prorsus sit à lege, & præcepto precum Canonicarum recitandaru, si Clericus substitutus nomine ipsius eas recitet? Quidam, teste Panormitano in cap. 1. de celebrat. Missarum, senserunt esse liberum, dummodo sit Clericus solum minoribus Ordinibus initiatus. Quod probare contendunt ex eo, quod habetur in cap. Peruenit. 2. de appellat. & cap. Cum ex eo, de electio. in sexto. Archidia. in cap. Eleutherius. dist. 91. ait: Abbatem, & Petrum sensisse Clericum Beneficiarium, qui legitime abest ab Ecclesia ratione studij literarij, si substituat alium, qui officium faciat nomine ipsius in Ecclesia, non cogi preces Horarias recitare: quod, inquit Archidiaconus Theologi nō ad

mittunt. At multò uerius est, quod docuerunt Ioan. Andreas, Ioan. Lignanus, Albertus, Probus, Turrecremata in cap. Eleutherius, dist. 91. q. 6. Et uidentur colligi ex S. Thoma quodlib. 6. qu. 8. & Henrico quodlib. 15. q. 12. Et ipse Panormita. tradit, huiusmodi Beneficiarium ad preces Canonicas recitandas adstringi, quoniam cum abest ab Ecclesia, iusta ex causa, eo ipso, liber est à lege, & præcepto per se ipsum Ecclesie inseruendi, nō tamen à præcepto preces Canonicas recitandi. Subijcit tamen Ioannes Andreas, rationi consentaneum sibi uideri, si Ecclesia decerneret uti beneficiarij sacris Ordinibus non initiati, nec animarum curæ præficti, essent liberi, & soluti à lege, & præcepto de precibus Canonicis recitandis, ratione studij literarij, si per Vicarium aliquem suis Ecclesijs inferuiant: quod consilium Panormitanus approbauit.

Duodecimò quæritur, An is, qui receptus est in numerum Canonicorum, sed nondum Canonicatum adeptus est, adepturus primum, uel secundum, uel tertium, qui uacauerit, preces Horarias recitare cogatur? Responder Palud. in 4. dist. 15. quæst. 5. artic. 1. cogi, si eo ipso, quod est, ut Canonicus admissus, habet suffragium in collegio Canonicorum, & sedem in choro: & locum in publicis supplicationibus, item si percipit distributiones quotidianas, ut uocant, licet nō percipiat fructus. Reuera debet recitare, si ius in Canonicatu habet, non tamen si ius solum ad Canonicatum habet. Is enim nondum est Canonicus, sicut non est Beneficiarius is, quem Patronus nominat, & offert, donec legitime sit institutus: quia ius ad Beneficium, non est Beneficium.

Decimotertiò quæritur, Quo iure beneficiarius Horarias preces Canonicas recitare cogatur. Communis esse uidetur Canonici iuris interpretum sententia, eum ad id diuino, & naturali iure, hoc est, iustitiæ lege, non Canonico solo iure compelli. Sic sentiunt Abbas, Zabarella, Turrecremata, Antonius, Ancharanus, partim in cap. Dolentes, de celebr. Missar. partim in cap. 1. dist. 91. Angel. hora. num. 6. Rosella Hora. nu. 13. Tabienl. Hora. q. 15. Armill. Hora. nu. 11. & Nauar. de orat. cap. 7. num. 3. eo argumēto permoti, quod Laici, primitias, decimas, ac cæteras oblationes Ecclesijs dederint, ut Clerici Deum pro ipsis precarentur. Deinde, quia beneficium propter officium confertur, cap. vltim. de rescript. in sexto. Insuper, qui ex altari uiuit, altari inferuire debet, sicut è contrario Apostolus ait: qui altari inseruit, de altari uiuit; ergo beneficium non est uirtutis præmium, sed laboris merces, & operæ stipendium; ac proinde ei, qui non laborat, merces minimè debetur. Syluest. tamen Hora. q. 8. dist. 9. docet Beneficiarios solo Ecclesie præcepto ad Diuinū officium persoluendum adstringi.

Animaduertendum est, Abbatem, & cæteros, quos ante citauit, contendere, iuris esse diuini, ut saltem preces Canonicas Clerici persoluât, quia Scriptura dicit: Septies in die laudem dixi tibi. Beneficiarius item, ratione, & lege iustitiæ, quia ex beneficio fructus percipit, debet, inquit, pro Ecclesia precari. Sed profectò, ut superius uidimus, id non uerè, nec aptè ex eo Scripturæ loco deducunt. Deinde, eo ipso, quod Clericus ratione beneficii certæ Ecclesie deputatur; debet quidem

Psal. 118.

ipſi interire, ac miniſtrare per ſe, vel per alium; non tamen continuo fit, vt preces Horarias recitare cogatur: ſatis enim eſt, ſi eo modo, & ratione, Eccleſiæ ſeruiat, quam beneficij inſtitutio poſtulat. Porro beneficia, quæ ſunt inſtituta, interdum exigunt, vt Beneficiarius per ſe ipſum Eccleſiæ ſeruiat, interdum vt per alium id faciat. Quæſtionis tamen eſt dubia, an aliqua ſint beneficia, quæ nullum Clericū in Eccleſia miniſterium requirant. Item, an Clerici, qui ea habent cogantur iure naturali preces Horarias recitare, vt ſatisfaciant ijs, qui eiuſmodi beneficiorum reditus reliquerunt, ſiquidem nullum aliud officium obire, & exequi compelluntur. De primo, equidem communis opinio negare videtur vllum tale beneficium reperiri. At in Hiſpania videm⁹ eſſe beneficia, quæ Preſtimonia, vel Preſtimoniales portiones vocantur, quæ nec exigunt, vt Clerici in Eccleſijs aſſiduè commorentur; nec vt abſentes aliquem in ſui locum ſubſtituant, qui ſeruiat Eccleſiæ. De ſecundo, auctores, quos paulò ante citauimus, aperte docent huiusmodi Beneficiarios lege naturali compelli ad diuinum officium perſoluendum, vel ſaltem ad aliquas preces recitandas. Certè legi naturali ſatisfaciunt, ſi quæſcunque preces ad Deum pro fundatoribus beneficiorum fundant.

Cap. V.

Clericos ſacris Ordinibus initiatos ad preces Horarias recitandas, communi iure compelli.

P R I M O queritur, An ex iure Canonico colligatur, Clericos ad ſacros Ordines promotos oportere Diuinum officium perſoluere? Nam, vt Gloſſa refert in cap. vlt. d. 92. quidam dixerunt, Beneficiarios quidem iure ipſo cogi preces Horarias recitare, ſed non alios, qui nomine, & ratione ſui patrimonij ſunt ordinibus initiati. Canonici iuris interpretes communi conſenſu cum Gloſſa oppoſitum colligunt ex cap. Presbyter, diſt. 91. vbi ex Concilio Agathenſi habetur, Presbyterum ſeptem Horas Canonicas perorare debere: quod idem ſtatuitur in cap. 1. de celebrat. Miſſar. Item in c. Si quis Presbyter, diſt. 92. vbi decernitur: Si quis Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet alius Clericus Eccleſiæ deputatus in quolibet loco fuerit, in quo Eccleſia eſt, & ad quodiſcunq; psallendi officium matutinis, vel vespertinis ad Eccleſiam non conuenierit, deponatur à Clero. Verùm obijciunt quidam, ex his Decretis non colligi id, quod volumus. Nam in cap. Si quis Presbyter, ſolum habetur, Presbyterum, Diaconum, vel Clericum certæ Eccleſiæ deputatum, preces Canonicas recitare debere; quod perinde eſt, ac ſi diceretur, beneficiarios tantum Clericos ea lege teneri. Deinde in cap. Presbyter, diſt. 91. ſolum ſancitum eſt, vt Presbyteri eam legè obſeruent: Vbi nulla eſt facta Diaconorum, & Subdiaconorum mentio. Panormitan⁹, Gloſſa, & alij Canonici iuris interpretes ſentiunt, in cap. Presbyter, nomine Presbyteri contineri, quotquot ſunt ſacris ordinibus initiati; quod probant ex c. Si quis, de cohabitatione Clericorum, & mulier. Vbi habetur in hunc modum: Si quis conſacerdotum, id eſt, Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus de quacunque ſumina crimine fornicationis ſuſpectus. Et c. 1. 15. q. 5.

Vbi Diaconus quidam, cuius crimen erat ad indicium delatum, Sacerdos appellatur. Ergo appellatione Sacerdotis in ijs, quæ ad fauorem, & beneficium ſpectant, late accipiuntur etiam Diaconi, & Subdiaconi in ſacris Ordinibus conſtituti; quamuis in pœnis, & odijs nõ item. At enim hæc non efficaciter concludunt: quoniam eſt Sacerdotis nomine, Canon. 8, & Iura interdum accipiunt Diaconos, & Subdiaconos, licet Presbyteri non ſint, ſed certè ſi tantum nominis etymologiæ ſpectem⁹, ijs, qui ſacra dat, Sacerdos dici poteſt, quod in Diaconos, & Subdiaconos quadrat: Cæterum appellatione Presbyterorum in Iure nõ veniunt Diaconi, & Subdiaconi. Vnde Nauarrus traſt. de Oratione, ca. 7. nu. 2. planè teſtatur nullum extare in Iure Canonico decretum, quo præcipiatur Diaconis, & Subdiaconis, vt Officium Diuinum perſoluant, id enim licet de Sacerdotibus generatim conſtitueretur, dicere meritò poſſemus, Sacerdotes accipi preſe, & ſtriçtè, non late, & amplè. Ex quo fit, inquit Nauarrus in eodem traſt. de oratione, cap. 7. nu. 2. vt Diaconi, & Subdiaconi generali totius Eccleſiæ conſuetudine, eadem lege teneantur, qua Presbyteri, & Clerici beneficiarij: conſuetudo enim vim legi habet moribus vniuerſium recepta.

Secundò queritur, An Clerici ad minores ordines electi, eadè lege alligentur, qua Diaconi, & Subdiaconi? Gloſſ. in c. Si quis Presbyter, paulò ante citato, videtur affirmare; nec diſſentiunt Innocent. Hoſtienſ. Ioan. Andr. & Panormit. in c. de celebra. Miſſa. Cenſent enim, iure quidem cõmuni eos cogi Diuinum officium perſoluere, ſed quia conſuetudo hoc ius abrogauit, liberos eſſe à præcepto preces Canonicas recitandi; quamuis Panormitanus ſubijciat, conſuetudine eos à Iure Canonico excipi, ſed non à Iure diuino: nam eo ipſo, quod ſunt Clerici electi, ad fortè, & hæreditatem Domini vocantur, & ſunt à Laicis omnino diſcreti, & Eccleſiæ priuilegijs gaudet, & eiſdè munerib⁹ potiuntur; & idcirco Diuinū officium eis eſt perſoluedū. Sed proſectò Panormitanus nullo firmo conſicit argumeto id, quod cõtendit. Nam Clerici nõ niſi iure Põnificio Horarias preces Canonicas recitare debent, quod ſi iuris Diuini eſſet, vt huiusmodi preces perorarent, nequaquam conſuetudine introductum eſſet, vt ab eo onere liberi eſſent & immunes. Nec quia ad Clericorū gradus quis euahitur, officium Diuinū perſoluere debet: ei nimirū ſatis eſt, ſi debito Clerici officio, & munere fungatur inferuiens Eccleſiæ. **S** I R O G E S, an ea præciſè ratione, qua quis creatus eſt Clericus, aliquas alias preces debeat ad Deū fundere? Quis, qui id affirmat, nec tamè certas, ac ſtatas preces conſtituit. Alij verò deſiniunt, & determinant eas, dicentes huiusmodi Clericos, ſi quatuor Minoribus ſint Ordinibus initiati, debere quotidie recitare quindecim Pſalmos, qui cõſtituunt, quod vocant canticum graduum, aut ſeptem Penitentium Pſalmos, aut Paruum B. Virginie conſecratum Officium. Si verò prima tantum Clerici conſecrata inſigniti ſint, ab eis quotidie Pſalmum quinquageſimum, cuius initium eſt, Miſerere mei Deus, eſſe recitandum. Ad quod probandum, hæc illi rationem afferunt: quia Clericus, inquitur, neceſſe eſt, vt ſit grato animo erga Eccleſiam, quæ eum ad Clericorum gradum, &

honorem

honorem prouexit: grati enim esse debemus ijs, qui in nos beneficia contulerunt. At Sotus *libr. 10. de iur. q. 5. art. 3.* & Medina *trab. de oratione, q. 7.* manifestè negant tali eos iure, & lege teneri: nam gratias ijs, qui bene de nobis sunt meriti, multis alijs modis, si volumus, & habere, & referre possumus: neque enim ius naturale, vel diuinum certum modum, & rationem hac in parte præscribit. Immo addit Sotus, Episcopum non posse iure eos ad id obligare.

Tertio queritur, An saltem consuetudine tales Clerici adigantur ad preces aliquas quotidie fundendas? Sotus negat vllam esse huiusmodi consuetudinem. Medina tamen *loco citat. Nauar. de orat. c. 7. m. 13. Ledel. in 4. p. 2. q. 16. art. 4. dub. 6.* quique hos præcelsit Palud. *in 4. dist. 15. q. 5. a. 1. docent*, vbi fuerit vsu recepta talis consuetudo, eam ab huiusmodi Clericis seruari debere: nam sicut iure Canonico potest constitui, vt tales preces recitare cogantur; sic etiam consuetudine introduci poterit. & hæc videtur magis probanda sententia.

Quarto queritur, An Episcopi, qui Clericos ad quatuor Minores Ordines, vel ad primam Tonzuram promouent, possint eis hoc onus imponere, vt preces aliquas quotidie recitare debeant? Sunt, qui id affirmant, Sotus, vt dixi, planè negat. Sed certè vbi est consuetudo eas preces recitandi, Episcopi suo officio, & munere funguntur præcipiendo, vt eam seruent: Vbi verò non extat, meritò ambigi potest, an fas sit Episcopis, id oneris, quos dixi, Clericis iniungere. Negat Sotus, sed affirmat Nauarrus *loco citato*. Meo iudicio, si Episcopus solum præciperet, vt semel tantum, vel bis, tertie certos aliquos Psalmos, vel preces recitarent, præceptum vim, & locum haberet tanquam de re bona, honesta, nec difficili, & graui datum: at si præcipiat, vt quotidie recitent; graue tunc onus imponet, & difficile præceptum dabit, quod proinde Clericos minimè tenebit.

Quinto queritur, An si Romanus Pontifex cõcedat, vt aliquis Subdiaconus vxorem ducat, hoc ipso, cum soluat lege Horarias preces Canonicas recitandi. Item, quid sit dicendum, si fingamus Titium matrimonium ratum cum Catharina contraxisse, & deinde clam ad Diaconum, aut Subdiaconi ordinem, & gradum esse promotum, quem Canonum iure, & auctoritate ab ordinis officio, & munere deiection Summus Pontifex ad suam vxorem accedere compellit: Queritur, an eo ipso liber sit ab Horarum Canonicarum pensio? Respondeo, minimè: nam Græci Sacerdotes matrimonio sunt iuncti, & tamen Diuinum Officium præstare coguntur. Deinde, qui Principis beneficio ab vna aliqua lege soluitur, nõ continuo soluitur ab alia, & ab vno vinculo solutus, non soluitur ab alijs: & relaxatio iuris communis beneficio Principis facta, non amplè, sed strictè est interpretanda. Nihilominus tamè iusta subest causa, quia Romanus Pontifex huiusmodi Diaconum, vel Subdiaconum soluat lege preces Canonicas recitandi, eo quod difficile, & graue sit onus Clerico rei familiari, & vxoria vacanti.

Sexto queritur, An Clerici, siue Beneficij, siue sacris Ordinibus initiati, debeant Diuinum Officium persolvere, si fuerint excommunicatio

ne, interdicto, suspensione, seu irregularitate affecti, vel omni Clericorum officio, & ministerio priuati, vel etiam ab omni Clericorum gradu, & loco deiectione? Respondeo, ex communi omnium sententia, vt testatur Syluest. *Hora. quest. 3.* eos omnes adhuc lege, & præcepto recitandi preces Canonicas teneri: quoniam culpa sua in eas pœnas inciderunt. Idem iuris est in eo, qui per sententiam Iudicis fuerit ad triremes damnatus, aut à Turcis captus in triremes coniectus, & remigandi ministerio additus.

Caput VI.

De Religiosis ad Diuinum Officium persoluentum adstrictis.

PRIMO queritur, Quam Religiosi preces Canonicas recitare debeant? Constans est omnium opinio, Religiosos certum aliquem Ordinem regularem Ecclesie auctoritate approbatum professos, & ad chorum, & cantum in eo deputatos, debere Horarias preces Canonicas recitare, tametsi ad nullum Ordinem sacrum promoti fuerint. Innocent. Hostiens. Ioan. Andreas, Abbas, & cæteri. *in cap. 1. de celebrat. Missarum. Idem iuris est de sanctimonialibus sœminis eodem modo professis, vt expressè tradiderunt Anton. 3. par. tit. 13. capit. 4. §. 1. Turcrem. in cap. 1. dist. 91. quest. 15. Nauarr. de orat. cap. 7. m. 21.* licet alij nihil expressè dixerint.

Secundo queritur, Quomodo iure prædicti Religiosi ad Diuinum Officium adigantur, Canonico ne, an consuetudine, an vi, & ratione ipsius Religionis, quam profitentur? Caietanus *in summa, verbo, Hora canonica*, negat vllò iure canonico eos ad id compelli: Vnde fatetur eos sola consuetudine vbique recepta cogi preces canonicas recitare. Paludanus *in 4. dist. 15. quest. 15. artic. 1. docet*, naturali iure hoc eis onus impositum esse, quia ex Christiani populi bonis in eleemosynam acceptis sustentantur, & viuunt, ac proinde debent pro ijs, qui bene de ipsis sunt meriti, precari. Cæterum probabilior est Caietani sententia: alioquin Nouitij quoque, & Religiosi omnes nondum professi ea lege tenerentur, cum & ipsi ex bonis Laicorum oblatis, & datis alimenta suscipiant.

Tertio queritur, An Nouitij, qui chori, & cantum frequentant, persolvere debeant Diuinum officium? Paludanus videtur affirmare, ob id, quod ex eleemosynis viuunt, & gaudeant priuilegijs Clericorum. Sed communis est omnium opinio, eos ab hoc onere esse immunes, & liberos: quoniam reliqui doctores solum docet hoc præcepto obligari eos, qui sunt religionem professi, & ad chorum, & cantum destinati.

Quarto queritur, An Religiosi professi, qui Conuersi dicuntur, Horarum precum lege teneantur? Paludanus, & Antoninus *locis citatis*, id videntur affirmare, & Augustinus Anconitanus, teste Syluest. *Hora. q. 2. dist. 7.* quia ex bonis Laicorum viuunt. Sed cæteri communi consensu negant; quoniam, vt paulò ante dixi, Religiosi nullo naturali, aut diuino iure coguntur preces Canonicas recitare; sed consuetudine vsu recepta. At consuetudine huiusmodi Religiosi Conuersi ab hoc onere sunt liberi. Et idem iuris est de Sancti-

momialibus religionem professis, quæ conuersa dicuntur. Ex quo fit, vt Religiosi equites militaris Ordinis institutum, & regulâ professi immunes sint à lege, & præcepto preces Canonicas persoluendi. Satis est, si eas preces quotidie fundant, ac recitent, quas eorû Regula præscribit, ac præcipit.

Quintò quæritur, An Religiosus professus, & deputatus ad cantum, & chorum adstrictus sit Horis canonicis, si è Monasterio fugiat? Respondet, adstrictum esse: quoniam spontè, & vitio suo è Monasterio recedit; & propterea nihil refert, si à choro absit, & aliunde, quàm ex Monasterij bonis sustentetur, cum vtrumque sua culpa contingat. Nauar. de orat. cap. 7. nu. 19. & 20.

Sextò quæritur, An Religiosus ob delictum suum per sententiam è Monasterio eiectus, sit ab Horis canonicis liber. Nauarrus de oratione, cap. 7. numer. 20. negat eum esse liberum, cum sit adhuc Religiosus, & ipsius vitio factum sit, vt è Monasterio eijceretur. Sotus verò lib. 10. de iust. question. 5. artic. 3. videtur contrarium asserere; quoniam Religiosus Horarum canonicarum lege nequaquam simpliciter est adstrictus naturali, aut diuino iure, quatenus talis est, sed consuetudine, quatenus ad chorum deputatus. Sed qui per sententiam expellitur, amplius non est choro addictus: ergo ab Horis canonicis liber est, & immunis. Videtur mihi Nauarri sententia probabilior: neque enim par est, vt quis ex delicto suo commodum reperteret. Sed quid dicendum de Religioso, qui est cantui, & choro mancipatus, & per sententiam ad trirèmes damnatus? Respondet Nauarrus eum etiam lege de Horis canonicis teneri, quoniam culpa sua eam poenam sustinere, & perferre compellitur. Aliunde tamè iustam excusationem habere potest eius oneris; vt si horariorum precationum codice careat, aut si habeat quidem preces tamen recitare commodè nequeat.

Septimò quæritur, An Religiosus si cum fuerit destinatus ad chorum, ad Conuersorum Ordinem transferatur, superiorum iussu, & auctoritate, ab Horarum canonicarum pensio, & lege eximatur? Sotus loco citato affirmat, & inde probat: quoniam ea lex dicta non oritur, aut manat ex vi, & natura Religionis, sed ex consuetudine, & ex eo, quòd Religiosus deputatur ad chorum: ergo qui legitima Superioris auctoritate liberatur penitus à choro, eo ipso, à lege Horarum canonicarum solutus censetur. Deinde, Beneficia rursus, si beneficium deponat, ac sacris Ordinibus non sit initiatus, ab eodem onere excipitur: ergo similiter Religiosus, qui à choro diuellitur, ab eodem onere liberatur: atque hæc sententia videtur esse satis probabilis. Ex quo fit, vt Religiosus ad trirèmes damnatus, vel è Monasterio per sententiam eiectus, liberari queat ab Horarum canonicarum pensio, si auctoritate Superioris remoueat, ab eo statu, quo erat ad chorum deputatus, & ad statum reliquorum Conuersorum transferatur, eo quòd sit Religiosus sacris Ordinibus carens.

Octauò quæritur, An eiusmodi Religiosus Romani Pontificis auctoritate, & beneficio extra Monasterium viuens, lege Diuinum Officiû persoluendi teneatur? Nauarrus affirmat, ea conditione, si à tribus Religionis votis solutus non sit.

Contra alij distinguunt: Aut in perpetuum extra Monasterium viuere permittitur, aut ad tempus solùm: Si primum, eximitur ab onere prædicto, quoniam eo ipso, liberatur à choro, ratione cuius consuetudine, & vsu eiusmodi onus existit: at si secundum, minimè, quia non est à choro, & cantu in perpetuum liber. Et hæc mihi videtur verior sententia.

Caput VII.

De Horarijs precibus Canonicis integrè, & perfectè recitandis.

PRIMO quæritur, An precationum canonicarum omisso lethali peccato conscientiam comaculet eius, qui eas preces prætermittit? Quidam senserunt, commaculare quidem, si per contemptum, vel cum aliorum offensione, vel ex consuetudine omittantur; secus verò non item: etiam si earum omisso sit cù negligentia coniuncta: tunc enim, inquit, venialis noxa, nõ lethalis contrahitur. Sic Angel. in verb. Hora. n. 10. censet enim legem de recitandis priuatim precibus Horarijs conscientias clericorum leuiter, non grauius obstringere. Cæterum cõmunis est Canonici iuris interpretum, & Summistarum opinio, culpam lethalem comitti; tamen si Diuinum officiu absq; cõtemptu, per solâ negligentiam, sine iusta causa omittatur, cum alioqui recitari commodè posset. Nam si ratione Canonica legis, siue consuetudinis, eas quis recitare debeat, præceptum est de re graui; ac propterea minimè sine causa iusta prætermittendum: alioqui culpa lethalis contrahitur ab eo, qui omittit sine iusta, & debita causa. Sic Nauar. de orat. cap. 7. nu. 1. vbi citat Henricum, Paludanum, Turrecrematam, Caietanum, Syluestrum, & alios.

Secundò quæritur, An lethaler peccet, qui vnus tantum Horæ officium integrum omittit, videlicet Primæ, aut Tertie, aut Sextæ, aut Nonæ? Respondet Nauar. loco citato, ex cõmuni sententia, eum lethale peccatum admittit, si citra causam legitimam omittat: quoniam quilibet Hora Officij Diuini, pars nõ modica, sed notabilis habetur.

Tertiò quæritur, An qui vnus Horæ vnũ Psalmum scienter prætermittit, in lethale peccatum incurrat? Respondet Nauarrus de oratione, cap. 7. nu. 44. eum, qui omittit vnus Horæ vnã partem notabilem, lethali se peccato obstringere: & hæc est communis omnium sententia. Verùm merito quærat aliquis quænam sit pars notabilis cuiusq; Horæ? Respondet idem Nauarrus, in Prima, Tertia, Sexta, Nona, notabilem partem omitti, si rotum principium vna cù Psalmo negligatur. Sed respondet Antoninus, quem refert ipse Nauarrus, singularium Horarum partem notabilem omitti, cum tertia pars prætermittitur: nam quantumcunque sit certum aliquod totum, siue magnum, siue exiguum, & tenue, pars eius notabilis censetur tertia. Verùm licet tertia pars in quolibet toto sit notabilis, negari tamen non potest, etiam partem minorem tertia, esse notabilem, quando totum aliquod est magnum. Exempli gratia Dies festus constat viginti quatuor horis à media nocte, vsque ad alteram mediam noctem, tertia pars est octo horarum, certè si quis in die festo per quinque, aut quatuor horas opus seruile fecisset,

fecisset, notabiliter, siue grauitur peccasset. Et qui trecentos aureos debet, non solum grauitur peccat, si centum non soluat, sed etiam si triginta, aut viginti deneget, ac sibi retineat.

Quarto queritur, An qui per totum diem omnium septem canonicarum Horarum officium absque legitima causa prætermittit, septies peccet, an semel tantummodo? Duæ sunt opiniones. **Prima** docet septem esse omissiones, ac proinde septem peccata re distincta: quemadmodum si quis quadragenarium ieiunium, quod proximè ante Pascha seruatur, negligeret, tot peccata committeret, quot sunt eius ieiunij dies. Sic etiam, quia septies in die orare quis debet, septies peccat, septem Horas, aut tempora orationi destinata negligens. Sic Tabienf. in *verbo*, *Hora. quest. 18.* **Secunda** opinio tradit, vnum tantum peccatum admitti in omittendo septem Horarum officio: grauius tamen, quam si pauciores Horæ prætermitterentur: Atque hæc est **communis consensus recepta sententia.** Sic Nauarr. de *oration. capit. 7. numer. 6.* vbi citat Turrecrematam, Zabarellam, Archidiaconum, Antoninum. Sic Rosell. *supplementum Pisan. vt refert Syluest. Hora. quest. 12. dist. 6.* Præcipuum huius questionis caput eo nicitur, An omnes septem preces Horarum vnum Clerici ministerium, obsequium, & officium constituent, ita vt quælibet Hora illius totius Officij pars habeatur, an verò sint septem inter se diuersæ preces, quasi septem Officia, septem diei distinctis temporibus à Clerico persoluenda. **Prima** opinio, septem Officia esse censet. At **communis opinio** vnum tantum vult esse Officium, quotidie præstandum à Clerico, ex septem partibus constans: quæ sententia meo iudicio, ad veritatem magis accedit. Si quis igitur septem canonicas Horas die vno prætermittat, in vnum tantum peccatum incurrit, quoniam vnum integrum quotidianum Officium negligit. Qui tamen per mensem, vel hebdomadam, vel annum Officium Diuinum omiserit, tot peccata peccat, quot sunt dies, in quibus Diuinum Officium prætermittit; siquidem dierum illorum Officia, non vnum totum Officium constituunt.

Animaduertendum est, non esse idem iuris de omissione Diuini Officij, quod de actu voluntatis interno, quo quis sæpius per diem secum statuit canonicas preces omittere. Voluntas enim omittendi sæpius repetitur, dum sæpius confirmatur, vt quidam existimant, aut saltem dum sæpius intermissa reuocatur, vel sæpius interrupta renouatur. At omisso Officij septem Horarum per diem minimè iteratur, sed vna tantum existit. **Nec in præsentia sermo est de eo,** qui sciens vnus Horæ officium omittit, cum tamen decernat in Horis cæteris orare; & deinde appetente tempore, quo in alia Hora persoluere Diuinum officium deberet, id quoque tunc temporis scienter omittit: hic enim proculdubio bis peccauit, quoniam quælibet omisso per se in vitio fuit, & culpa. Cum igitur communis opinio docet, in septem Horarum officio omittendo vnum tantum peccatum admitti, locum habet in eo, qui vna voluntate simpliciter omnes septem Horas canonicas scienter prætermittit. Vnde quidam non bene voluntatis actum internum sæ-

pius in die repetitum, cum ipsa omissione confundunt.

Quinto queritur, An Presbyter, vel Beneficiarius suo muneris, & officio satisfaciat, si in persolendo officio Diuino sibi socium adhibeat, ita vt ambo alternos Psalmorum, & Responsoriorum versus, & lectiones recitent. Communis est opinio eum satisfacere, vt testantur Maior in *4. diffin. 12. quest. 6.* & Nauarr. de *oration. cap. 10. numer. 16.* vbi citat Henricum, Antoninum, Paludanum; sic etiam Syluest. *Hora. quest. 7.* Et id ipsum vsus, & consuetudo confirmat. **Quæres,** an solum ratione consuetudinis huiusmodi, Clericus suum munus, & officium expleat; an verò etiam vi, & natura legis? quod perinde est, ac si quæras, an iuris Canonici sit, vt clerici per seipsos preces Horarias recitent integras, & consuetudo induxerit, vt alternis versibus eas persoluant. Sunt, qui putant id solum consuetudine esse receptum. Mihi tamen verius apparet, quod alij tradiderunt, canonica iura tantum exigere, vt Psalmi, Responsoriorum, Canonica, & Lectiones in officio Diuino alternatim à clericis recitentur. Refert Augustinus lib. 9. *Confession. cap. 6. & 7.* introduxisse Beatum Ambrosium in Ecclesiam Mediolanensem, quod in alias deinde Ecclesiis Occidentis manauit, vt Psalmi, & Hymni alternatim more Orientalium dicerentur: quod idem tradiderunt Isidorus lib. 1. de *Ecclesiast. officijs, cap. 7.* Raba. lib. 2. de *institut. cleric. ca. 50.* & Paulinus in *Vita S. Ambrosij.* Et Socrates lib. 6. cap. 8. scriptum reliquit, ab Ignatio institutum esse in Ecclesia Antiochena consuetudinem alternis versibus canendi. Sic etiam Cassiodorus lib. 10. *Tripur. histor. cap. 9.* Niceph. lib. 8. quamvis eum morem ad Flavianum, & Diodorum, Monachos Antiochenos referri debere, testatur Theodoretus lib. 2. *histor. cap. 24.* Et Basilius *epistol. 63.* ait, hunc vsus per omnes Orientis Ecclesias vbique seruari: quem retinuit S. Chrysostomus in Ecclesia Constantinopolitana, testibus Socrate in lib. 6. *Histor. Eccles. cap. 8.* Cassiodor. in lib. 10. *Tripur. cap. 9.* Niceph. lib. 13. cap. 8. Ex his perspicitur, à primis Ecclesiarum temporibus Psalmos alternis in Ecclesia cani solitos.

Sexto queritur, An clericus Ecclesiarum præcepto satisfaciat, si preces Canonicas recitet alternis versibus cum socio libero, ac minimè ad eas recitandas adstrictor Respondeo, satisfacere: nihil enim refert socius nē sit lege, & præcepto preces canonicas recitandi solutus, an adstrictus: nam Ecclesiarum præceptum clericus seruat, Diuinum officium, partim recitando, partim audiendo: nam clerici solent famulorum, aut aliorum familiarium vt ministerio, & opera in penso Horarum canonicarum soluendo.

Septimo queritur, An cum quis Horarias preces Canonicas vnā cum tribus, aut etiam cum quatuor socijs recitat, debeat aures, & animum ad singulos proferentes attendere? Respondeo, eum præcepto facere satis, si attentè audiat verba, quæ à pluribus pariter pronunciantur, ac si ab vno tantum dicerentur.

Octauo queritur, An cum quis alternis cum socio Diuinum officium persoluit, vna cum eo Orationes, Capitula, & Antiphonas recitare debeat? Respondeo, vt testatur Syluest. *Hora. quest. 7.*

affirmat Antiphonas simul ab utroque esse dicendas, quia in choro simul dicuntur. Sed verius est, quod Syluester, & Nauarrus de orat. cap. 10. num. 16. cum Paludano tradunt, sufficere, si quis attentè iudiat Antiphonas, Capitula, & Oraciones, cum dicuntur à socio.

Nonò quæritur, Quo modo Diuinum officium sit perfoluendum, quando preces canonicæ simul à tribus, quatuor, pluribusue recitantur? Respondet, vsu esse receptum, vt vnus vnus verficulum pronunciet, & cæteri cum plures sunt, simul alium verficulum recitent: & cum tres sunt, vnus primam lectionem proferat, secundus secundam, tertius tertiam: & vno Capitulum dicente, cæteri audiant. SI ROGES, an cum plures tribus sunt, sufficiat si trium quisque suam lectionem proferat, cæteris attentè audientibus? Quidam existimant tunc singulas lectiones à duobus, vel tribus simul dicendas. Sed certè, cum in choro vsus obtinuerit, vt tres tantum Clerici tres lectiones decantent, quisque suam, & cæteri canonici eas attentè audiant, negari non potest, quin etiam id extra chorum seruari tuta conscientia queat, vt tres tantummodo Clerici lectiones efferant, cæteris attentè, & studiosè audientibus.

Decimò quæritur, An cum quis voti Religione, vel ratione pœnitentiæ sibi iniunctæ certos Psalmos, vel Ecclesiasticum pro Mortuis officium, vel paruas sacras B. Virginis Preces, vel Letanias, vel Hymnos, aliasue quaslibet precatiões perfoluere, aut recitare debet, suo muneri satisfaciat, si hæc vnà cum socio alternis versibus dicat? Respondet cum Nauarro, de orat. cap. 10. num. 19. satisfacere: id enim de more seruatur. Ex quo fit, vt cum plures aliquid prædictorum recitare adiguntur, suum munus, & officium impleant, si omnes simul congregati alterne respondeant. QVAERES, an idè iuris sit in eo, qui aliqua obligatione deuinctus, eas preces recitare debet, quæ vulgo dicuntur Rosarium, Corona, & Psalterium B. Virginis. Affirmat Nauarrus, de oration. cap. 10. num. 19. Et rectè quidem meo iudicio: nam tuta conscientia huiusmodi pensum interpretari possumus esse reddendum eo more, quo Horarium officium exoluitur: ergo satis est, si cæ preces alternatim fundantur à duobus.

Vndecimò quæritur, An qui preces canonicas recitat verba diminuens, & de truncans, peccet? In Clement. i. de celebr. Missar. Clerici, & Beneficij quidam reprehenduntur Diuinum officium perfoluentes negligenter; eo quòd (vt ibi dicitur) Horas canonicas dicerent, leu piallerent, transcurrendo, syncopando. Idem quoque reprehenduntur in cap. dolentes. De celebr. Missarum. Vnde in Concilio Basiliensi Sessio. 21. §. Qualiter Hora canonica sint dicenda extra chorum, ita habetur: Quocumque etiam alibi Beneficij, seu in sacris constitutos, cum ad Horas canonicas teneantur, admones hæc sancta Synodus, vt si Oraciones suas Deo acceptas fore cupiant, non in guttore, vel inter dentes, seu deglutiendo, aut syncopando dictiones, vel verba, sed reuerenter verbis distinctis, siue soli, siue sociati cum alijs, officium Diuinum, nocturnumque perfoluant. Hæc ibi. Dubitandum non est, quin nonnullum peccatum admittat is, qui cum Diuinum officium perfoluit, verba mutila, & decurtata scienter proferat. Secus verò si id, vel vitio linguæ, vel

consuetudine quadam (vt sic dicam) ingenerata, & quodammodo in naturam conuersa faciunt. Preces enim Horariæ ita distinctæ sunt pronuntiantur, vt is, qui proferat, seipsum intelligat, & percipiatur ab alijs, quibuscùm simul orat. QVAERES, an Clericus, qui in recitandis præibus Horarijs, verba scienter dimiuit, syllabis abscissis, & amputatis, eas repetere debeat. Aiunt quidam esse repetendas; propterea quòd præceptum Ecclesiæ in cap. Dolentes. & Clement. supra citatis violat, atque perfringit. At verius est, quòd alij tradiderunt, Preces, quæ ita recitantur, non esse repetendas: nam etsi non nihil ea in re peccetur, legis tamen substantia retinetur. Et id à simili probari potest. Nam in cap. Retulerunt. de consecrat. dist. 4. rogatus Pontifex, an Sacerdos, qui per inficitiam linguæ Latinæ, dum baptizaret, nesciens Latine loqui dixerat: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ratum, & firmum baptismum contulisset? Respondit: Si solus fuit linguæ lapsus, & error, valuisse Sacramentum. Deinde in l. Quia debet. ff. De manumiss. testamento, sic statuitur: Qui habebat seruum Crastinum, testamento iacuit: Seruus meus Crastinus liber esto. Quæro, an seruus Crastinus ad libertatem peruenire possit, cum testator seruum Crastinum non habeat, sed vnum solum Crastinum. Respondet, nihil obesse, quòd in syllaba errasset. Si ergo Baptismus mutans syllabis, & testamento etiam syllaba corrupta valet, cur preces Horariæ etiam canonicæ non ratæ erunt, & firmæ, tametsi erretur in syllabis? QVAERES IN SUPER, an peccet is, qui è choro egrediuntur, antequam preces finiantur? Peccant. Legimus apud B. Gregor. libr. 2. Dialog. cap. 4. S. Benedictum vidisse Diabolum extrahentem quandam Monachum à choro ante preceptionis Horariæ finem; & tandem Benedicti flagello Diaboli fugatum. RYRSYS QVAERES, an peccet is, qui chorum tardius ingrediuntur? Olim, teste Calsian. libr. 3. De Institut. Monach. cap. 7. Monachis, qui ad Horas Diuinas, vtputa ad Tertiam, Sextam, vel Nonam non accedebant, antequam primus Psalmus finiretur, non licebat Oratorium introire; sed Cõgregationis missam stantes pro foribus præstolabantur. In nocturnis vero præibus Horarijs vsque ad finem secundi Psalmi permittebatur. Vnde nouum videri non debet, quòd in Synodo Basiliensi legitur constitutum Sessio. 21. cap. Quo tempore quisque debeat esse in choro, videlicet, absentes à choro non censeri, qui in Matutinis ante finem Psalmi, & ante exultemus, in alijs Horis ante finem primi Psalmi; In Missa ante vltimum Kyrie eleison officio Diuino intersunt. Hæc ibi.

Duodecimò quæritur, An qui debent recitare preces Horarias, debeant quoque recitare paruas preces. B. Virginis sacras, & debeant Defunctorum officium perfoluere. Respondet Nauar. de orat. c. 3. nu. 3. & 4. Ex sententia Ioannis Lignani, Alberti, Paludani, Cardinalis, & Turrecemate, hæc omnia officia esse perfoluenda ab eo, qui recitare Horarias preces cogitur, iuxta consuetudines statuta, vel formulam Ecclesiæ, cuius regulam in recitando Diuino Officio seruat: alioqui perfoluere hæc officia non cogitur. De hoc dicam inferius.

Caput VIII.

De Precibus Canonicis continenter, ac sine ulla interruptione recitandis.

PRIMO queritur, An sit iuris Canonici, ut Horarum preces sine interruptione recitentur? Respondeo, iure communi in vniuersum, Officia Diuina esse persoluenda non interrupte. De precibus vero Canonicis ius expressim continetur, in cap. *Dolentes, de celebra. Missar.* vbi reprehenduntur Clerici, & Beneficarij, qui cum Horas, hoc est preces canonicas, vel priuatim recitant, vel publice decantant, aliqua colloquia intermiscunt: De omnibus officijs Diuinis vniuersè ius colligitur, ex cap. *Nihil, de consecr. dist. 1.* & nos ipsa ratio naturalis conuincit. Nam qui cum Rege, vel Principe sermonem habet, eum minimè interrumpit, nisi rusticus, & inurbanus haberi velit. Nauarr. *tracta. de orat. cap. 10. num. 38. sequentibus.*

Secundo queritur, Quidnam interruptio Horarum precationum significet? Respondeo, Interruptionem dici, cum quis aliquam de precibus Horarijs canonicis ceptam intermittit animo & voluntate continuandi reliquam illius precationis, post finem eius, quod interponit, ut docet Nauarr. *tract. de oratione, ca. 16. nu. 66. sequentibus.* Interponuntur vero aliquando facta, aliquando verba, ut cum colloquia intermiscuntur.

Tertio queritur, An aliquando fas sit preces canonicas interrumpere? Negari non potest, quin iustis de causis liceat nobis eiusmodi preces interrumpere: ita ut eam partem, quam inceptam reliquimus, repetere minimè cogamur, ut statim dicam. Sed speciatim questio est, quænam sint iustæ causæ? Eas paucis aperiam. Iustæ causæ habentur, in primis cum opus est, vel concionem audire, aut habere; rem diuinam audire, vel facere; iussu Superioris opus aliquod, & officium præstare: quodlibet itidem virtutis opus efficere, aut aliquid salutis, honori, famæ, aut alijs bonis nostris, vel proximorum necessarium: has causas & alias similes, ut iustas approbat Nauarr. *tract. de orat. cap. 16. num. 68. & 69.* Et est animaduertendum, non sufficere iustam causam, & legitimam; sed talem adesse oportere, ut in aliud tempus differri commodè nequeat: quorum alterutrum si desit, precatio Horaria incepta minimè iure intermititur.

Quarto queritur, An tres nocturnæ vigiliæ diuidi iure communi queant à Matutinis laudibus, non solum per Horam; sed etiam per totam noctem interpositam? Respondeo, tuta conscientia diuidi ob quamlibet honestam causam: alioqui sine iusta, vel honesta causa diuidi iure non possunt: quia habentur tanquam officium vnius horæ: ac proinde simul cum Laudibus Matutinis, Nocturnæ vigiliæ persolui debent. Cæterum olim diuidi solebant, ut testatur Francolin. in *tracta. de Horis canonicis, cap. 2. nu. 13. & cap. 5. nu. 9.* ex Durando, & Waldensi, quos ibi citat. & nunc etiam Ecclesia diuidit in nocte Natalis dominici, quia sacrificium Missæ interponit, & in quibusdam Religioforum domicilijs, & conuentibus media nocte

Psalmi nocturni concinuntur; & deinde sub auroram Matutinæ laudes. In hoc consuetudo iuri derogare potest. Dubitabis, an seungi possint, & diuidi à le tres nocturnæ vigiliæ per Horam vnâ, aut duas, pluresc. Respondet Nauarrus de oratio, cap. 3. num. 64. iusta de causa fas nobis esse, diuidere. Nam alicubi pro Mortuis clerici non nouem Psalmos, & totidem Lectiones in tres Ordines diuisas decantant; sed tres tantum Psalmos cum totidem Lectionibus. **S**I R O G E S, an quando nocturnæ vigiliæ à Laudibus Matutinis separantur sine iusta aliqua causa, lethale peccatum committatur. Et an oporteat ante laudum initium Orationem dominicam cum salutatione Angelica recitare, iuxta regulas, & præceptiones, quibus statuitur, ut ante cuiuslibet precationis Horarum initium Oratio dominica cum salutatione Angelica recitetur. In primo, non existimo eum lethaliter peccare, qui sine rationabili causa diuidit; sed tantum leuiter. In secundo, Nauarrus censet esse Orationem Dominicam præmittendam, eo quod tunc officium Horæ à Nocturnis Psalmis distinctæ inchoatur: ipse enim, ut superius annotaui, putat octo esse Horas, id est, Horarias preces canonicas, ita ut tres Nocturnæ vigiliæ à Matutinis Laudibus distinguantur. At verò, quia vsus inualuit, ut vna tantum Hora, hoc est, vnius tantum Horæ officium censeatur, non video cur Oratio Dominica Matutinarum Laudum initium antecere debeat. **Q**U A E R E S I T I D E M, an cum tres Nocturnæ vigiliæ sine Matutinis Laudibus finiuntur, recitari debeat ad vigiliarum finem precatio Dominica? Constituunt enim Canonones, cuiuslibet Horæ Officium Diuinum per Orationem Dominicam terminandum. Respondet etiam Nauarrus de orat. cap. 3. num. 64. finiendas esse vigiliæ nocturnas per Orationem dominicam, quia faciunt Horam per se à Matutinis Laudibus distinctam. At cum sit vsu receptum, ut pro officio vnius Horæ cum Laudibus habeantur, iure non cogimur, eas per Orationem dominicam terminare.

Quinto queritur, An cuiuslibet alterius Horæ officium, puta, Primæ, Tertie, Sextæ, iusta de causa intermitti, interrumpiue tuta conscientia queat per aliquod temporis interuallum? Respondeo, posse, quia idem iuris est de harum Horarum officijs, quod de cæteris; nisi quod officia alia alijs sunt breuiora, nec ita frequenter iusta causa potest occurrere, ut breuiorum Horarum officia interrumpantur. **S**I Q U A E R A S, an dum quis Primæ, Tertie, Sextæ, aut Nonæ officium persoluit, vnum Psalmum inceptum, iure interrumpat per vnum quadrantem Horæ, aut eo amplius, non enim videtur in tam parua interpositione temporis, posse iure interrumpere. Respondeo, si iusta subit causa, dubitandum non est, quin sit iure permessa interruptio, etiam vnius Psalmi; ut si in genti malo subito occurrenti, obstitendum sit, aut aliquid aliud faciendum ob rationabile causam.

Sed dubie questionis est, an Diuinum officium repetendum sit, si ad longum temporis spatium interrumpatur. Nauarr. de oratione, cap. 16. num. 75. & Medin. de orat. quest. 16. prope finem, inlinuant esse iterandum; atque enim non esse repetendum, si ad

Ex cap. Id
semper. de
consec. d. 5.

breue tempus interrumpatur. Quidam generatim sentiunt, non esse repetendum etiam interruptum ad longum tempus. Sed probabilius videtur, quod Nauarrus, & Medina docent: quia interruptum ad longum tempus, videtur finire, non continuari.

Sextò quæritur, An qui Horariam precatione interrumpit per risum, iocos, aut sermones alioqui otiosos, & vanos, debeat eam repetere? Respondeo, minimè: ita Nauar. *de orat.* ca. 16. nu. 75. nisi quod dupliciter est peccatum; nimirum, peccationem interrumpendo sine iusta, & legitima causa, & otiosum verbum, aut vanum opus intermiscendo: sed in vtroque venialis tantum noxa contrahitur.

Septimò quæritur, An qui preces Horarias interrumpit animo, & voluntate non continuandi reliquum, quod superest; sed repetendi, quod est ante recitatum, Horariū pensum exsoluat, si postea continuet, nec repetat? Negant Nauarr. *de orat.* ca. 16. nu. 73. & Medina *de orat.* q. 16. versic. De tertio, eum satisfacere suo muneri, & officio: quoniam actus ultra mentem, & voluntatem non se protendit, ac fundit. Quidam alij generatim respondent eum suo officio satisfacere, etiam si nihil repetat; quia potest, inquit, voluntatem mutare, & ratum habere id, quod recitauit animo, & voluntate repetendi. Sed distinguendum est: aut enim is, cum ab initio coepit precatione Horariam recitare, in animo habuerat postea totum repetere; & tunc locum habet Nauarri, & Medinae sententia, aut initio non habuerat in animo iterare, sed reliquum continuare; & tamen postea animum, & voluntatem mutauit, quia statuit repetere, quod ante iam recitauerat, & tunc non cogitur repetere, licitum enim est nobis ab ea voluntate recedere, & pristinam reuocare. Verbi gratia, coepi recitare Tertie horæ preces, & eas interrupi animo & voluntate repetendi, quod dixeram, debeo postea repetere, vt Nauar. & Medina sentiunt; nam legi, & præcepto non satisfacio, cū in animo est mihi voluntas contraria non satisfaciendi. Si tamen interrupi, nec fuit in meo animo iterare, & postea cum precationem Horariam resumo, volo repetere, fas est mihi eam voluntatem mutare, ita vt nihil repetam, dum modo quod intermissum est, prosequar: nam totum quod est antea recitatum, valet, vt dicam in ferius ex sententia Nauarri. Et idem iuris est de sacro, quod quis in die festo audit ratione præcepti, quo tenetur: nam si initio in animo habet aliud sacrum audire, vt Ecclesie præceptum impleat, audire illud debet; siquidem nondum Ecclesie satisfecit. Si autem non statuit aliud audire; eo tamen audito, decreuit aliud audire, non cogitur alteri sacro interesse, est enim ei licitum à voluntate recedere, & ratum habere primum sacrum, quod audiuit. Item, si quis preces Horarias recitet voluntate legendi eas solum, non orandi, debet eas repetere: quia legere, non est orare.

Octauò quæritur, An idem iuris sit de cæteris, qui vel ratione voti facti, vel poenitentie à Confessario iniunctæ, vel Regulæ monasticæ debent aliquas alias preces recitare? Respondet Nauarrus, idem iuris esse nec immeritò, quoniam pre-

ces Canonice iustis de causis interrumpuntur, ergo & aliæ preces. Cum item alicui præceptum datur, vt quinque templa, vel altaria per vnum diem inuisit, illud obseruat, etiam si interruptis Horis, intra eandem diem id faciat. Hinc est, vt ij, qui quotidie recitare debent eas preces, quas vulgò vocamus Rosarium, Coronam, vel Psalterium B. Virginis, eas tuta cōscientia persoluant, etiam si manè certam partem recitent, & aliam sub meridiem, & aliam ad Vesperam ob occupationes, quæ passim interdum incidere solent.

Nonò quæritur, An Diuinum officium incompletum, & iusta de causa interruptum, iterari, ac repeti debeat? Respondeo, minimè. Sic Nauar. *tract. de orat.* cap. 10. num. 42. & ca. 16. nu. 66. & sequentibus, nam legis, & præcepti substantia seruetur, etiam si interrumpantur preces, sic etiam Medina *de orat.* quæst. 19. ad finem.

Caput IX.

De tempore, quo preces Horariae persolui debent.

PRIMO quæritur, An certis, statisque horis Diuinum officium sit recitandum, vt canonum, siue iuris communis, cum priuatim à Clerico persoluitur? Respondeo, *Clemen. 1. de celebr. Missarum* constitutum esse, vt diurnum, & nocturnum officium, in Ecclesijs, publicè temporibus debitis persoluantur, siue sint Ecclesie, quas vocant Cathedralis, siue Collegiate, siue Regulares, in quibus de more concinuntur Horarie preces. Sic Glossa in illa *Clementina*. Sic Innoc. Hostien. Ioannes Andreas, & Abbas in cap. 1. de celebrat. Missarum. Sed quamuis ius nihil ibi constituerit de ijs, qui priuatim extra Chorū pensum Horarum exsoluunt, nihilominus tamen inter omnes conuenit iuris esse communis, vt etiam preces suis temporibus opportune recitentur, quod videtur colligi ex c. 1. de celebrat. Missarum.

Secundò quæritur, Quodnam sit opportunum tempus in quo cuiuslibet precationis Horarie, & Canonice pensum est persoluumdum? Consensus est omnium opinio, Primam recitari debere vna hora ante, vel post Solis ortum, cui consonat Hymnus:

Lam lucis orto sidere.

Tertiam, hora tertia à Solis ortu: Sextā, hora meridiana: Nonam, tertia post meridiem hora: Vesperianam, hora duodecima à Solis ortu: Completam verò, hora post Solis abscellum appetere iam nocte: Nocturnas vigilias cum laudibus matutinis ad mediam noctem, aut quarta vigilia noctis, hoc est, vna, duabus, tribusue horis ante ortum. Hæc sunt debita tempora secundum Canones, & iura. At verò vsu receptum est, vt singularem Horarum officia persoluantur, iuxta consuetudinem prouinciæ, vel patriæ.

Tertio quæritur, An satius sit preces Canonicas anteposendo recitare ob negocia, & occupationes sapius incidentes, quàm postponendo? Conueniunt omnes, satius esse anteposere, ob eam causam, quod attentius, studiosius, religiosius recitari soleant. Deinde, quia in cap. *Presbyter, de celebrat. Missarum*, & cap. *Presbyter, dist. 91.* consilium datur, vt Clerici varijs occupati negocijs, mane Diuinum

officium

officium, vsque ad Vespertium persoluant; & deinde suis rebus attendant. Vnde passim traditur ab omnibus, negligentia esse Horarias preces postponere, prouidentia vero praeponere. Obijciens id, quod Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, & Abbas in cap. 1. de celebra. Missarum, referunt de quodam Eremita, cui, cum ante tempus Diuini officium persoluebat, Angelus uuas acerbas deferebat, quas ederet; aliquando uero maturas porrigebat, aliquando marcentes. Et cum rogaretur Angelus, cur modò acerbas, modò maturas, modò marcentes uuas ipsi afferret: Respondit, quia ipse aliquando tempus Diuini officij praeueniebat, aliquando postponebat, aliquando opportunè seruabat. Ergo (inquiunt) Horarias preces praeponere iure non licet. Respondedo, iure suis temporibus singulas Horarias preces recitandas, nihilominus tamen cura conscientia absque ullo peccato ob negotia, & occupationes communes, & quae passim occurrunt, uel anteponuntur, uel postponuntur: praestat autem antepone. Ille uero Monachus, quia solitariam vitam agebat, suis temporibus Diuini officium persolueri iure cogebatur. Hinc etiam est, ut de quodam Episcopo memoretur ex Petro Damiano in epist. ad Desiderium de miraculis sui temporis, eum post obitum suum poenas in igne purgatorio perpeffum, quòd in aula Principis ueritatus, Diuini officij pensum minimè suis temporibus exsoluere consueuerat. Videlicet ille, uel plusquam par erat, aulam regiam frequentauerat; uel preces Horarias publicè in Ecclesijs tempestiue cantandas non curauerat, uel ipse priuatum eas plus a quo, & sine causa iusta anteponebat, uel postponebat.

Quarò quaeritur, Quomodo intelligatur id, quòd dicitur in c. Presbyter. De celebra. Missar. c. Presbyter id est. Videlicet, ut Presbyter mane suae seruitutis pensum exsoluat, Primam, scilicet, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperam. Quidam è quibus est Sylu. Hora. qu. 7. existimant eum locum sic esse intelligendum, ut Clericus negotijs implicatus, statim mane omne pensum Horarum exsoluat vsque ad Nonam, Vespertina exclusa: quòd ita facere solent Clerici, qui in curia Romana commorantur. Sed certè eo loco etiam Hora Vespertina includitur, sic enim dicitur: Presbyter mane, Matutinali officio expleto, pensum seruitutis suae, uidelicet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque persoluat. Ergo licitum est Clerico negocijs, & occupationibus distento, mane omnes Horarias preces, etiam Vespertinam recitare. nec aliter eum locum Innocent. Hostiensis. Ioann. Andre, Abbas, & alij intellexerunt. **QV A E R E S,** quam habeant sententiam ea uerba, quae statim sequuntur: Ita tamen, ut horis competentibus, iuxta possibilitatem, aut à se, aut à scholaribus publicè compleantur. Nam si mane omnes Horariae preces recitari queunt: quorsum illud: *Ut horis competentibus compleantur?* Respondedo, his uerbis concedi Clerico, ut priuatum extra chorum mane Horarias preces peroret, & curet insuper, ut publicè in templo à ceteris Clericis Minoribus, quos ibi ius scholares appellat, tempestiue decantentur.

Quarò quaeritur, An Nocturnae uigiliae uña cum Matutinis laudibus priuatum à Clerico persolui

queant in Vespera diei proximè praecedentis, uidelicet hora uña, duabus, tribusue ante Solis occasum? Quaestionem mouet in primis, quòd non nisi in media nocte, aut ea transacta fundi, & recitari possunt. Deinde preces huiusmodi nocturnae ad diem subsequenter pertinent: ergo sicut diurnae preces sequentes, uidelicet, Prima, Tertia, Sexta, Nonam, ante mediam noctem recitari nequeunt, ita nec preces nocturnae: dies. n. subsequens, quòd ad Diuini officium persolueudum spectat, incipit à media nocte, & producit vsque ad mediam noctem diei sequentis. S. Thom. quodlib. 5. ar. vi. ad 1. cum hanc quaestionem agitasset, respondit in hunc modum: *Si aliquis post dictas Vesperas, & Completorium, dicat Matutinas, si hoc faciat propter lasciuiam, ut quietius somno, & voluptati indulgeat, absque peccato non facit: Si uero propter necessitatem licite, & honeste occupationis, absque uilo peccato facit. Sic ille. Sed multis hoc difficile uidetur: nā fieret inde, ut integrum esset Clerico nocturnas preces recitare tribus horis, imò etiam quatuor ante obitum Solis: eo. n. tempore, aut paulò ante, precatio Vespertina, & Completa recitari solent, & possunt, cum tamen passim Romani Pontificis priuilegio, pluribus concedatur, ut & nocturnas, & matutinas preces hora uña ante Solis abscessu perorare queant. Quòd si alioqui, ut ait S. Thom. iure tribus, aut duabus horis ante Solis occasum recitari possent, Romani Pontificis priuilegio opus non esset. Aiunt quidam Sancti Thomae locum sic esse accipiendum, precationibus Canonicis, uidelicet Vespertina, & Completa opportunè, & conuenienter iuri, recitatis uidelicet hora diei duodecima, & occumbente Sole, licitum esse Clericis Nocturnas preces, & Matutinas exsoluere: tunc enim persoluentur appetitibus iam noctis tenebris. At reuera hic sensus cum Sancti Thomae mente non congruit: nam eo loco quaerit, ut ipsius uerbis utar, *Utrū liceat Clerico, qui tenetur ad Horas Canonicas, dicere Matutinas sequenti diei de sero.* Et ait: *Respondedo: Si hoc faciat ob necessitatem licite, & honeste occupationis: puta si Clericus, aut Magister debet uidere lectiones suas de nocte, uel propter quid aliud huiusmodi, licitè potest dicere, & in alijs Horis Canonicis tempus praeuenire: sicut etiam hoc idem in solennib. Ecclesijs fit.* Et ad primū respondens, ait: *Dicendum, quòd quantum ad contractus, & alia huiusmodi, dies incipit à media nocte: sed quantum ad Ecclesiasticum officium, & solennitatum celebritates, incipit dies à Vesperis.* Vnde si aliquis post dictas Vesperas, & Completorium dicat Matutinas, iam hoc pertinet ad diem sequentem. Ita Sanctus Doctor. Ex quo perspicitur sententiam eius fuisse, ut in Vespera diei praecedentis Nocturnae, & Matutinae preces, quae ad diem sequentem pertinent, cura conscientia persolui queant.*

Alij Sancti Thomae sic interpretantur: Ut statim post Vespertinam, & Completam preces recitatas, iure persolui queant Nocturnae, & Matutinae precationes, dummodo Vespertina, & Completa post Nonam suo debito tempore recitata soluta fuerint. Et quia precatio Nona recitari debet tribus post meridiem horis, sequitur, inquiunt, ut Nocturnum officium exsolui possit tribus horis à meridie, & tribus, duabusue horis ante Occidentem Solem. Verumtamen ne hoc responsum mihi probatur: neque enim cum iure ipso conuenit, iuxta quòd Vesperti

na, & Completa preces recitari debent duodecima hora diei, & post Solis Occasum, vel paulò antè: Necitem cum Priuilegio Romani Pontificis, qui nonnunquam Clericis indulget, vt vna hora ante Solis occubitum nocturnum persoluant officium. Doctrina igitur, & sententia S. Thomæ illa mihi simplicior, & planior videtur esse; vt Nocturnum officium non quidem iure communi, sed consuetudine, & vsu pro more patriæ, siue prouinciæ cuiusque persolui queat à Clericis priuatim, statim, atq; Vespertina, & Completa preces recitatz fuerint, eo tẽpore, quo de more persoluantur, tribus videlicet, duabusue horis post meridiem elapsis. Hoc enim efficiunt S. Thomæ rationes, nempe quod Ecclesiasticũ officium inchoetur in diebus festis, ab hora Vespertina: hoc enim in iure locum non habet: quia incipit officium, cum fit quotidianum à media nocte, & durat vsq; ad mediam noctem, in qua finitur, & desinit: alioqui ratio S. Thomæ probaret Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam pertinentes ad diem sequentem, recitari iure posse, pridie ad Vesperam. Item, quod in celebrioribus Ecclesijs Nocturnæ preces, statim post Vespertinam, & Completam Horas de more publice decantari soleant. Deinde, quòd melius sit, Deo pensum Horarum anticipatò reddere. Item, quod debitori vitio non vertitur, si anticipata solutione creditori debitum reddat. Ex quo fit, meo iudicio, vt in ætate, iuxta consuetudinem in prouincia, vel patria receptam, Clericus Nocturnum officium persoluat in Vespera, videlicet hora vigesima secunda, aut statim post vigesimam primam secundum horologium Italicum; cui respondet, iuxta horologium Germanicum, Hispanicum, & Gallicum, hora quinta, vel quarta à meridie in ætate, & in hyeme secundum horologium Italicum, statim post horam vigesimam secundam, aut paulò ante vigesimam secundam: & iuxta horologium Germanicum, hora quinta, aut quarta pomeridiana. Hoc enim communi Clericorum vsu, & consuetudine receptum in multis Italiæ, & Hispaniæ prouincijs videmus: & triduo ante Pascha etiam publice in Ecclesijs, Nocturnæ vigiliæ, vna cum Matutinis laudibus decantantur, tribus, aut duabus horis ante Solis occasum. Et per Hispaniam vsu est introductum, vt in Ecclesijs Cathedralibus Canonici cantent ante Solis abscessum in choro Nocturnas preces, & Matutinas laudes per continuos septem, aut octo dies, in quibus recolitur anniuersaria celebritate festus dies Dominici corporis.

His tamen nonnulla opponuntur. Primò, Nocturnæ preces ad diem pertinent subsequenter, ergo nequeunt pridie recitari: alioqui enim omnes aliæ preces vnus diei pridie solui possent. Deinde, quia alioqui Prima, Tertia, & Sexta, iure quoque pridie ad Vesperam recitarentur. Respondet, in recitandis precibus Horarijs plurimum consuetudinem valere, quæ ius scriptum sepius ex toto abrogat, aut ex parte tollit. Consuetudo autem alicubi inualuit, vt Nocturnæ preces pridie ad Vesperam soluantur, non autem ceteræ diurnæ. Immo, vbi vsu approbatum non fuerit, vt Nocturnæ preces pridie recitentur in Vespera, recitari debent, tempore iure communi præ-

scripto. Deinde, huiusmodi argumentum nullius videtur esse ponderis, & momenti: eo enim conficeretur, Nocturnas preces ante mediam noctem non esse persoluedas, quia iure communi in media nocte recitari debent. Et ideo rectè S. Thomæ dixit, Ecclesiasticum officium nonnunquam, videlicet, meo iudicio, iuxta consuetudinem receptam in prouincia, vel patria, incipere à Vespertinis horis: quamuis reuera iure communi, initium sumat à media nocte. Verumtamen consuetudini standum est, quæ initio varia fuisse creditur pro varietate regionum. Et quia consuetudine introductum est, vt Nocturnæ preces ante Solis occasum recitentur; ideo hæc solùm, non aliæ preces recitari possunt.

Secundò obijciunt: Quorsum ergo multis Clericis Pontificum priuilegium cõceditur, vt vna hora ante Solis occasum Nocturnas preces persoluant? Si quidem tuta conscientia tribus, aut duabus horis ante Solem occidentem recitari queunt? Respondet, priuilegium cõcedi, vt iuri communi derogetur, quod statuit preces nocturnas media nocte solui. Pontifex enim creditur iura scire, non speciales consuetudines religionum, aut locorum, & ita iuri derogat, non consuetudini; finit enim consuetudines suum locum, & vim pristinam habere; nisi cum eas expressim tollit, & abrogat. Item non vbiq; vsus obtinuit, vt Nocturnæ preces pridie, tribus, duabusue horis ante Solis occubitum recitentur à Clericis; ac proinde Pontificum priuilegium locum habet in his regionibus, in quibus huiusmodi consuetudo nõ viger. Nam ibi Nocturnæ preces iure communi recitari nequeunt, nisi vel ad mediam noctem, aut saltem non nisi post Solis occasum: & priuilegium Pontificum dat facultatẽ, vt ibi hora vna ante Solis abscessum recitari possint. **SI QVÆRATUR**, vnde factum est, vt nocturnæ preces recitari queant, statim post Solis occasum, & non reliquum officium? Respondet, quia reliquum officium est diurnum, & nox, non dies, incipit ab occasu solis *c. a. de fer.*

Sextò quaeritur, Vbinam officium Ecclesiasticum finiatur? Cõmunis omnium est opinio, quod ad numerum precationum canonicarum spectat, totum officium Ecclesiasticum in precatione Completa terminari: ea enim, tanquam vltima, omnes septem Canonicas preces finit, & claudit: Vnde & nomen accepit. Quod verò pertinet ad tempus, vltra quod officium Ecclesiasticum differri, ac prorogari iure nequit, etiam conuenit inter omnes, illud in media nocte terminari, atque desinere: ita vt media nocte elapsa, recitari amplius iure non possit, si qua fuerit precatio canonica prætermissa, quæ ad diem præcedentem spectauerit. Sic Antonin. *part. 2. tit. 9. cap. 12. §. vltim. c. part. 3. tit. 13. cap. 4. §. 4. Syluest. Hora. quaest. 9. dist. 6. Nauar. de orat. cap. 3. numer. 54. Obijcies*, Officium Ecclesiasticum in precatione Completa terminatur, & clauditur. Sed tempus huic precationi Horariæ iure conueniens est, quod inter Solis occasum, & appetentis noctis tenebras intercedit: ergo Officij Ecclesiastici tempus minimè ad mediam noctem vsque producitur. Respondet, tempus quod Completa congruit, esse totum illud temporis spatium, quod à Solis occubitu ad ipsas

vsque

vsque tenebras obscuræ noctis protenditur : & proinde cum precatio Completa sit totius Officij Ecclesiastici finis, & terminus; fit, vt appetentibus noctis obscuræ tenebris, totum Officium terminetur: quia tunc dies finitur, & definit ac proinde tunc Officium diurnū hora Completa claudit, ac terminat.

Septimò queritur, Vndenam Officium Ecclesiasticum incipiat? Respondent passim auctores putantes se S. Thomæ in hac parte sententiam se qui, quoad lib. 5. ar. vlt. ad 1. quod pertinet ad Horarium precatonum numerum, non esse dubium, quin à Vespertinis precibus sæpius inchoetur, vt reuera incipit in diebus festis solenniioribus. Mihitamen videtur incipere à nocturnis vigilijs, iuxta Canones, & iura: nam officium Diuinum est quotidianum, & est nocturnum, & diurnum: ac proinde totum, viginti quatuor horarum spatio concluditur, & completur: ac verò officium in celebrioribus diebus festis habet duas Vespertinas preces, diei præcedentis, & sequentis. Sed illud habet dubitationem, à quota diei, ac temporis hora Officium Ecclesiasticum sit inchoandum: Quidam breuiter respondent iure communi initium sumere à media nocte, quoniam præcedens in media nocte terminatur: ergo eo etiam tempore incipit subsequens officium. Et hæc est communis opinio, vt refert Sylu. Hora. q. 9. dist. 6. Deinde, numerus Horarum Canonicarum à Nocturnis vigilijs incipit, sed tempus huiusmodi vigilijs iure deputatū, est media nox. His accedit, quod olim Nocturnæ preces media nocte, aut quarta noctis vigilia perfoluebantur. Alij senserunt iure communi in festis diebus solenniioribus inchoari à Vespera diei præcedentis.

Verum ego assentior ijs, qui assentit tempus, vnde iure communi debet Ecclesiasticum Officium incipere non esse illud, quod post recitatas Vespertinas, & Completas preces proximè sequitur. Sed esse mediam noctem, quo tempore nocturnæ preces iuxta Canones, & iura recitari deberent: nisi esset vsu receptum, vt statim post Solis occubitu recitentur; & alicubi, vt vna, vel duabus, vel etiam tribus horis ante Solem Occidentem perfoluantur. Quod si in diebus festis celebrioribus numerus horarum, vt pridem admodum, à Vespertinis Horis sumit exordium, id non est, quia totum Officium ab Horæ Vespertinæ tempore suum capiat, ac ducat initium, sed quia officia celebriora, & solenniiora duabus constant Vespertinis precibus, videlicet primis in die præcedenti, secundis in die sequenti, & hoc est, quod S. Thomas non obscurè testatur. Quare totum Officium Diuinum iure communi perfolui debet, eo tempore, quod est interiectum à media nocte præcedente, vsque ad mediam noctem subsequenterem.

Octauò queritur, An aliquod peccatum committat is, qui intra tempus iure præscriptum, preces Horarias canonicas, vel anteponeit, vel postponit suo nutu, & arbitrarij, cū omni careat causa legitima? Nam, quod iustus de causis circa omne peccatum anteponeit, aut postponit queant preces prædictæ, nemo negat. Vmbertus in exposit. Regule S. Benedicti, vt testis est Syluest. Hora. quæstion. 9. dist. 6. lethale ea in re peccatum admitti dicebat.

Sed communi omnium consensu eius sententia rejicitur. Syluest. loco citato, Angel. Hora. numer. 22. Tota igitur quæstio est, an saltem venialis culpa admittatur; Id quidam affirmant, hoc inde comprobantes, quod si preces anteponantur, aut postponantur sine causa legitima, tempus singulis precibus deputatum non seruetur. Deinde, verba, quæ recitantur, minimè Officio Ecclesiastico respondent: Vt si quis Primæ Horæ officium, ante Solis ortum perfoluat, non conuenit, quod in Hymno dicitur: *Tam lucis orto filere:* multò minus, si Primæ Horæ preces longè post Solis occasum appetente media nocte recitentur. Similiter, si Completam precatonem, quis perfoluerit tertia quartæ noctis hora, non congruit id, quod in Hymno dicitur: *Te lucis ante terminum.* Et sic de cæteris precibus Horarijs. Alijs tamen in hoc nulla culpa esse videtur: nisi per contemptum Clericus id faciat, aut periculum illi sit, ne Horarias preces omittat, aut ne eas parum studiosè, attentè, & religiosè recitet: non quod contra Ius non faciat, sed quia consuetudini receptæ, & quæ Ius scriptum abrogare potest, inseruiat. Est enim vbique ferè in more positum, vt Prima absque vilo scrupulo ante ortū Solis recitetur. Teste item Syluestro, Tertia statim post Primam recitatur; item Prima post Martinas laudes in aurora recitatas perfolui solet in Capella Romani Pontificis. Et consuetudine, Sexta cum Tertia coniungitur, aut Nona cum Sexta, aut Vespertina cum Nona, & Completa cum Vespertina: itaq; secundum Canones, & iura Horariæ preces suis singulæ certis temporibus recitari debent, ac iuxta consuetudinem receptam recitantur, vt dixi. Hæc illi: quorum opinio probabilis est.

Obijcies id non conuenire ijs, quæ dicuntur in Hymnis Horarum. Respondent, sicut quotannis in Præfatione, quæ per totam Octauam Paschatis, & Pentecostes recitari solet, dicitur, *Hodierna die, &c.* Et nihilominus aptè ea verba dicuntur: licet etiam de ijs, quæ dicuntur in precibus Horarijs, idem est iudicium: Ea enim non referuntur ad tempora, in quibus talia verba recitantur, sed ad ea tempora, quæ significari, & ad memoriã reduci, vnà cum Ecclesia volumus.

Obijcies secundo, hinc fieri, vt absque vilo peccato Vespertinæ preces, & Completæ ante meridiem, & prandium quotidie recitari queant, tamen præueniendi tempus iusta desit causa: immò totius Officij penum simul summo mane cuique liceret extoluere, aut ad noctem vsque differre. Respondet, id nequaquam ex dictis confici: nam solum fatemur, eas Horarias preces simul recitari absque peccato, quando recitantur, prout moris est, etiam si tempora iure præscripta minimè seruentur. Est enim in hac parte potius consuetudini standum, quam iuri scripto. In more vero positum non est, vt Vespertinæ preces mane, aut ante prandium recitentur, nisi iustis de causis, ac multò minus vsu receptum est, vt totum officium simul perfoluatur absque iusta causa. Consuetudo igitur ferè vbique locorum, & gentium viget, vt certæ aliquæ horæ simul coniungantur, ac proinde anteponantur, aut postponantur, non tamen omnes.

Nonò quæritur, An Vespertinæ preces tempore Quadragenarij ieiunij, quod proximè ante Pascha suscipitur, ante prandium persolui debeant? Syluester *Hora. quest. 9. dicto 5.* Caietanus in *Summa Hora Canonica. Nauarrus de oratione, capit. 3. numer. 41.* vt probant ex cap. *Solens, de consecra. dist. 11.* respondent, publicas in Ecclesijs preces iure communi ante prandium decantari debere, nullo tamen iure cogi Clericos eas priuatim ante prandium recitare. At enim potius est vsu, & consuetudine receptum, vt etiam priuatim à Clericis ante prandium recitentur: nihilominus tamen honesta aliqua de causa, & iusta ad pomeridianum tempus differuntur.

Caput X.

De Ordine, quo preces Horaria Canonice recitari debent.

Primo quæritur, An qui Ordine præpostero preces Canonicas recitat, non nihil delinquat? Conueniunt omnes, vt constat ex Syluest. *Hora. questio. 9. dicto. 4. & quest. 12. dict. 1.* eum nequaquam lethaliter peccare, qui in recitandis precibus Horarijs præpostero ordinem tenet, etiam si id faciat, absque iusta causa; dummodo tamen contemptus absit. Consentiunt itidem vniuersi, ex legitima causa Ordinem Horariorum precautionum absque peccato inuerti; velut qui per obliuionem, aut inconsiderantiam, Tertiam Primam, aut Sextam Tertiam anteponeat. Ex quo fit, eum minime peccare, qui precibus Primam non recitatis, Tertiam officium persoluit, quod nimirum ad id recitandum rogetur, aut inuitetur à socio, amico, vel familiari, cui vt obsequium præstet, facile postulata concedit. Nec item peccatis, qui post inceptam Tertiam recordatur, se Primam non recitasse, & nihilominus Tertiam proseguat, animo, & voluntate recitandi postea Primam. Qui tamen sine causa legitima Ordinem interuertit, veniale peccatum non effugeret. Vult enim, ac præcipit Ecclesia, vt in recitandis precibus Horarijs ordo seruetur, quò studiosius, religiosius, & fructuosius Diuinum officium persoluantur.

Secundò quæritur, An qui Ecclesiasticum officium Feriæ cõueniens exsoluit, cum alio qui præstare deberet officium certo alicui Sancto destinatum, aut è contrario, suo muneri, & Ecclesiæ satisfaciatur? Fatentur omnes, eum qui scienter, ac dedita opera Ecclesiasticum mutat officium ex toto, aut ex parte, Ecclesiæ satisfacere, & tantum veniale peccatum admittere. Nam iuris est Canonici, vt septem preces Horariae recitentur, quòd verò hoc officium, aut illud persoluantur, non attinet ad substantiam legis, siue præcepti; sed ad modum, circumstantiamque, ac solennem officij ceremoniam, ac ritum, ac proinde in mutando officio, aut præpostero recitando, minime legis substantia violatur. *Sylu. vnà cum alijs. Hora. q. 12. dicto. 1.* Hinc est, vt si per obliuionem, aut inconsiderantiam bona fide ex toto, vel ex parte officium mutetur, peccatum non sit. **Q**UÆRES, an qui per errorem, aut scienter Officium mutauerit, repetere debeat Officium intermissum? Respondeo cum communi sententia, quam refert *Sylu. Hora.*

q. 9. dicto. 4. & q. 12. dicto. 1. eum minime ad id faciendum adstringi, quoniam, quæ ad legis substantiam pertinent, exsoluit, quare consilium est repetere, præceptum non item. Obijcies: Si Officium mutare ex toto, vel ex parte, vel preces Canonicas perturbato ordine recitare, ad modum legis, nõ substantiam spectat; sequitur, vt nullum peccatum is Clericus committat, qui ordinem mutat; tamen id scienter faciat. Respondeo, id non sequi, quia quamuis hic modus ad legis substantiam minime referatur, non nihil tamen est peccati, quia Ecclesia constituit, vt is modus, ratio, & ordo in recitandis precibus Canonicis seruaretur, non tanquam id, in quo consistat lex, sed tanquam legis iusta, & debita cõmunitas, ritus, & modus. Cæterum Angelus, vt testatur *Sylu. Hora. q. 12. dict. 1.* sentit, Beneficiarium scienter officium mutantem in toto vno die, lethaliter peccare, alios Clericos non item. Sed id Syluester merito confutat.

Tertio quæritur, An qui recitat preces canonicas longè ante tempus, quàm oporteret, eas repetere debeat? Vna est omnium opinio, si preces Horariae, quæ ad certum diem pertinent, pridie, aut postridie recitentur, Ecclesiæ non satisfieri. Dices, creditor i satis facere debitorem, si ante tempus constitutum ei debitum soluat. Respondeo, disparem esse rationem de precibus Canonicis, ac de debito pecuniario creditori soluendo: quoniam preces Horarias persolui quotidie iubet Ecclesia ob cultum, & honorem, quem singulis quibusque diebus Deo, Sanctisue cælestis patriæ ciuibus deferri voluit. Quem ad modum igitur ieiunium certis diebus seruandum, aut sacrum certo die festo audiendum, non sufficit pridie, aut postridie seruare, vel audire: Sic horariae preces certo, ac præstituto die soluendæ, altero die siue precedenti, siue sequenti reddi iure nequeunt. Nec est, quòd aliquis mihi opponat, Nocturnas vigilias, & Matutinas laudes certo diei destinatas, pridie ad Vesperam Clericos solvere consueuisse: nam, vt prædixi, id consuetudo intro duxit, verum in alijs precibus Horarijs minime locum habet, quia id consuetudo non habet. Afferunt itidem omnes, si preces Horarias, ante tempus ipsis deputatum, Clericus recitet, intra eum tamè diem, ad quem pertinent; Ecclesiæ præcepto satisfacere, nec eas esse iterandas: ex quo fit, vt etiam si Primam Horæ officium longè ante solis ortum, post mediam tamen noctem persoluantur, repeti non debeat: Et Vespertina item, aut completa precatio ante meridiem recitata, iteranda ratione præcepti non sit.

Obijcies, primas Vespertinas preces in diebus festis celebrioribus esse recitandas post mediam noctem, si recitatae ante non fuerint: siquidem etiam Vespertinae preces ad diem sequentem spectant, cum diei festi celebritas à prima Vespera incipiat, quòd attinet ad Ecclesiasticum officium. Respondeo, Officium Ecclesiasticum celebrius, atque solennius binis Vespertinis precibus consistare, primis, & secundis; ita tamen, vt primæ pridie festi diei persolui debeant, at post mediam illius diei noctem amplius solui nequeant, vt quis Ecclesiæ præcepto satisfaciatur: sicut etiam eodem die ad Vespertinam, vel ante mediam noctem re-

Item re-

tem recitari nequeunt Prima, Tertia, Sexta, Nonae preces, quae ad diem proximè sequentem spectant: quamvis Nocturnae vigiliae, & Matutinae laudes persolvantur; quoniam has preces consuetudo traxit ad Vesperam pridianam, illas vero non item.

Quartò quaeritur, An Ordo servari debeat inter faciendum Missae sacrificium, & preces Horarias recitandas? Communis habet opinio, ut verò docuit Franco. *tratt. de Horis canoni. cap. 42.* ante Nocturnas vigiliis, & laudes Matutinas peroratas, fas non esse Clerico rem facere diuinam: quia licet ius Canonicum ordinem minimè statuerit, consuetudine tamen hic ordo est introductus. & solum Sorus *l. 10. de iust. q. 5. art. 4. & 4. dist. 13. q. 2. a. 2. ad finem.* contra communem sententiam docet nullo iure, aut consuetudine Clericum cogi hunc ordinem servare; ac proinde Clericis licere non dum nocturnis, matutinisque precibus peroratis, Missae sacrificium facere. Hanc nos quaestionem inferius diluemus; cum de Missae sacrificio differemus. In praesentia satis est dicere, contra Sorum, communem opinionem in hac parte amplectendam esse.

Quintò quaeritur, Liceat ne Clerico, ante Primam recitanti sacris operari? Hanc etiam quaestionem suo loco diluemus; ubi breviter dicemus, licere, cum id sit in more positum; immò etià propter crebras occupationes, quae saepius occurrere solent: fas est Sacerdoti summo mane Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam officium, priuatim persolvere ante Missae sacrificium, ut colligitur ex *ca. Presbyter. d. 92. & c. Presbyter, de celebrat. missarum.*

Cap. XI.

De modo, quo preces Horariae sunt à Clericis persolvendae.

Primo quaeritur, An Clerico liceat preces Canonicas recitare, iuxta formulam cuiusque Episcopi auctoritate approbatam? quòd est querere, an Clericus debeat in Horarijs precibus exsolvendis vti formula sui tantum Episcopi auctoritate confirmata? Tres video opiniones secum distulentes. Prima distinguit sic: Aut Clericus est ratione sui patrimonij promotus ad Ordines, aut ratione beneficij certa in aliqua Ecclesia fidei. Si primum, minimè cogitur vti formula à suo Episcopo constituta, sed potest vti liberè ea, qua maluerit. Si secundum, sequi debet formulam eius Ecclesiae, in qua situm est beneficium, & Religiosus eam, qua suus Ordo regularis, cuius institutam est professus, utitur. Sic Auctor Directo *rij. l. 1. tit. 8. Angel. Hora. nu. 12. & 14. Syluest. Hora. q. 1. dist. 4. Tabien. Hora. q. 10. & 16. Secunda opinio docet, vniuersim omnibus Clericis fas esse vti formula Ecclesiae Romanae, non autem aliarum Ecclesiarum; sed tantum suae diocesis: quia nimirum Ecclesia Romana est omnium Clericorum mater communis, sicut communis etiam omnium patria Roma censetur. Ita Caietanus in *Suma: Hora. canonicæ, cap. 2.* Attamen tertia opinio negat licere Clerico vti alia formula, praeterquam ius diocesis, etiam si sui patrimonij ratione sit promotus ad ordines. Huius sententiae fuere Nauar. de*

orat. c. 19. nu. 21. & cap. 12. nu. 23. Sot. l. de iust. q. 5. art. 3.

Nos verò illud dicemus in primis: Iure communi Canonico quemlibet Clericum secularem in Officio Ecclesiastico persolvendo, vti debere formulam in sua Diocesi approbatam; sicut alius quilibet Religiosus, sui instituti & Ordinis formulam tenere, & servare iure compellitur, ut colligi potest ex *cap. De his, & ca. Placuit, dist. 12.* in quibus locis constitutum est, ut omnes Clerici, & Ecclesiae provinciales eundem in psallendo modum teneant, quem Metropolitanam Ecclesiam habere cognoverint. Diocesi verò Clerici intelligimus eam, quae convenit Clerico ratione originis, vel domicilij, vel beneficij, in cuius Ecclesia commoratur, ac residet. Nihilominus tamen iure nouo auctoritate Pij Quinti constituto, omnes Clerici tum seculares, tum regulares, vti debent formula praescripta in Breuiario, iussu eiusdem Pontificis edito, ut dicitur in *Constitutione Pontificia eidem Breuiario praefixa.* Vbi verò Breuiarium hoc, non est vsu receptum, Clericos iure communi vti oportet.

Secundò quaeritur de Clerico, qui in duabus Ecclesijs Ecclesiastica beneficia legitime possidet, qua formula vti debeat in pensio Diuini officij reddendo? Respondet Sanctus Thomas, cuius sententia communi consensu recipitur: iure communi antiquo, si in illarum altera Ecclesia resideat, & commoretur, debere vti formula, quae in Ecclesia seruatur. Nouo tamen iure Pij Quinti auctoritate constituto, vti debet formula Breuiarij eiusdem auctoritate promulgati. Si in neutra resideat, iure communi debet vti formula, quam tenet, & seruat ea Ecclesia, in qua dignius, diuitius, & pinguius beneficium habet: Iure verò nouo praedicto, seruare debet formulam noui Breuiarij. At quando beneficia sunt paria, & in neutra Ecclesia Clericus commoratur, ex iure communi vti debet formula, quam habet dignior Ecclesia. Quod si fuerint Ecclesiae pares dignitate, ex eodem iure communi potest vti liberè formula, quae in alterutra Ecclesia seruatur, & qua ipse maluerit: At iure nouo praefato, sequi debet noui Breuiarij formulam. Hæc ex S. Thoma *quodl. 1. art. 13.* quem sequuntur Angel. *Horæ, nu. 12. & 13. Sil. Hora. q. 1. Tabien. Hora. q. 10. Sot. l. de iust. 10. q. 5. art. 3.* praeter id, quod addidimus ex iure nouo, edito à Pio Quinto.

Tertiò quaeritur, Qua formula vti debeant Clerici Scholastici, dum in studio literarum versantur? Respondet, secundum ius commune, eis esse seruandam formulam, quae vsu est recepta in ipsorum Diocesi, à qua originem trahunt, vel in qua domicilium habent, vel in qua beneficium possidet; iure tamen nouo, quod diximus, eis est tenenda noui Breuiarij Pij V. auctoritate editi formula.

Quartò quaeritur, An vox eius, qui recitat priuatim preces Horarias, possit esse ita summissa, ut à nemine audiatur? Perinde est, ac si quaeretur, qualis, & quanta debeat esse vocis pronuntiatio in eo, qui priuatim preces Canonicas recitat. De qua quaestione agit *Medi. q. 7. de ord. & Naua. de orat. c. 20. n. 14. & ca. 19. n. 86. Sanè Caiet. 2. n. q. 83. art. 12.* videtur asserere tantam esse debere vocis pronuntiationem, ut vel ab alio, si sibi praesens adesset, audiri posset, vel ut se ipsum recitando audiat.

Medina de orat. quest. 7. distinguit, aut Clericus solus preces recitat, & tunc requiritur, ac sufficit, si ore tantum, & voce pronunciet, ita ut seipsum possit audire: aut una cum alio recitat: & tunc necesse est, ut ita proferat, ut à socio audiri queat. Sanè si quis solus Diuinum officium persoluat, satis est, si sic recitet, ac proferat, ut verè dici queat, ore, & voce preces fundere, siue ab alio, vel à se audiri possit, siue non: quoniam iure solum cogitur voce, & ore, & non tantum mente, & animo precari & orare. A c proinde, si reuera linguam, & labia moueat, voce orat, non mente dūtaxat. Satis igitur est, ut ait Nauar. de ora. c. 20 n. 14. si Clericus dum recitat preces, verba ita proferat, linguam, & labia mouendo, ut seipsum percipiat, & intelligat, & non solum in gutture pronunciet.

Quintò queritur, An Beneficiarius, cuius est una cum alijs in choro preces Horarias cantare, suo muneri, & Ecclesie satisfaciatur, si versiculos ad se pertinentes summissa, & tacita voce pronunciet, & recitet; ita ut non cantet, & alios audiat, qui ceteros versiculos decantant; Id perinde est, ac si queratur, an Canonici ad chorum, & cantum deputati, Ecclesie præcepto satisfaciant, si tantum choro præsentés adsint, & in eo summissè Ecclesiasticum officium persoluant, nec canant cum alijs, sed tantum eos, qui cantant in choro, auscultent? Duæ sunt opiniones. Prima, eos satisfacere affirmat, quæ esse videtur opinio Caiet. in sum. Hora Canonice. §. 4. & Tabien. Hora. q. 36. quamvis deinde Caietanus eam mutasse videtur, in opuscul. tom. 1, tract. vlt. in respons. 8. Et loquuntur auctores secundum commune ius: nam speciali iure & instituto, & more Ecclesiarum, non est dubitandum, Canonicos, aut alios, Beneficiarios ad Horarias preces in choro decantandas, per se ipsos compelli, & astringi. Altera opinio negat eos satisfacere, cui Nauar. de orat. c. 22. Miscell. 79. c. 10. nu. 47. c. 11. n. 42. adhaeret, alijsq; complures; & merito quidè, vera enim est, quippe, quæ cum ipso iure conuenit. In cap. enim Si quis Presbyter. dist. 92. statuitur, ut quilibet Clericus Ecclesie deputatus, qui ad quotidianum psallendi officium Matutinis, vel Vespertinis Horis ad Ecclesiam non conuenit, deponatur à Clero. Idem colligitur ex Concilio Basiliens. Sess. 21. §. 3. & ex Concilio Aquisgranensi sub Ludouico Pio Imperatore coacto, cau. 131. Denique ex Concilio Tridentino Sess. 24. c. 12. de reformat. vbi decernitur, ut omnes Canonici per se, non per substitutos compellantur obire, & exequi officia, atque in Choro ad psallendum instituto, Hymnis, & Cantibus Dei nomen reuerenter, distinctè, deuoteque Laudare. Hinc fit, ut nequaquam præcepto satisfaciant ij Canonici, Beneficiarijque, si in choro non psallant.

Queretur, an sibi acquirant eos fructus, quos distributiones quotidianas appellant, si in choro non cantent? Respondeo, minimè, quoniam huiusmodi fructus dantur Canonicis ratione cantus in choro, & non ratione solius præsentia: at quod datur ob causam, ea non secuta, minimè debetur. Extat quoque Constitutio Pij V. quæ incipit: Ex proximo Lateranensi Concilio: vbi decernit Põtifex, ut Canonici, qui non psallant in choro, li-

cet præsentés adsint, fructus amittant, quos alioquin lucrifecisset, si cantasset.

Sextò queritur, An vbi viget consuetudo, ut Canonici solum præsentés adsint in choro, nec canant, nisi per Clericos, ad id substitutos, tuta conscientia possint acquirere, aut retinere sibi eiusmodi fructus? Quidam negant id posse consuetudine introduci. Est enim contraria iuri naturalis: neque enim fieri iure potest, ut quoddam ob causam, sibi quis lucrifaciat, ea causa non secuta. Alij tamen affirmant, eiusmodi consuetudinem, vbi fuerit moribus ventium recepta, valere; ea enim non ius naturæ, aiunt illi, sed ius tantum Canonicum tollit, & abrogat. Consuetudo aut, quæ tantum iuri scripto auctoritatè detrahit, valet, si sit ventium moribus approbata.

Ad argumentum verò oppositè sententiæ respondent, fructus præcisè non dari Canonicis, propterea quod psallant in choro, sed præcepisse Ecclesiam, ut cantent, alioquin fructus amittant. Quare totum hoc est iuris Canonici, quod consuetudine tolli, & abrogari potest. Vnde in multis Ecclesijs est vsu receptum, ut Canonici non cantent in choro, sed ut id suppleant per Clericos sibi substitutos, quos alicubi Mansionarios, vel Cappellanos, alicubi Alsissios appellant, in quos distribuuntur certæ quædam portiones fructuum ex ipsis Canonicorum beneficijs detractæ: atque idè hac ratione argumentum propositum plenius dissoluitur: nam cū huiusmodi distributiones ratione cantus in choro conferantur; si Canonici reuera nec per se, nec per alios id præstarent, eos fructus, seu distributiones sibi acquirere iure non possent. Cùm verò id per se ipsos non obeant, sed per Clericos in sui locum subrogatos, contra Canones quidem id faciunt, sed ius naturæ non violant; ac proinde consuetudo, quæ alijs ad cantum in sui locum adhibetur, valet. SI QVA ERAS, an ea consuetudo post Cõcil. Trid. & prædicta Pij V. Cõstitutione valeat? Resp. valere, vbi moribus ventium fuerit recepta, siue cõtinuata post Cõcil. Trid. quoniam in hac etiã parte Cõcil. Trid. & Cõstit. Pij V. consuetudo potest derogare: & hoc dupliciter, vel quia post ea iura introduci ceperit; & deinde fuerit vsu cõfirmata, vel quia ante ea iura inuenta fuerat, & deinde etiam contra eadem ipsa iura continuata.

Septimò queritur, An Canonici priuatim domi suæ recitans preces Horarias, vel in choro, nec cantans cum alijs, nec summissè quidem versiculos ad se pertinentes pronuntians, satisfaciatur Ecclesie legi? Aiunt quidam eum satisfacere iure communi, saltem vbi viget consuetudo, ut Canonici solum præsentés adsint in choro, & cantus per Clericos alios suppleatur: nam sufficit, inquit, si sua præsentia chorum exornent, & coloneant. Enimverò meo iudicio, nisi consuetudo approbata eos defendat, minime suo muneri, & officio eiusmodi Canonici satisfaciatur: manifestum est ex ijs, quæ præcedenti quaest. tradidimus.

Octauò queritur, Vbi nam iure communi sint preces Horariæ persolueudæ? Respondeo, Canonicos, & ceteros Beneficiarios ad cantum in choro adstrictos, ibi etiam Diuinum officium reddere oportere. Nā in c. Si quis Presbyter. d. 92. præcipitur, ut Cericus in Ecclesiam ad psallendum conueniant,

etiam colligitur ex Clement. 1. de celebr. Missa. Nec Ecclesie legi satisfaciunt, si alibi, quam in choro Horarias recitent preces, nec sibi fructus, qui ratione cantus in choro debentur, acquirunt. Ceteri vero Clerici Ecclesiasticum preceptum implent, ac seruant, si Diuini Officij pensum alibi, quam in templo persoluant.

Quæres, an communi iure Clerici cum priuatiu Horarias preces Canonicas recitant, satisficiant Ecclesie præcepto, ubicumque uoluerint Resp. satisfacere, dummodo locus debitam attentionem non impediatur, aut cum religione, quæ Diuino officio debetur, nõ pugnet, nec alijs præbeat offensionem. Nec enim sine offensione aliorum in uis, plateis, alijsue locis publicis, & profanis recitari queunt, nec attentè, seu diosè, & religiosè in ijs locis, in quibus frequentes sunt hominum conuentus, clamores, tumultus, & strepitus foreles, siue profani.

Cap. XII.

De Attentione, qua in recitandis precibus Canonicis iure communi requiritur.

Sciendum est, in c. 1. De celebr. Missa. constitui, ut studiosè, & deuotè Officium Diuinum, & nocturnum recitetur. Vbi Glossa: uerbum, studio. ait ad pronuntiationem exteriorem referri: deuote, ad interiorem animi affectum. De hac re agit Nauar. in tract. de orat. c. 13.

Primo queritur, Quotuplex possit esse attentio? Respondeo cum S. Thoma 2. 2. q. 83. art. 13. triplicem esse. Prima est, qua ad uerba ipsa animum attendimus, ne in illis pronuntians erretur: Altera, qua ad uerborum sensum animum attendimus: Tertia, qua attendimus mentem ad finem nobis in ipsa Oratione propositum: atque hæc postrema in duas diuiditur: aut enim est attentio, qua attendimus animum ad Deum ipsum, in quem tota oratio refertur; aut qua attendimus ad rem, qua precibus à Deo impetrare conamur. Et sicut mens orantis potest esse intenta Deo, in quem oratio dirigitur, sic etiam potest tota cogitatione inhaerere in sacra Christi Domini natura humana, & in ijs, quæ ad ipsam spectant, per quæ mens sese erigit ad diuinam, ut docet Caiet. 2. 2. q. 83. art. 13. Nauar. de orat. cap. 13. num. 35. Attentio itidem, quæcumque sit illa, tripliciter contingit: aut enim actu cogitamus, & anima diuertimus, aut vi, & uirtute alterius prioris attentionis, aut habitu dumtaxat in re aliqua attendimus. Proponam exemplum: Incipit quis Psalmum recitare, & in animo habet attendere; deinde uero nolens varijs cogitationibus huc, & illuc distrahitur; totus tamen Psalmus attentè recitatur, vi, & uirtute primæ illius uoluntatis, qua uoluit attentè animo Psalmum recitare; in ea enim uoluntate persistit, quia non sua sponte distrahitur, nec ab ea per actum contrarium recedit. Habitu uero is attendere dicitur, qui preces recitat usu, quo recitare consueuit, nihil cogitando de eis, nec ad eas animum aduertendo: Et hæc attentio potest esse in dormientibus, & in agentibus aliquid solius imaginationis impulsu, ut rectè Gabriel in Canon. Missæ, lectione 6. explicat. Dormi-

entes enim ob assiduum morem, & usum canendi, vel instrumenta musica pulsandi sæpenumero canunt, & digitos mouent, ac si fides, vel cytharam, lyramque pulsarent. Sic etiam contingit interdum, ut dormientes loquantur, & sua peccata confiteantur, & preces solitas recitent: Duo primi attentionis modi, ad preces Horarias sufficient: postremus minimè, quia absq; ullo uoluntatis actu non raro contingit, & præcepto, & legi minimè satisfacimus, nisi spontè, & uoluntate seruemus, & impleamus.

Secundo queritur, An prima attentio, qua animum attendimus ad uerba, ne in his proferendis erremus, sit omnino necessaria ad satisfaciendum Ecclesie præcepto? Quidam affirmant, & addunt nõ sufficere secundam, & tertiam animi attentionem; si reuera prima desit. At negare uidetur S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 13. cum ait, satis esse, si ad uerba, uel ad sensum uerborum attendamus: cui quidem sententiæ ego magis assentior. Et ita sentit Caiet. 2. 2. q. 83. q. 13. Sor. l. 10. de iust. q. 5. ar. 3. Nauar. de orat. c. 13. n. 13. & sequentibus. quamuis in cap. 20. num. 28. contrarium significare uideatur. Nam Oratio, quæ ad Deum funditur, magis in sententia uerborum, quam in sono ipso, & uoce consistit: & Deus potius attendit ad id, quod dicere uolumus, quam ad id, quod ore profertur. Itè, Orare ideo iubemur, ut animum ad diuina attendamus. Dices, primam attentionem, qua attendimus animum ad uerba, esse ueluti fundamentum, & substantiam attentionum cæterarum. Item, eo ipso, quod quis precari uoce debet, & attentè, præcepto quoque cogitur rectè proferre: at id facere nõ potest, nisi aliqua ratione curam adhibeat, ne in pronuntians labatur. Respondeo: Si quis expertus esset, se perperam, & deprauatè proferre, curare aliquo modo deberet; ne in proferendo erraret. Qui tamen experimento nouit se in pronuntians nõ labi, satis est, si ad sensum uerborum animum attendat, uel ad finem ipsius Orationis, uel ad Deum, ad quem oratio refertur.

Tertio queritur, Quotuplex sit mentis distractio? Respondeo, duplicem esse; Vna est explicitè, siue expressim uoluntaria, qua quis scienter mētē ab Oratione in alias res diuertit: Altera est, qua quis quadam iuris fictione distractus esse dicitur; eo quod alia opera facit, quæ mētē, & animum necessariò distrahunt: Vt si quis dū pensum Horarū exsoluit, simul sponte sua scribat, disputet, pingat, uel legat: nam ad duo huiusmodi opera simul attentus esse non potest: ergo quia scienter prædicta facit opera, sua uoluntate ab Horarijs precibus, in quibus deberet attendere, animum diuertit: & tūc prima, tūc secunda mentis distractio impedit, quo minus præceptum impleamus. Ex quo fit, ut Titius contra, aut præter suam uoluntatem distractus cum recitat, præceptum seruare censetur.

Quarto queritur, Num ad satisfaciendum præcepto, satis sit uoluntas, qua Titius codicè precationum Canonicarum de more manu capit, aut exemplum petit, suum Horarum pensum redditurus, quamuis postea preces recitet animo præter uoluntatē distractus? Respondeo cum Nauarro de orat. cap. 13. num. 17. & cum Maiore 4. d. 12. quest. 7. post conclusionem 4. satis esse: nã eo ipso, quo alterum

istorum more solito facit, in animo habet suum munus & officium præstare, & obire; & proinde debitam animi attentionem Horarijs precibus accommodat.

Quintò queritur, An sint duo Ecclesiæ præcepta, vnum de recitandis precibus Canonicis, alterum de ijs recitandis attentè? Quidam affirmant: Sed probabilius, & verius, alij negant, dicentes, vnum tantum esse præceptum: quod enim præcipit Ecclesia, est, vt preces Horariæ persoluantur; quod verò attentè recitentur, est præcepti modus, & circumstantia. Obijcies, duplex peccati genus in hoc comitti posse; vnum, si Clericus Horarum pensum non soluat; alterum, si scienter distractus preces Horarias recitet: Duo sunt igitur præcepta, & de recitando, & de bene & attentè recitando? **Respondeo,** hoc argumento solum effici, vt præceptum de recitandis precibus Horarijs dupliciter violari contingat, & omittendo, & malè eas recitando: quo etiã modo, annuæ confessionis præceptum negligi dupliciter potest, videlicet, omittèdo, & malè peccata confitendo.

Sextò queritur, An qui sua spontè distrahitur, & toto animo in alia per cogitationem disperso preces Horarias recitat, lethale peccatum committat; Et an Ecclesiæ præceptum impleat? Hoc idem est, ac si quereretur, An decretum Ecclesiæ in cap. *Dolentes, de celebr. Missæ*, internam mentis attentionem præcipiat, an solum exteriorem, ita vt solum præcipiat, aliquid operis efficiat, quod animi debitam attentionem tollat, vel impediat? Dux sunt opiniones. Prima tradit, in eo cap. solum præcipi exteriorem attentionem, ac proinde nullum lethale peccatum admittere, & præcepto satisfacere Clericum, qui sola euagatione mentis vitrò distrahitur. Sic quidam iuniores, & citant Innocentium, Hostiensem, Ioannem Andream, Abbatem, & Anchoranum in cap. *Dolentes, citato*. Et proferunt Glossam in *Clement. 1. De celebr. Missæ*. Et Antonin. part. 3. tit. 13. ca. 4. §. 7. Angel. *Horar. num. 28*. Siluest. *Horar. q. 11. 6. in Rosa aurea, casu 9. Rosel. Hora. nu. 3. Pisan. Horar. num. 3. Durandum 4. dist. 15. quest. 12. num. 6. Palud. 4. dist. 15. quest. 5. art. 2. conclus. 4. duobus argumentis mouentur: vno, quod in c. *Dolentes*, dicitur, vt Clerici persoluant Diuinum officium attentè & deuotè, quantum eis Deus dederit: quibus verbis consilium, non præceptum dari videtur. Altero, quòd Ecclesia nec præcipit, nec vetat, nec punit simpliciter actus mentis interiores, ergo nec imperat internam mentis attentionem.*

Opinio secunda affirmat, in eo cap. *dolentes*, vt tranque præcipi attentionem, internam nempe, & exteriorem, ac proinde Clericum lethali ter peccare, & minimè præceptum implere, qui sua sponte, quamuis sola animi cogitatione distrahitur: ita Caiet. 2. 2. q. 83. a. 13. Maior. 4. d. 12. q. 7. Naua. de orat. cap. 13. nu. 19. Sot. lib. 10. de iust. q. 5. art. 5. conclus. 7. Ledelm. 4. p. 2. q. 16. ar. 6. dub. 3. Tabien. *Hor. q. 30. Gabr. in Canon. Missæ, lectio. 62. & S. Thom. 4. d. 15. q. 4. art. 2. q. 4. ad. 2.* Et hæc opinio est vera & amplectenda.

In hac questione tria sunt, de quibus merito dubitatur. Primum est, an lethali peccato se ille commaculet, qui mente vitrò distracta recitat

preces Horarias. **Secundum est,** an is Ecclesiæ præcepto satisfaciatur, ita vt preces non debeat repetere. **Tertium est,** an is fructus beneficij restituere cogatur, ita vt eos suos non faciat, perinde ac is, qui Diuinum officium omittit. De primo quid quid alij dixerint, existimo eum lethale peccatum admittit. Nec puto Innocentium, Hostiensem, Ioannem Andream, & Abbatem oppositum docuisse: quoniam licet dixerint, eum qui recitat preces Horarias animo distracto leuiter, non grauius peccare, loquuntur de eo, qui imperfecta quadam animi deliberatione distrahitur, non de eo, qui id scienter, & sponte sua facit. De secundo probabile multi putant, eum officium Diuinum repetere non cogi: sic videtur sentire Medii. de orat. q. 16. & Cordub. in suis questionibus, lib. 4. q. 13. ad finem de potest. Papæ, quia licet is lethali ter peccet, diuinum tamen officium persoluit: sicut qui de bitum soluit, & alienum restituit ex odio, & malevolentia: & sicut is, qui per contemptum preces Horarias recitat. Item, quia non videtur contra præcepti substantiam, sed tantum contra modum agere: nam preces recitat, quauis malè. Sed mihi probabilius, & verius oppositum videtur. De tertio dicam in c. 14. quest. 8. in præsentia sufficit dicere, aliquos opinari eum non cogi restituere fructus: quia restitutio fructuum est poena iure Canonico constituta in eos Beneficiarios, qui Diuinum officium omittunt. Si tamen oppositum quis sentiat, cum Soto lib. 10. de iust. q. 5. art. 5. conclus. 6. & cum Nauar. de orat. cap. 20. nu. 32. probabiliter loquetur, ac sentiet. Et mihi hoc magis placet.

Si queras, quid dicendum de eo, qui spontè confabulando, iocando, & alia similia faciendo, recitat preces Horarias? **Respondeo,** de eo posse etiam tria dubitari: Primum, an lethali ter peccet? Secundum, an præcepto satisfaciatur, an potius repetere debeat preces. Tertium, an restituere cogatur fructus beneficij, perinde ac si preces non recitasset. Probabilius existimo eum lethali ter peccare, & præceptum non implere, ac proinde fructus suos non facere: quoniam existimo eum præcepti, & legis substantiam non seruare: nec enim peccat solum contra modum legi, sed contra substantiam: lex enim præcipit, vt nihil exterius faciat is, qui preces Horarias recitat, quod debitam attentionem, penitus tollat, aut impediat. Secus verò est de eo, qui animo solum spontè distracto, Diuinum officium persoluit: quoniam voluntaria hominis distractio exterior, videtur præcipi directè: ac interior solum videtur imperari, vt modus præcepti indirectè. Fortassis, vt dixi, probabile est, quòd Soto & Nauarrus dixerunt, etiam eum, qui animo solum distracto scienter, & spontè preces Horarias recitat, præcepto non satisfacere, & fructus debere restituere. Ad argumentum primum prima sententiæ respondeo: Ecclesiam præcepisse attentionem internam animi, vt modum, & conditionem præcepti. Ad secundum verò eiusdem sententiæ argumentum respondeo, actus interiores mentis esse duplices: alij enim sunt simpliciter, & ex toto interiores, alij verò ex parte tantum, videlicet, quia sunt modi quidam, vel conditiones, vel circumstantiæ cum actu exteriori coniunctæ. Ecclesia quidem non præcipit actus interiores,

riores, qui simpliciter, & absolute in animo, & voluntate perficiuntur, atque complentur; imperat tamen illos actus, ut sunt causæ, & origines, aut quatenus sunt modi, vel circumstantiæ actuum exteriorum. Verbi causa; Ecclesia indicendo ieiunium, simul præcipit, ut velimus ieiunium seruare: eodem modo præcipit, ne aliquid dolo, fraude, amore, vel gratia faciamus: ita planè idem cum præcipit Ecclesia, ut preces Horarias attentè, & studiosè persoluamus, est intelligendum, neque enim præcipit, ut mere oremus; sed ut oremus voce quidem, at studiosè, & attentè.

Septimò queritur, An qui pensum Horarum exsoluit, dum vestibus se induit, vel spoliat, vel faciem lauat, vel simile quippiam facit, peccet, & violet Ecclesiæ præceptum? Respondet Antoninus, p. 2. tit. 3. §. 3. vix huiusmodi Clericum præcepto satisfacere. At Caietanus, Sotus, & Nauarr. locis citatis negant, eum quicquam, aut saltem nõ nisi leuiter peccare, ac proinde concedunt præceptum impleri: quippe eiusmodi opera cum sint leuia, facilia, & consueta, nequaquam animi debitam attentionem impediunt.

Octauò queritur, An qui attentè quidem, & studiosè recitat preces, sed in animo habet non satisfacere præcepto, debeat eas repetere, ut suum Horarium pensum exsoluat? Respondet Medina in tract. de orat. q. 7. Nauarr. de orat. c. 16. nu. 74. & Ledesma, 4. par. 2. q. 16. ar. 6. dub. 6. eum oportere. Nam si Titius debeat Caio decem aureos, & totidem ei liberaliter donet, non ut soluat illos decem, quos debet, cogitur eos decem reddere, eò quòd liberalis decem aureorum donatio non est debita pecuniæ solutio: ergo Titius si spontè preces recitet, habens in animo eas iterum recitare, ut Ecclesiæ præceptum seruet, non soluit pensum, quod debet. Item, si Titius donet Caio decem aureos, & postea recordetur, se illi totidem debere, non satis est, si velit, ut decem aurei quos ante donauerat, tanquam persoluti habeantur. Si quis etiam voto, vel iureiurando adstrictus quotidie preces recitare deberet, & eas recitaret animo, & voluntate non persoluendi votum, vel iusurandum, eas repetere deberet, ut iusurandum, vel votum seruaret. Dices, sufficere, si Titius voluntatem mutet, & velit, ut decem aurei, quos iam ante donauerat, non tanquam donati, sed tanquam soluti habeantur: & preces Horarias ante gratis, & liberaliter recitæ voto, & præcepto satisfaciunt: nam Ecclesiasticum præceptum eo solo nititur, ut Canonice preces studiosè, & attentè recitentur. Deinde dices, alia videtur esse ratio de debito pecuniario, atque de voto, ac iureiurando soluendo, & seruando, aut de aliquo præcepto Ecclesiæ implendo: nam qui decem aureos debet, & totidem gratis, & liberaliter donat, adhuc debitor est decem aureorum, quia donatio non est debiti solutio: sed qui preces persoluit, præcepto, voto, & iureiurando videtur satisfacere, etiam absque animo & voluntate implendi præceptum, aut persoluendi votum. Respondet, aliquos his argumentis permotos asserere huiusmodi Clericum, de quo querimus, Ecclesiæ præcepto satisfacere, sed verius est, quod alij docent, ut dixi, aiunt etenim eandem esse rationem de eo, qui rem imperatam facit, sta-

tuens iterum facere, ut præceptum seruet, atque de eo, qui cum decem aureos debeat, totidem liberaliter creditori donat: quia etsi necesse non est, ut cum præceptum implemus, expressim recordemur, aut expressim velimus illud implere; at oportet, ut contrariam voluntatè nõ habeamus: quia opus tuum non ultra tuum animum, & voluntatem tenditur. Non enim præceptum exequeris, si contrariam voluntatem habeas, videlicet iterum faciendi, quod est tibi imperatum: quia nunc non vis præcepto satisfacere; imple tamen, si facias, quiauis nihil de mandato cogites.

Nonò queritur, An qui per metum, vel per vim, vel per errorem, & ignorantiam preces Horarias soluit, præcepto satisfaciat? Respondet, in primis, metu voluntarium non tollit: ergo qui metu pensum Horarum soluit, reuera præceptum implet. At quia violentia voluntarium tollit, qui per vim preces horarias recitat, non videtur præcepto satisfacere; sicut si violenter Titius rem diuinam audiret, aut ieiunium in dictum seruaret. Qui verò inscius, vel immemor præcepti Horarias preces recitaret, præcepto Ecclesiæ satisfecisse verè censeretur, cum non habeat voluntatè contrariam non satisfaciendi, aut iterum preces recitandi; nec Ecclesia præcipit, ut scienter preces horarias ad Deum fundamus, sed solum, ut spontè nostra, & voluntate recitemus. Qui verò per errorem, & ignorantiam Diuinum officium persoluit, est quidem præcepti inscius, & immemor, sed spontè tamen recitat: SI QVAERAS, an qui tantum legit preces Horarias, satisfaciat præcepto? Resp. minimè, ut dixi supra c. 8. q. 7. Sic Nauarr. de orat. c. 13. nu. 15. nam qui legit, non orat.

Decimò queritur, An qui preces Horarias fundit, & simul audit rem diuinam in die festo, quo die audire præcepto cogitur, legi, & præcepto de precibus recitandis satisfaciat? Hanc questionè infra diluemus, ubi de hac re duas referemus sententias, vnam, quæ negat, alteram, quæ affirmat, & nos hanc secundam semper secuti sumus; quoniam vno, & eodem opere duo præcepta simul implere possumus, & attentio, quæ in sacro audiendo requiritur, non impedit eam, quam horarix preces requirunt, & postulant: quoniam utriusque præcepto satisfacimus, si animum ad Deum ipsam, resque diuinas attendamus, etiam si nihil de verbis quæ dicuntur cogitemus. ROGABIS, an aliquo modo peccemus, si vtrumque eorum simul præstemus? Caietanus in opposit. tom. 2. tract. 4. affirmat veniale peccatum committi, quando id scienter fit, neque vlla subest iusta excusatio; alioqui nullum esse peccatum. Nauarrus verò in Man. cap. 21. nu. 8. de orat. cap. 16. num. 71. & Maior in 4. d. 18. q. 8. absolute negat vllum peccatum admitti: Et hoc est probabilius & verius. In eo tamen conueniunt omnes, nihil esse peccati, si preces recitentur eo tempore, quo Sacerdos in Missæ sacrificio summissa, & tacita voce Deum precatur.

Vndecimò queritur, An in ijs precibus, quæ solum pietatis studio, & non ratione præcepti funduntur, requiratur mentis attentio, ita ut peccemus, si animo vltro distracto recitemus? Gabriel in Can. Missæ lect. 62. negat vllum peccatum admitti: quod probat, quia eiusmodi preces vltro recita-

mus, ergo non iubemur animum ad preces attendere. Hoc tamen Ledefinius in 4. p. 2. q. 16. art. 9. dub. 2. refutat affirmans veniale saltem peccatum admitti. Idem quoque docent Sot. lib. 10. de inst. q. 5. a. 5. conclus. 6. et 7. Navar. de orat. c. 13. & ratio huius est, quia oratio libera quidem est, ab ea enim vacare & cessare possumus; at eo ipso, quod funditur coram Deo, fundi debet prout ipsius orationis ratio & natura postulat, ac ut decet diuinam Maiestatem. Quemadmodum liberè quidem Regem, vel Principem aliquem adimus, & cum eo loquimur: at nihilominus eum adire, & alloqui debemus conuenienter eius honori ac dignitati: alioqui inurbani, agrestes, & rustici optimo iure cenfebimur. Illud tamen est animaduertendum, aliquando contingere, ut quis recitet aliquas preces non animo quidem & voluntate precandi Deum; sed secum loquendi, se reficiendi, ac mentem aliò diuertendi: & tunc nihil penitus peccat, si preces recitet scienter animo cogitatione distracto: què admodum si quedam alia secum loqueretur quilibet, ut mentem aliò deflecteret, & huc fortassis Gabriel spectauit.

Duodecimò queritur, de eo, qui nihil animaduertens bonam partem Ecclesiastici officij persoluit animo varijs cogitationibus distracto, an scilicet repetere debeat? Respondeo, nihil repetere debere: nimirum, quia mentis distractio minime fuit voluntaria. Sed quid de eo iudicandum, qui recitat, & postea penitus obliuiscitur id, quod ante recitauerat? Hinc enim existunt, & surgunt multorum in animis scrupuli, qui cum integrum Psalmum recitauerint, non recordantur amplius id, quod recitauerant, & ideo repetunt, ac deinde obliuiscuntur, quod repetuerint. Hicce scrupulosi hominibus mederi oportet suadendo eis, ut nihil repetant, alioqui si semel eis concedatur, ut dicta replicent, innumeris scrupulis aditus patebit: nam tertio, & quarto, ac sæpius iterata à capite recitabunt.

Cap. XIII.

De causis, quæ iustam precationum Canonicarum vacationem, & excusationem dare queunt.

Constanter omnes docuere, quibusdam de causis Clericos immunes, ac liberos esse à lege, & præcepto recitandi preces Horarias: sed quænam illæ sint, inquirendum est.

Primò queritur, an sit iusta excusatio infirmitatis, siue incommodæ valetudinis? Respondeo, ex communi omnium sententia, Clericos ob infirmitatem corporis, ex toto, vel ex parte liberari à penso Horarum Canonicarum. Sciendum tamen est, nonnullas esse corporis ægritudines, quæ Clericos ab eo onere, & penso non soluunt, & excimunt: quia tantum incommoda quadam valetudine corpus afficiunt: quales ferè sunt capitis, pectoris, aut stomachi dolores. Deinde sunt aliqui morbi, qui ad tempus tantum iustam excusationem afferunt: qualis solet esse quartana febris inueterata, aut leuis Tertianæ non multum vexans; ut docet Nau. de orat. c. 11. num. 3. et in Man. c. 25. num. 100. **S**iquæras, an qui Quartana febris laborat, vel qui credit se aliquo impedimento implicandum, quo minus suo tempore possit pre-

ces Horarias recitare debeat tempus præuenire, & officium diuinum, ex toto soluere; Meo iudicio si ante vel post impedimentum potest commodè totum officium persolvere, id præstare debet: Secus, non item.

Quæres igitur, qualis, ac quanta infirmitas sit, quæ Clericum ab eo onere liberet? Respondeo, eam esse, quæ corporis valetudini grauiter nocet.

Quæres deinde, quid faciendum, quando dubitatur, sit nec ne infirmitas grauis? Respondeo, si commodè præfectus vel Superior adiri possit, per eum est ab eo Indulgentia, per quam lege soluiamur, aut consulendus est medicus, cuius consilio, & iudicio de morbi grauitate standum est. Si petas, an cum de morbi grauitate dubij sumus, solum sufficiat Medici consilium, ut à penso Horarum liberemur, an verò interuenire quoque debeat Superioris auctoritas, qui nos indulgentiæ beneficio excipiat a lege? Sotus lib. 10. de inst. quest. 5. art. 3. videtur innuere, requiri etiam superioris assensum, & nutum. Nau. de orat. c. 21. num. 16. et c. 11. num. 4. docet solum Medici iudicium sufficere, quia etiam cum ambigimus, an ieiunium seruare debeamus, satis est Medici consilium, de grauitate morbi iudicantis, & quia ita est vsu receptum: nam Medici tantum consilium petitur. Sed enim cum dubium, & incertum nobis est, corporis valetudini nociturane sit precationum Canonicarum recitatio, Medici consilium sequi debemus, qui si iudicauerit eam graue damnum allaturam corpori, liberi sumus à lege: atque hæc fuit Nauarri sententia: non quia Medicorum sit à lege nos soluere, sed quia eorum est, iudicare de morbi grauitate, vel leuitate, quibus grauem morbum esse dicentibus, corporis valetudini consulere nos oportet. Quemadmodum si Medicus senserit certum quendam cibum esse lethiferum, ab eo abstinere debemus, non quod Medicus ipse nobis legem constituat; sed quod ei bos salutaris, aut è contrario insalubres, & noxios ostendat. Si verò consilio, & iudicio Medici res adhuc dubia, & incerta sit, tunc requirendus est à Superiore assensus, quo à lege excimamur: & in hoc locum habet, quod dixit Sotus: est enim necessaria superioris indulgentia, cuius est legis auctoritas, & vacationem Horarum concedere, non Medici.

Secundò queritur, An qui morbi causa Diuini officij commodè persolvere nequit, debeat saltem aliud audire illud recitanti? Gerardus, quæ professor Sy. uelster, Nauarrus, & alij, affirmabat eiusmodi ægrotum audire aliud recitare debere, quous commodè posset audire, & non recitare: Cõstans est tamè omni opinio, ea lege minime teneri: nequid. n. vllus excat Canõ, quo id præcipiatur, neq; ratio, quæ id suadeat. Ita Nau. de or. c. 11. num. 6. Silu. Hor. q. 4. ex Inn. & Ab. & alij in c. doleres et c. de cel. Miss.

Tertio queritur, an coecus iustam habeat excusationem? Respondeo, in coeco, ex parte, non aut ex toto iustam esse excusationem coecitatis, cum legere nequeat, at si commodè potest sibi locum ad calcicere, qui cum officium persoluat, debet ei se adiungere, ut ait Nau. de orat. c. 11. num. 13.

Quarto queritur, An infirmus eo ipso, quod est immunis, & liber ab officio Horario ex toto recitando, sit etiam liber ab eodem ex parte persoluendo? Hanc quæstionem tractat Nauar. de orat. quia

cap. 11. nu. 6. *Sequentibus.* Causa questionis hæc est, quia qui totum solvere aut præstare non potest, quod debet, vel quod vult, aut quod promissit, iuravit; debet ex parte implere, si commodè possit. Qui etiam totum quadragenarium ieiunium, quod proximè ante Pascha recolitur, seruare non potest, debet quibus diebus potest: & qui in die ieiunij semel tantum edere nequit, debet se ab esu carnum continere: qui etiam certo die se in iudicio non sistit, aut debitum non soluit, vti oportet, debet id præstare primo quoque tempore opportuno: ergo, à simili, infirmus, qui totum Officium Ecclesiasticum persolvere nequit, debet partem, quam potest. *Respondeo*, in primis in hunc modum, aut infirmus potest maiorem sui pensam partem reddere, aut secus. Si primum, debet eam partem persolvere, & hoc conficiunt argumenta proposita. Si secundum, tunc liber est à lege recitandi quam liber Diuini officij partem: neque enim lex omnis, qua quippiam debemus efficere, obligationem affert quamlibet etiam minimam partem faciendi. Veluti si quis lege aliqua cogitur Romam ire, non debet medium iter facere, si ad eam nequeat peruenire: nec qui in die festo rem diuinam audire non potest, debet quamlibet eius partem minimam audire. *Sunt autem multa*, quæ si ex toto persolui nequeunt, possunt, & debent per partes, quod in debitis pecuniarijs contingit. *Alia verò sunt*, quæ licet in totum præstari non possint, debent tamen in partem, quando maior pars solui commodè potest. Denique alia sunt, quæ si omnino reddi nequeunt, nec partem quoque solui debent, præsertim vbi partes sunt minimæ. Sic Nauar. de orat. cap. 11. nu. 16. *Seq.*

Quintò queritur, An infirmus, vt cæcus, qui preces Horarias legere nō potest, debeat saltem eas recitare, quas memoria tenet? *Respondet* Nauar. de orat. cap. 11. nu. 15. Si ex maiorem partem precationum efficiant, debere; alioqui minimè, quia cum memoria teneat, easque solitus sit recitare memoriter, nihil morbo cæcitate impeditur. *Sot. lib. 10. de iust. q. 5. a. 3. concl. 9.* dubitat an qui memoria officium Diuinum teneret, id memoriter recitare cogere? Sed probabilius est, eum præcepto, & lege teneri: quia cum possit præceptum implere, eo ipso debet. Quare si ob morbum, vel cæcitatem, nullam partem precum commodè recitare possit, absolute, & simpliciter est liber à lege: secus, si possit.

Sextò queritur, An infirmus debeat socium sibi adhibere, qui cum Horarium pensum soluat, si solus sibi ei muneri non sufficiat? *Respondet* Nauar. de orat. cap. 11. nu. 19. *Seq.* Si facile sibi socium adhibere queat, debere: alioqui minimè: siquidem quod per amicos possumus, id per nos posse meritò censetur.

Septimò queritur, An infirmus postquam è morbo conuauerit, debeat preces repetere per morbum intermissas? *Constanter negant omnes debere*: quod quidem ipsa etiam Ratio persuaadet, quia quotidianum Horarium pensum est institutum ob singulorum dierum honorem, & cultum, ergo exacto die, quicumque sit ille, lex quotidiani eius pensam soluendi extinguitur, ac proinde non amplius reuiuiscit. Ita Sil. Hora. q. 4.

Octauò queritur, an ægrotus supplere debeat

Horarias preces per alias, quas citra vllum incommo- dum, recitare potest dum malè valet? *Angelus Hora. num. 4.* insinuat debere; *At Siluester Hora. q. 4.* absolute, & simpliciter negat. *Nauarrus de orat. cap. 11. nu. 19.* distinguit: quòd ad ius quidem Canonicum spectat, ea lege non tenetur; quòd ad diuinum verò ius pertinet, tenetur. *Angelus* quia multorum opinionem secutus, senserat iuris esse diuini Beneficiarios ratione beneficij accepti debere pensum Horarium reddere, sensit quoque probabiliter ægrum, qui non potest preces horarias recitare, id alijs debere precibus compensare. *At Siluester* quia senserat, tantum esse iuris Canonici, vt pensum Horarium Clericus soluat, meritò quoque sensit infirmum eo ipso, quòd ab eo onere liber, & immunis est, liberari quoque à lege, & præcepto quarumlibet aliarum precum recitandarum, & hoc verius videtur.

Nondò queritur, An Romani Pontificis auctoritate possit Beneficiarius Clericus absolui à lege preces Canonice recitandi? quòd est querere an Romani Pontificis Indulgentia, qua Clericum ab Horario pensu liberat iustam excusationem det? *Dux sunt opiniones*, quarum prima negat, & est Angeli Abbatis securi, Turrecremate itidem, aliorumque paucorum, quos id argumentum permouit, quòd Beneficiarius naturali iure cogatur Horarium pensum soluere. Nam beneficium propter officium datur, ergo ea conditione, & lege Clericus beneficium habet, vt Ecclesiasticum persoluat officium: item, quia debet orare Deum pro ijs, qui sua bona Ecclesie dederunt, ex quibus sunt Beneficia fundata, & erecta & hæc lex est iustitiae. *Insuper*, quia iuris Diuini est, vt septies Clericus oret quotidie, iuxta illud in Psal. 118. *septies in die laudem dixi tibi.* Quòd si eis opponas; tantum iuris esse Canonici, vt preces Horarie à Clericis recitentur. *Respondent illi*, id quidem iure Canonico esse constitutum videlicet, quòd attinet ad modum, & formulam orandi: sed nihilominus etiam iuris esse naturalis officium Diuinum persolvere; ius etenim scriptum, certum modum, & ritum preces recitandi præscripsit. *Sic Abbas in cap. 1. de celebrat. Missar. Turrecrem. cap. Eleutherius dist. 91. quest. 5. Angel. Hora. q. 5. Rosel. Hora. num. 13.*

Secunda opinio affirmat, quæ placuit Siluestro, verbo Hora. q. 8. *Tabien. Hora Canonica. quest. 15. Nauar. tractat. de orat. cap. 11. nu. 31. Armil. Hora. num. 11.* Hanc opinionem, ante eos defenderant Guilielmus de monte Lauduno, Io. Lignanus, & Cardinalis in Clem. 1. de celebrat. Missarum, hæc sententia mihi quoque placet. *Nimirum*, Clericus, quamuis beneficium acceperit vna cum pensu, & onere precum Canonice, id tamen oneris est impositum Canonice lege tantummodo, quæ lex Romani Pontificis indulgentia, & auctoritate, ex toto, vel ex parte abrogari, aut relaxari potest habet enim plenam auctoritatem Romanus Pontifex in ijs, quæ iure tantum Canonico sunt constituta.

Decimò queritur, An similiter Clericus sacris ordinibus initiatus Romani Pontificis beneficio possit eximi à lege, & præcepto preces Canonice recitandi? *Angelus* item, cum Abbate negat, ratus scilicet iuris esse diuini, vt septies in die Clericus Deum oret, ac proinde nō posse Romanis Pontifi-

Pontificem eiusmodi lege liberare: quamvis concedere queat, vt hoc vel illo vtatur modo precandi. Sed verius est, quod Siluester docuit, *in verbo Horts. q. 4.* id non esse iuris Diuini, ac proinde posse Clericum Romani Pontificis concessu excipi à lege iam dicta.

Vndecimò quæritur, an etiam Episcopo ius sit ab ea lege Beneficiarios aliosue Clericos eximedi? Vna est omnium opinio contra Gerardum, vt docet Nauarr. *de orat. c. 11. num. 24.* ex Innocentio, Hostiensis, Ioan. Andrea, Abbate, & alijs, penes Episcopum id iuris non esse, quippe qui iuri communi Canonico derogare ex toto, vel ex parte nequit præterquam in ijs, quæ iure ipso, aut consuetudine, vel præscriptione permittuntur. Episcopi tamen est hanc vel illam precandi formulam approbare, vt colligitur ex *cap. 1. Dist. 91.* Potest itidem Episcopus Clerico iure communi concedere, vt hac vel illa precandi formula approbata vtatur. Dixi iure communi, quoniã iure nouo à Pio Quinto constituto minimè potest.

Duodecimò quæritur, An Episcopus Indulgens puero septem annos egresso, vt beneficium simplex habeat, simul etiam concedere queat, ne recitet preces Canonicas? Gerardus item affirmabat. Sed negat communis opinio, vt Nauarr. *de orat. cap. 11. num. 24.* testatur. Nam Episcopus ius commune relaxare non potest nisi in casibus iure ipso communi permisis, aut consuetudine concessis. Porro est hic animaduertendum, olim iure communi potuisse Episcopum beneficium simplex conferre eiusmodi puero: at post Concilium Tridentinum amplius nõ potest: eò quod ad quodlibet beneficium simplex obtinendum, exigit in Clerico quatuordecim annorum ætate, vt habetur *Sess. 23. cap. 6. de reformat.* Sed dubiè adhuc quæstionis est, an si Romanus Pontifex puero Beneficium det, quia rigorem iuris in hac parte vult relaxare, conferendo in puerum ante debitam ætatem Beneficium, eo ipso relaxet etiam ius, ita vt eum puerum liberet, ac soluat à lege de recitandis precibus Horarijs? Respondeo, si Beneficium conferat scienter infanti ante septennium, siue antequam sit rationis compos, videtur eo ipso, ius remittere, ne ille infans preces Horarias recitet. Item, si conferat puero quæ scit, nescire legere Latinè, videtur eo ipso relaxare ius, & legè de recitandis precibus Canonicis: quoniam puer ille cum legere Latinè nesciat, recitare preces Horarias non potest, & hoc nouit Pontifex, cum in illum Beneficium cõtulit, ergo eo ipso, soluit eum à lege de precibus recitandis. Tertio, si beneficium confert puero rationis compos, & septennium egresso, non eo ipso, liberat eum à penso Horarum Canonicarum: quoniam non cui vnũ priuilegium Princeps concedit, eo ipso concedit alterum, hoc autem in casu, duo sunt priuilegia, vnũ, quia cõfertur beneficium puero nondum iustam, & debitam ætatem habenti: alterum, quia solueretur puer à lege de recitandis precibus Horarijs: ergo non eo ipso, quo primum conceditur, censetur secundum concessum. Item non eo ipso, quo quis soluitur ab vna lege, aut ab vno vinculo, soluitur ab altero, quoniam plus est, solui aliqũe à duabus legibus, & vinculis, quam solui ab vno vinculo, & lege. Vnde fit, vt eiusmodi puer debe-

at preces Horarias recitare: quod si nescit Latinè legere, debet operam, & diligentiam adhibere, vt dicat Latinè legere, vel impetrare à Romano Pontifice priuilegium; quo ab ea lege soluitur. Nec sufficit, si dicat supplicatum esse Pontifici, vt suppleret ætatem pueri, quia hoc solum est supplicare Pontifici, vt puerum soluat à lege quæ iustam, & debitam ætatem deberet attingere ad beneficium habendum. Ergo nisi Pontifici etiam supplicetur, vt soluat puerum à lege de precibus Canonicis recitandis, & ipse Pontifex id concedat, puer debet Diuinum officium recitare.

Decimotertio quæritur, An iuuenis dum literarum studijs operam dat, qui per Vicarium substitutum inseruit Ecclesiæ, liber sit à lege Horarum Canonicarum? Quidam affirmant per moti auctoritate Abbatis antiqui, & Archidiaconi in *c. Eleutherius. d. 91.* Sed communis sententia nequaquam eum tali onere liberat. Nauarr. *de oratione cap. 11. num. 32.*

Decimoquarto quæritur, An peregrinatio iustè & legitime suscepta ad certa loca pia, & religiosa, iustam præbeat excusationem precum Canonicarum, quando Beneficiarius per alium sui loco subrogatum Ecclesiæ deseruit, in qua est illud beneficium? Quidam affirmant. Sed Nauarrus *de oratione capite 11. num. 33.* negat, & merito: nam pensum Horarum eiusmodi est personale, ac proinde quisque per seipsum debet id persolvere.

Decimoquinto quæritur, An grauis aliqua occupatio, quæ solet interdum accidere, iustam afferat excusationem? Respondeo, cum Henrico *quodl. 15. q. 12. Maio. 4. d. 12. q. 6.* Nauarr. *de orat. cap. 11. num. 34.* afferre, si absque offensione aliorum ea occupatio prætermisit, aut in aliud tempus commode reijci, & differri nequeat: vt si opus esset populum, vel exercitum tumultuantem sedare, vel concionem habere ad plebem; vel penitentium confessiones audire, aut publicè docere, aut disputare. Illud tamen oportet animaduertere, huiusmodi occupationes aliquando ad breuè tempus esse tantum, aliquando ad longum, & diuturnum tempus. Si primum, minimè Clericum liberant ab Officij Horarij penso, nam eo elapso tempore Diuinum est officium persoluendum, vel antè, quàm occupationibus Clericus implicetur, debet preces Horarias recitare. Si secundum, sit ita, vt tales occupationes frequentes sint & assiduz, iustam dare possunt excusationem.

Decimosexto quæritur, An Clericus codice Horariarum precũ carens, absq; peccato Diuinũ Officium prætermittat? Respondeo, fieri posse, vt quis longum iter suscipiens, per obliuionem domi codicem relinquat, nec postea in itinere commode illum, aut alterum habere possit: & hic iustam habet excusationem: & idem planè iuris est si iter faciendũ codicem amiserit, nec potuerit ad locũ peruenire, vbi illũ, vel alterum nancisceretur. QVAERES, quid dicendum sit de eo, qui culpa sua, vel domi reliquit codicem, vel in itinere perdidit? Resp. peccasse quidè relinquendo, vel amittendo, sed postea nõ alio peccato ille se obstringit, cum Officium Diuinũ prætermittit, quia co-

dicem

dicens eiusmodi, nec habet, nec habere commode potest.

Decimo septimo queritur, An qui ad subdiaconatum promovetur, debeat eo die, quo sacrum ordinem suscipit, recitare preces omnes Horarias, incipiens à Matutinis, Laudibus? *Respondeo*, latis esse, si incipiat recitare eas preces, quæ conveniunt horæ, in qua est Subdiaconus factus; sufficit incipere, & debet incipere à sexta vel Nona, vel Vespertinis precibus, iuxta horam, in qua est ordinatus.

Decimo octavo queritur, An qui promovetur ad sacrum ordinem, vel beneficio Ecclesiastico præficiatur, peccet id accipiens antequam codicem precarium nactus sit; & an peccet accipiens, antequam didicerit preces Horarias, & Canonice recitare? *Afferit* Navarrus *de orat. cap. 11. nu. 20.* eum peccare; licet postea denuo non peccet minime recitans; quia nec habet codicem, nec habere potest; aut quia nondum recitare novit, aut didicit, nec socium sibi commode potest adhibere, à quo dirigatur, vel adiuvetur, vel doceatur: quod sic probat ille, quia nemini licet id officij, aut munus suscipere, ad quod ob inscitiam idoneus non est. Nihilominus fieri etiam potest, ut nil plane peccet, ut si is, qui ordinem Sacrum, vel beneficium suscipit, bona fide putet, se statim post Ordinem, vel Beneficium, habiturum codicem pretio emptum, vel commutato acceptum; vel donatum ab aliquo. *Item*, si bona fide credat se statim opportuno quoque tempore recitaturum preces. Id verò quod Navarrus dixit, locum habet in eo, qui huius bonæ fidei præsidio destitutus, ad Ordinem, vel Beneficium accedit. Si *QVÆRAS* quid dicendum de eo, qui Beneficium impetrat cum nescit Latine legere? *Resp.* eum peccare, quia non est ad Beneficium idoneus; & debet statim diligentia adhibita curare, ut discat Latine legere, si ad discendum fuerit aptus: aut debet Beneficium obtentum deponere; quia est Beneficio indignus, quippe qui est illiteratus.

Decimo nono queritur, An metus mortis iustam Officij Divini excusationem mereatur; vel loci cum Clericus transfertur est per medios latrones, aut per medias Hæreticorum provincias: quod si preces horarias recitet, & deprehendatur, in certum & evidens vitæ discrimen sese obijcit? *Respondeo*, mereri: nam quemadmodum ob morbum grauem, & periculosum soluitur quis lege servandi ieiunij, aut solvendi Divini officij pensum; sic etiam ob metum mortis verosimiliter sibi impendentis: nam talis metus nos eximit, ac liberat legibus humanis; eò quod Ecclesia, vel Respublica nolit nos sibi tam stricte ac severe obligare. Idem iuris est de Clerico apud Turcas, vel Saracenos captivo, vel in eorum tribunalibus remigante: de Clerico item in hospitium inimicorum diuertente.

Vigesimo queritur, de eo, qui ob cantum ipsi in choro occupatur, & impeditur, quo minus preces Horarias recitare queat? *Respondeo*, iustam esse huiusmodi occupationem, qualis est inquirendis Psalmis, Antiphonis, Lectionibus, Responsorijque, vel libris ex vno loco in alium transferendis; vel in thure ad altare deferendo, vel in alijs similibus, quæ ante Officium Divinum fieri commode, aut præparari nequeunt. An

ton. p. 2. tit. 9. c. 12. §. 3. Navar. *de orat. c. 11. num. 36.*

Cap. XIV.

De Restitutione fructuum ob Ecclesiasticum officium prætermisum.

Primò queritur, an Beneficiarius sciens preces Horarias prætermittens debeat iure naturali, aut communi iure Canonico, & antiquo restituere fructus beneficii? Olim ante Concilium Lateranense, sub Leone X. coactum, duæ fuerunt opiniones; quarum una affirmabat naturali iure, & communi eum ad restituendum compelli: quam sententiam amplexi sunt Calderinus in *cap. 1. de celeb. Missa. An chara. in Consi. 228. Gemina, cap. ult. de rescrip. in 6. Iason. in l. penult. c. de rescrip. Bal. in l. 1. c. de ijs, qui vt indigni. Angel. Hora. num. 11. Couar. lib. 3. varia resolut. cap. 13. num. 13. sic etiam videtur sentire Sot. l. 10. de iust. q. 5. ar. 6. Quibus ratio persuasit, quod datum ob causam, ea non secuta, iure repetitur sed Beneficium propter Officium confertur. *cap. ult. De Rescrip. in Sexto*, ergo Beneficiarius, qui Officium prætermittit, sibi fructus beneficii non acquirit.*

Secunda opinio docebat, iure communi Beneficiarium non cogi restituere fructus Beneficij ante Iudicis condemnationem; merito tamen Iudicis auctoritate ad restituendum condemnari. Ita sensit Abbas *cap. 1. de celeb. Missarum*, cuius sententiam Silvester in *verbo Clericus 4. q. 23. Rosel. Clericus 4. num. 23. & Tabien. in verbo Beneficium 3. q. 11. Armil. Beneficium, num. 96. & in verbo, Clericus num. 27. Navar. de orat. cap. 7. num. 31. & cap. 10. num. 37. probaverunt: qui etiam proferunt Innocentium, Hostiensem, Ioannem Andream, Ioannem Lignanum, Butrium, & Zabarellam: atque hæc opinio prior visa est, nam ante Lateranense Concilium prædictum, nullo iure communi Beneficiarius restituere cogebatur. Quod verò obijciebatur; Datum ob causam, ea non secuta, non subsistit: ita soluitur; dicimus enim, iuris tantum esse Canonici, ut Beneficiarius Horas Canonicas recitet, & ut beneficium propter officium confertur; ergo fructuum restitutio ob prætermisum Officium, sola Ecclesiæ auctoritate, non iure Divino, aut naturali debetur. At Ecclesia non constituit, ut Beneficiarius prætermittens officium, ipso facto sit fructibus priuatus, sed ut Iudicis officio priuari queat, & debeat.*

Secundò queritur, An extet novum aliquod ius scriptum ut Horarium præsum omittens, eo ipso debeat fructus beneficii perceptos restituere? Duæ sunt opiniones auctorum; una docet eiusmodi ius novum extare, quoniam in Lateranensi Concilio sub Leone Decimo celebrato *sess. 9. §. Statuimus*, edita est Constitutio, in hæc verba: *Statuimus, ut nemo beneficii curam, aut simplex habens, qui elapsis sex mensibus ab eius consecratione, sine legitimo impedimento Officium Divinum recitare omiserit, pro tempore quo non recitavit, fructus suos faciat: immo eos impendere tanquam rem iniuste captam, in fabricam Ecclesiæ, aut elemosinas pauperum teneatur.* Hæc ibi; quam sententiam Navar. in *Man. c. 25. n. 122. & de orat. c. 7. num. 32. Couar. l. var. resolut. cap. 13. n. 10. Cor dub. in summa casuum. q. 33.* secuti sunt. Altera opinio negat etiã extante eiusmodi Concilij Lateranensis Decreto, restitui debere fructus beneficii; quã opinionem Sot. *lib. 10. de iust. q. 5. n. 6.* approbavit, ratus eã Concilij,

Laterana.

Lateranensis Constitutionem non esse usu, & more receptam. Et Sotum sequuti sunt in Hispania quidam viri pii, & docti. At enim quamvis Sotus id dixerit, Pius Quintus Constitutionem edidit, quæ incipit: *Et proximo Lateranensi Concilio, quamque Nauarrus in suo Manuali, cap. 25. num. 122. ponit ad verbum: in qua confirmatur Concilij Lateranensis Decretum; ubi præcipitur, ut beneficiarius Officium Horarum prætermittens, in foro conscientie restituat fructus beneficij perceptos, pro rata officij prætermisisti: nimirum, ut qui uno vel pluribus diebus omiserit omnes Horas Canonicas, restituat fructus beneficij, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur. Qui verò Matutinum tantum omiserit, dimidiam partem, qui omiserit cæteras Horas omnes, aliam dimidiam: qui verò harum singulas omiserit, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat.* Hæc ibi Pontifex. Nec est, quod dicas, huiusmodi Constitutionem non esse usu receptam: quia viri pietate, & doctrina clari censent restitutionem fructuum deberi iuxta eam constitutionem.

Tertio Quæritur, An Beneficiarius omittens preces Canonicas, post sex primos menses ab obtento beneficio, restituere debeat fructus quos percepit, respondentes illis diebus? Sotus arbitratur, debere illum restituere non quidem fructus integros, & pro rata officij prætermisisti, sed arbitrio boni viri; ac proinde censet prædictum Concilij Lateranensis decretum Librarium vitio fuisse corruptum: absurdum enim existimat Beneficiarium, qui vsque ad sex menses ab accepto beneficio, Diuinum Officium non perfoluit, nulla restitutionis pœna affici. Quare coniicit legendum non esse, *post sex menses*, sed, *per sex menses*, ita vt ea fuerit mens Concilij, quod qui per sex menses, hoc est, quicumque sex mensium tempore Officium Diuinum non soluerit, solum debeat fructus restituere pro rata: elapsis verò sex mensibus, si post admonitionem quindecim diebus bis non orauerit, beneficio priuetur. Alioquin, inquit, si legamus, *post sex menses ab obtento beneficio*, & non *per sex menses*, duo absurda, & incommoda sequuntur: vnum est; nimia indulgentia Concilij, & iuris relaxatio, vt Beneficiarius nempe per sex menses Diuini officij, preces non recitans, nihil restituere cogatur: Alterum est incommodum, quod verba ipsa Concilij, quæ sequuntur, minimè cohæreant cum ijs, quæ antecedunt, cum dicitur: *Si verò ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur; cum propter officium beneficium detur.* Ea enim, inquit, verba, in simili negligentia, aperte significant negligentiam priorum sex mensium fuisse, ac proinde eum, qui intra illos sex menses preces Canonicas, non perorauerit, restituere debere.

Quidam alij, contra Sotum, quidem volunt Concilij textum, non esse vitiatum, & legendum esse, *post sex menses*, non vt Sotus legit, *per sex menses*: sentiunt tamen, Beneficiarium intra sex menses ab obtento beneficio non recitantem preces Canonicas, compelli ad restituendum fructus pro rata officij prætermisisti. Eo ducti argumento, quod beneficium, est merces, & stipendium laboris; ergo Beneficiarius non laborans, fructus beneficij minimè facit suos. Sed reuera Sotus hæc

in parte merito reijicitur: nam omnes Codices Concilij constanter legunt, *post sex menses*, & ita in prædicta Pij V. Constitutione eadem verba ex Concilio Lateranensi fideliter referuntur. Neque verò ea incommoda, & absurda superius proposita, quæ colligit Sotus, si decretum Concilij Lateranensis legatur sic, post sex menses ab obtento beneficio, sequuntur, vt statim indicabimus. Præterea, multo probabilius docuit Nauarrus, Beneficiarium intra primos sex menses ab obtento beneficio, Diuinum Officium prætermittentem, nulla pœna restitutionis affici: quia huiusmodi pœna non iure naturali, vt Sotus, alijque putarunt, sed Ecclesiæ râtum lege debetur. Ecclesiæ autem non vult per semestre tempus eam pœnam Beneficiarijs irrogare, vt primum illud semestre sit Beneficiario datum tanquam induciæ, vt Diuinum Officium bene, & conuenienter addiscat; ac proinde non est nimia Concilij indulgentia, nec magna iuris relaxatio; non enim relaxat Synodus ius aliquod naturale, vel diuinum, sed impune concedit primum illud semestre. Hinc etiam efficitur, vt verba sequentia antecedentibus cohæreant ita vt Concilij sensus sit: Beneficiarius intra sex menses Diuinum officium omittens, non cogatur fructus restituere: post sex verò menses compellatur ad restituendum pro rata: item si post sex menses prius monitus contumaciter in simili negligentia persistat, ita vt quindecim diebus bis non peroret, beneficio spoliari queat.

Quarto Quæritur, An qui intra primum semestre ab impetrato beneficio preces Canonicas scienter prætermittit, lethaliter delinquat? Respondendo, lethaliter peccare; nam in Constitutione prædicta Pij Quinti sic habetur: *Item, ille qui primis sex mensibus, Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum eum excusauerit, graue peccatum se intellexit admisisse.*

Sed obijciunt quidam, inde colligi, vt Beneficiarius debeat fructus restituere, aut pro rata officij prætermisisti, aut saltem arbitrio boni viri. Nam si grauer peccat Officium non perfoluens, ideo est, quia non soluit pensum, quod reddere iustitiæ legibus compellitur. Respondendo, solum iure Canonico eum debere, & preces horarias recitare, & fructus restituere, si officium omiserit. At Ecclesiæ intra primum semestre vult quidem Beneficiarium compellere ad Officium Diuinum perfoluendum; noluit tamen omnitem preces tam seuerè mulctare, & punire, vt fructus restituere cogeretur.

Quinto Quæritur, An Beneficiarius Horas Canonicas prætermittens, possit tuta conscientia eâ fructuum partem retinere, quâ eius labor, quo alioquin inferuirit Ecclesiæ meretur. Ponâ exemplum: Titius est parochus; & pœnitentiâ audit confessiones, habet cõciones ad populum, ægros inuisit, sacramenta ministrat, ac similia præstat officia pietatis, sed preces Horarias nõ recitat. Quæritur, an pro rata officij prætermisisti debeat fructus restituere, an potius iure possit eâ partem retinere, quam eius labor meretur? Pari ratione Titius est Cappellanus, qui debeat ter, vel quater, singulis mensibus rem Diuinâ facere, quod reuera præstitit, sed Officij Diuinum omisit, quæritur, an in integrum cogatur fructus ex Cappellania perceptos restituere.

restituere pro rata officij prætermisi. Ante Concilium Lateranense communis erat opinio, quã dixi. Beneficiarium, qui non recitabat preces Canonicas, tuta conscientia sibi potuisse retinere partem fructuum, quam eius labor merebatur: quã eam partem sibi retinebat tanquam debitam sui laboris mercedem; cuius opinionis fuit Angelus, Siluester, & alij. Immo etiam nunc post Concilium Tridentinum multi censent Parochum posse eã partem sibi rata conscientia retinere, vt debitum operæ stipendium. Sed certè post dictum Lateranense Concilium, & Pij Quinti Constitutionem meo iudicio, nisi fallor, amplius dubitare non licet, quin eiusmodi Beneficiarius debeat fructus omnes restituere, pro rata officij prætermisi. Quoniam hæc restitutio integra fructuum est iure Canonico constituta in eos, qui Diuinum Officium omittunt. Item, quia generatim irrogatur omnibus Beneficiarijs, & vbi ius nihil distinguit, nec nos distinguere debemus. Insuper, quia huiusmodi restitutio, potius est conditio secundum aliquos, sub qua Clerico Beneficium datur, quã pœna, quã imponitur contrarium facienti. Postremò, quia in Constitutione Pij V. planè statuitur, vt quicumque habet beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses, quã illud acceperit, Diuinum Officium prætermiserit, Beneficiorum suorum fructus; pro rata omisso Officij restituat.

Sextò queritur, An qui duo, vel plura beneficia legitime possidet, nec Diuinum persoluit Officium post sex menses ab illis sibi collatis, debeat restituere pro rata, fructus omnium Beneficiorum? Respondeo, debere, quoniam quemadmodum, qui recitat, omnium fructus Beneficiorum acquirit, & facit suos; ita qui non recitat, omnes amittit. nec potior ratio est, cur vnus beneficij fructus perdat, quam alterius: ergo omnes pariter amittit.

Septimò queritur, quid sit dicendum de eo, qui per multos annos beneficium habuit, & bona fide putans se nullo iure cogi preces Canonicas recitare, eas prætermisit. Item, de eo, qui per oblivionem, aut inconsiderantiam bona fide absque peccato Diuinum Officium prætermisit ex toto, vel ex parte. Et de eo, qui vel Confessarij, vel viri prudentis, & docti responso Diuinum Officium omisit, quia dictum est ei, esse liberum ab ea lege, & præcepto? Respondent quidam, parem esse rationem de eo, ac de ceteris, qui rem alienam ad tempus bona fide possederunt: quare talis Beneficiarius, fructus quidem extantes restituere debet: si quos verò bona fide consumpsit, & ex eis dicit factus non est, nihil cogitur restituere. Ex quo deducunt, si nulli fructus extent, vt qui omnes bona sint ab eo fide consumpti, quamuis amplii illi fuerint, ac vberes, nihil restituere illum debere, si locupletior ex eis effectus non fuerit. Hæc enim Regula seruatur in possessore bonæ fidei. Contra alij videtur huiusmodi Beneficarios nihil restituere debere, eò quod bona fide absque vlla culpa Diuinum officium omiserint; & restitutio fructuum sit tanquam pœna constituta in eos, qui sua culpa Horarias preces non recitant: ac vbi culpa non est, pœna in foro conscientie non debetur. Profectò est opinio hæc valde

probabilis, & viris pijs, ac doctis non paucis placet. Alijs tamen prima sententia magis probatur: quoniam restitutio fructuum non videtur tanquam pœna constitui in eos, qui Diuinum officium prætermittunt; sed videtur esse Conditio, sub qua Beneficia Ecclesia in Clericos confert: ita vt legis sensus non sit, puniam si Diuinum Officium omiseris, sed hic videlicet, tibi do beneficij fructus, si Horarias preces recitaueris: sicut cum maritus testamento vxori dat certa quadam bona, si castè vixerit: quemadmodum etiam si Canonicus bona fide absque culpa abesse à Choro, distributiones, quas vocant quotidianas, sibi non lucrificeret: item si lex sit, quæ præcipiat, vt Beneficiarius, qui in Ecclesia præsens nõ adest, restituere debeat fructus, certè restituere debet, quamuis bona fide ab Ecclesia absit, videlicet, quia ei Confessarijs, vel vir pijs, prudens, & doctus cõsultus respondit, ipsum lege non compelli ad commorandum, & residendum in Ecclesia. Mihi secunda sententia placet, quia constitutio Pij V. habet, qui legitimo cessante impedimento, non dixerit Officium; restituat.

SI QVA ERAS, an qui vno die, vel duobus Diuinum officium omisit, debeat fructus restituere pro rata omisso officij, hoc est fructus respondentes diei, in quo officium prætermisit. Sotus lib. 10. de iust. q. 5. ar. 6. in concl. 4. sentit, eum fructus restituere non cogi, etiam si mala fide, hoc est, lethali ter peccans officium prætermittat. Sed certè, quia Sotus scripsit ante constitutionem editam à Pio V. & quia putauit Lateranensis Concilij decretum non esse vñ receptum, excusari potest eius sententia in hac parte: alioqui enim pugnat cum verbis contentis in Constitutione Pij V. & decreto Concilij Lateranensis, quibus præcipitur, vt Beneficiarius restituat fructus pro rata diuini officij prætermisi. Alij viri pijs, & docti non pauci sentiunt non debere restituere fructus, si bona fide absque vlla culpa omiserit: putant enim (vt dixi) restitutione imponi, vt pœna ijs, qui officium diuinum omiserint. Cæterum mihi probabilius videtur debere restituere si mala, non si bona fide omiserit: quia puto restitutionem fructuum esse pœnam, non conditionem sub qua beneficium Clericis confertur.

Octauò queritur, an Beneficiarius, qui mente vltro distracta persoluit Diuinum officium, restituere debeat fructus beneficij? Auar. de orat. c. 20. nu. 32. videtur affirmare. Sotus item l. 10. de iust. q. 5. ar. 5. concl. 4. & 6. videtur idè sentire. Negat tamen Medi. de orat. q. 16. & Cordub. in suis quest. lib. 4. q. 13. ad finem de potestate Papæ. Vtraque opinio meo iudicio est probabilis, sed secunda tanquã mitior, & benignior in pœnis, & odijs, quibusdã viris pijs, & doctis placet. Nã pœna inquit, restitutionis tota surgit, & cõtrahitur ex iure Canonico: at iura solum multat hæc pœna Beneficiarios, qui Diuinum officium non soluunt, sed qui animo spontè distracto Diuinum officium præstat, illud minimè prætermittit, quãuis malè recitet. Dices, qui sic recitat, grauitèr peccat; ergo pensum debitum, nec soluit, nec Ecclesie præceptum implet. Respondent, non omne lethale peccatum, quod in recitandis precibus horarijs cõmittitur, inducere obligationem restituendi, sed illud tantummodo quo Horæ Cano-

nica præmittuntur. Alioqui enim, qui per contemptum vel malevolentiam preces Canonicas recitaret, perinde restituere cogeretur, ac si minimè recitasset. Si tamen cum alijs oppositum senseris, probabiliter reuera senties. Mihi sanè magis probatur opinio prima quam sequitur, vt dixi, Nauarrus, & quam cum Nauarro viri pij, & docti amplectuntur. Ecclesia enim non solum præcipit, vt recites, sed etiam vt attentè recites. Idem etiam iudico dicendum de eo, qui scienter, & sponte iocando, confabulando, vel alia similia faciendo preces Horarias recitat; nam non recitat, vt debet, & proinde præceptum non implet, & fructus restituere compellitur.

Nonò quæritur, An Beneficiarius, qui excommunicatione, vel suspensione, vel irregularitate affectus, Diuinum perfoluit officium, fructus beneficii lucrifaciat? **R**espondeo, minimè: quoniam ob excommunicationem, vel suspensionem, vel irregularitatem priuatur quis beneficii fructibus, vt docet Glossa in cap. *pastoralis*, de appellat. cuius sententia est communi consensu recepta: vt docet Abbas, quem citat Nauar. in *Man. cap. 25. num. 124.* Quare huiusmodi Beneficiarij postquam fuerint ab excommunicatione, vel suspensione absoluti, vel ab irregularitate liberi, opus est, vt à Romano Pontifice Indulgentiam pariter impent, qua fructus, quos antea perceperant, sibi retinere queant. Et hoc quod diximus locum habet in Beneficiario, qui suspensus est à beneficio, vt ait Nauarrus in *Man. cap. 25. num. 124.* Quod verò ad irregularitatem attinet, sermo est de eo, qui cum irregularis est, beneficium obtinuit, non de eo, qui post beneficium obtentum irregularitatem contraxit. Si quis enim est irregularis, beneficii capax non est; vt probat ex communi sententia Couarruias in cap. *Alma mater*, de Excommunic. in 6. par. 1. §. 7. num. 1. & in regula, Peccatum, de regulis Iuris in 6. par. 2. §. 7. num. 6.

Decimò quæritur, An fructus, quos debet Beneficiarius restituere ob Diuinum officium prætermittendum, sint impendendi in vsus Ecclesiæ, in qua situm est beneficium? **R**espondeo cum Nauarro in *Man. cap. 25. num. 122.* sufficere, si erogentur in vsus pauperum, aut in alios vsus pios; nisi Ecclesiæ illius statutum, aut mos postulet, vt in ipsius tantum vsus impendantur.

Vndecimò quæritur, quo pacto Canonicus, qui cum alijs, in Choro non interest officio Diuino, aut illud non perfoluit, restituere debeat distributiones quotidianas, quæ in Canonicos dispartiri solent? **R**espondeo, eas esse omnino restituendas, vt constituit Synodus Tridentina, sess. 24. cap. 12. de Reformat. his verbis: *Distributiones Canonicis, qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui quatenus collusionem, aut remissione exclusi, his careant, iuxta Bonifacii Officij decretum, quod incipit, consuetudinem, quod Sancta Synodus in vsu reuocat, non obstantibus quibuscumque statutis, & consuetudinibus.* Sic ibi. Porò Bonifacius VIII. in cap. consuetudinem, De Clericis non residentibus, in sexto, sic habet: *Statuimus, vt distributiones ipsæ quotidianæ, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis, ac alijs Beneficiarijs, & Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officijs in ipsis Ecclesijs assuerint, tribuantur iuxta Ecclesiæ cuiuslibet ordinationem rationabilem, tam factam, seu etiam faciendam.* Qui verò aliter de distributionibus ipsis quic-

quam receperit, & exceptis illis, quos infrauit, seu infra, & rationabilis corporalis necessitas, aut euidens Ecclesiæ utilitas excusetur: verum sic receptam dominium non acquirat, nec faciat eas suas: immo ad quoniam, restitutionem, que contra huiusmodi Constitutionem receperit, tenetur. Hactenus Constitutio: Ex quibus manifeste liquet, Distributiones quas Canonicus amittit, in cæterorum ius cedere, & accrescere: & nihilominus adhuc non sufficit, si cæteri liberè remittant, vt dicit Concilium Tridentinum loco citato: totalis quippe remissio solet esse Ecclesijs noxia. Cæterum, quæ de eiusmodi distributionibus disputari poterant, suo loco dicemus, cum in explicatione quarti præcepti, agemus de Beneficijs Ecclesiasticis, & de obligatione, qua Beneficiarij in suis Ecclesijs commorari, & residere debent.

Duodecimò quæritur, An si Pensionarius Paruum B. Virginis officium non quotidie perfoluit, restituere debeat perceptos fructus sue Pensionis? **R**espondeo, l. ium V. in Constitutione superius memorata, huius initij. Et proximo Lateranensi Concilio, ita statuisse: *quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clericum percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium paruum B. Marie determinatus obligatur, & Pensionum fructuum, remaneque ipsorum amissioni obnoxium.* Sic ibi. Quod verò dixit Pontifex, eum modo prædicto, significat; qui totum Officium vno, vel pluribus diebus prætermiserit, omnes pensionis fructus, qui illi, vel illis diebus respondent, restituere debere. Qui verò Matutinas preces tantum, dimidiam; qui horarum singulas, sextam partem pensionis eiusdem diei amittat, vt ex eadem constitutione colligitur.

Decimotertiò quæritur, An Beneficiarius debeat restituere fructus, quos percepit dum lethali peccato fuit obstrictus? **A**ngel. verbo, Clericus. 8. quest. 5. sequutus Antonium Butrium in cap. *vestras*, de cohabitatio. Cleric. & mul. distinguit, aut lethale peccatum erat notorium, aut occultum: si notorium, debet restituere: quia lethale peccatum notorium inducit suspensionem ab officio, & suspensus Clericus ab officio fructus non facit suos: si erat occultum, non cogitur fructus restituere, quia non inducit suspensionem. Hanc sententiam meritò refutat Silu. Cleric. 4. quest. 24. & generatim sentit, non cogi Clericum fructus restituere, licet eos percepit dum lethali peccato tenebatur, siue occulto, siue notorio, nisi aliunde restituere debeat. Sic etiam docet Rosell. Cleric. 3. num. 2.

Cap. XV.

De ijs, ex quibus constant Horarie preces diurnæ nocturnæque.

Quæritur primò, quot & quibus tanquam partibus consistant preces Canonice? **R**espondeo, tum in diurnis tum in Nocturnis horis recitari Psalmos, Cantica, Hymnos, Antiphonas, Lectiones, Responsorialia breuia, Versus, & Orationes.

DE PSALMIS.

Secundo queritur, quam antiquus sit, & unde acceptus recitandorum, & canendorum Psalmorum vsus in Ecclesia Dei? Respondeo, eum esse antiquissimum, & ab Apostolis acceptum: Paulus ad Ephes. 5. & ad Colossen. 3. Implemini, inquit, Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus Dionisii Areopagita 2. cap. De Ecclesiastica Hierarchia. Psalmorum, ait, cuncta modulatio, que omnibus ferè Sacerdotibus mysticis inuigilatur, & substantia rationi coherent, summo omnium principique mysterio deesse non debet. Eundem Ecclesie morem psallendi indicat Athanasius, Sozocrates, Theodoretus, Sozomenus, Rufinus, atque Nicephorus, quos omnes citat Francol. tractat. de tempore Horar. Canoniar. cap. 2. & Durandus de ritibus Eccl. cath. lib. 3. cap. 13. Legimus in Pontificali Damascum instituisse, vt Psalmi die nocteque, per omnes Ecclesias decantarentur, ex Chryostomo, Ambrosio, Hieronymo, Basilio, quos refert Francol. tracta. citato cap. 3. planè colligitur, statim diebus semper die, ac nocte Psalmos per Ecclesias cantari. Amalarius verò ita scribit: *Num cantamus Psalmos, stantes esse soleamus.* In Concilio Laodiceno Can. 59. constitutum est, ne priuati Psalmi in Ecclesia legatur, hoc est, ne præter eum, & quinquaginta Psalmos, qui Davidis esse dicuntur, alij recitentur, vt habetur in Concilio Bracaren. 1. Can. 30. & in Concilio sub Martino Bracaren. Can. 68. Fuit enim Hæreticorum mos, exemplo, & imitatione Ecclesiar. Psalmos componere, & cantare, vt constat ex Tertulliano, Epiphano, & Augustino. Porò omnes Davidis Psalmos Ecclesia per omnes dies Hebdomadæ apto, & distincto ordine distribuit. In Dominicis diebus ad tres nocturnas Vigiliis recitantur Psalmi decem, & octo, duodecim ad primam vigiliam, tres ad secundam, & totidem ad tertiam: & loco Inuitatorij recitatur integer Psalmus nonagesimusquartus, *Veni exultemus Domino*, ac proinde recitantur decem, & nonem Psalmi, & per singulos dies Hebdomadæ recitatur duodecim, repetito semper, tanquam Inuitatorio, eodem nonagesimoquarto Psalmo: qui omnes Psalmi conficiunt numerum nonaginta vnus.

Ad Matutinas Laudes, diebus Dominicis recitantur sex Psalmi: nam repetitur nonagesimus nonus, *Tribulate Deo omnis terra*, qui recitatur in Sabbatis, & Matutinis vigilijs: & singulis diebus Hebdomadæ vnus Psalmus, & iterantur quinque ex illis, qui dicuntur Dominicis diebus, & repetitur quoque Psalmus quinquagesimus: *Miserere mei Deus*. Ex quo fit, vt Feria secunda, duo Psalmi recitentur, singulis quibusque alijs hebdomadæ ferijs vnus, ac proinde omnes Psalmi, qui ad Matutinas, Laudes per totam Hebdomadam recitantur, sunt tredecim. Ad Vespertinas preces, tum Dominicis diebus, tum ceteris per Hebdomadam diebus recitantur quinque: ita vt omnes connumerentur trigintaquinque Psalmi. Ad Horam Completam recitantur tres, nam quartus, qui est trigessimus, repetitur, quamuis non integer, qui plenè dicitur ad Matutinas vigilijs in Feria secunda. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam, & ex parte ad Primam recitatur quotidie Psalmus centesimus decimus octauus: primum quadripartitus, deinde

ad Primam bipartitus, & ad Tertiam, Sextam, & Nonam, tripartitus, ita tarsen, vt quilibet pars contineat trinos octonarios versus. Et ad Primam præterea diebus Dominicis recitantur duo Psalmi integri, & singulis Hebdomadæ diebus, excepto Sabbato, recitatur alius Psalmus integer. Ac proinde omnes Psalmi, qui ad Completam horam, Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam recitantur, sunt vndecim. Quare si in summam redigas, nonaginta vnus, qui ad Nocturnas vigilijs dicuntur, & tredecim Matutinarum Laudum, & trigintaquinque vespertinarum precum, & vndecim reliquarum Horarum, colliges centum, & quinquaginta Psalmos.

S. Benedictus in Regula cap. 18. aliter per Hebdomadam Psalmos distribuit. Sed tandem ait: *Sine hoc, siue alio ordine Psalmi disponantur, hoc omnino attendatur, vt omni Hebdomada Psalterium ex integro numero centumquingenta Psalmorum psallatur, quia nimis ineri deuotionis sue seruitium ostendant Monachi, qui minus Psalterio, cum Canticis Ordinarijs per Septimanam circulum psallunt, cum legamus Sanctos patres nostros vno die hoc strepente impleuisse, quod nos tepidi vtiuam per Septimanam integram persoluamus.* Sic Regula. Refert Calsianus lib. 2. de institut. Monachor. c. 4. per Aegyptum, & Thebaidem apud Monachos olim diuersum fuisse morem in numero Psalmorum concinendo, dum alij plures; alij pauciores cantarent. Sed Angeli ministerio retentus est postea numerus duodecim Psalmorum, qui ad Nocturnas vigilijs quotidie recitantur. Nam coram Monachis semel Angelus apparens, duodecim Psalmos continenter cecinit; quibus finitis Alleluia cantauit, ac siluit, non amplius visus, nec auditus. Vnde in Concilio Turonico. capite 19. legimus. *Ad Matutinum saltem duodecim Psalmi expediantur, quia Patrum statuta, præceperunt, vt ad Duodecimam duodecim Psalmi dicantur cum Alleluia: quod etiam Angelo ostendente didicerunt.*

DE CANTICIS.

Tertio queritur, quam vetus sit, & unde acceptus mos Cantica recitandi in Ecclesia? Respondeo, ex veteri Testamento, vsu desumptum fuisse: nam Moyses, & alij plerique Cantica in Dei Laudem cecinere, & Paulus, vt supradixi; loquentes ait, vobismetipsis in Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus. **QVAERES**, quoniam differat Canticum à Psalmo? Resp. cum Isidoro libro sexto Etymolog. capite decimonono, Psalmum ad musicæ instrumenta; Canticum verò sola hominis voce cani. Vnde teste Hilario, in proximo in Psalmos, & teste Euthymio in præfation. in Psalmos, Canticum Psalmi dicitur, cum voce humana carmen incipit decantari, & postea subsequitur instrumentum musicum. Psalmus verò Cantici dicitur, cum incipit Psalmum musicum instrumentum, & deinde sequitur vox humana. Porò Canticum est antiquius Psalmo: nam Moyses Canticum cecinit Deuteronom. 32. Et vna cum eo aliud Canticum decantauerunt filij Israelis, Exodi 25. De hora item, & Barac cecinere Canticum Iudicum 5. Anna item mater Samuelis 1. Regum 2. Vtus igitur Cantico fuit à Moyse vsque ad Davidis tempora, qui primus omnium cepit Psalmos

conscribere, quos Cantores ad instrumenta musica concinebant. Ecclesia in Horis Canonicis, per septem dies Hebdomadae ad Matutinas Laudes septem numero Cantica ex Scripturis de prompta recitat: In diebus Dominicis Canticum triū puerorum, quod habetur Danielis tertio. Feria secunda, Canticum Ezechiae, Isaia 38. Feria quarta, Canticum Annæ. i. Regum capite 2. Feria quinta, Canticum Moysis, & Filiorum Israelis Exodi. 15. Feria sexta, Canticum Habacuc cap. tertio. Sabbato, Canticum Moysis. Deuteronom. 32. & ad Vespertinas preces quotidie recitat Canticum Beatæ Virginis Luc. 2. & ad Completam Horam quotidie Canticum Simeonis, item Luc. 2. Quotidie itidem ad Matutinas Laudes Canticum Zachariæ Luc. 1. ita, ut nullum ferè Canticum ex ijs, quæ in Scripturis continentur, prætermiserit Ecclesia. Amalar. libro quarto de Ecclesiasticis officiis, cap. tertio, §. 13. ait: Cantica solùm appellamus, quæ sunt Prophetarum, & in Sacris literis continentur puta, Moysis, Ezechiae, Zachariæ, Isaie, trium puerorum, Sanctæ Mariæ Virginis, & Simeonis: quibus annumeratur Canticum illud Sancti Ambrosii, & Sancti Augustini, Te Deum laudamus, quod etsi non est in sacris literis, diuinitus tamen compositum est. Sic ille. De hoc Canticum vltimo scribit Datus Episcopus Mediolanensis lib. 1. cap. 10. sui chronici, fuisse compositum à Beato Ambrosio, & S. Augustino, cum esset Baptizatus Augustinus ab Ambrosio.

DE HYMNIS.

Quartò queritur, quantæ sit antiquitatis in Ecclesia Hymnorum canendorum vsus? Meo iudicio etiam ex Apostolis, immo ex Christo Domino videtur acceptus hic vsus. Nam ad Coloss. 3. & ad Ephes. 5. inuitat Apostolus ad laudandum Deum in Psalmis, Hymnis, & Canticis: & Christum, cœna peracta hymnum dixisse, testantur Matthæus cap. 26. & Marcus cap. 14. Sanctum Hilarium hymnos composuisse, auctores sunt Hieronymus in Catalo. de viris illustribus. Rabanus lib. 2. de Institut. Cleric. cap. 49. in Concilio Toletano 4. cap. 12. dicitur: A multis hymni magno studio in laudem Dei, atque Apostolorum, & Martyrum triumphos compositi esse noscuntur: sicut sunt ij, quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt. Sic ibi. Et Ambrosius quidem hymnos composuisse, tum ex ipsomet in ora. in Auxentium de Basilicis non tradendis, tum ex Augustino lib. 1. retractat. cap. 21. constat, Ait enim Ambrosius: Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum serunt, nimirum Atriani. Augustinus verò: Qui sensus, inquit, cantatur ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait:

“Hoc ipso, Petra Ecclesia,

“Canente, culpam diluit.

Hymnorum Ambrosij mentionem faciunt S. Benedictus in Regula: cap. 9. Isidorus. Porro Canticum siue Hymnum, Te Deum laudamus, à B. Ambrosio, & Augustino fuisse compositum, testatur Dacius Episcopus Mediolanensis, in suo Chronico lib. 1. cap. 10. his verbis: A B. Ambrosio cunctis fidelibus, verbis assantibus, & videntibus in nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Augustinum baptizatus, & confirmatus est: in quibus fontibus prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, Te Deum laudamus cantantes, cunctis, qui aderant, audientibus, & videntibus, ediderunt: quod ab vniuersa Ecclesia Catholica vsque in hodiernum diem tenetur, & religiose decantatur.

Isidor. lib. 1. de diuin. offic. cap. 6.

Hactenus auctor ille Dacius, cuius meminit Gregorius libro quarto Dialogorum, capite quarto. Differt autem Hymnus à Psalmo, & Canticò, quod Hymnus semper cani solet ad laudes Dei, & ad Sanctorum cæli Ciuium prædicandas: at in Psalmis, & Canticis nonnunquam rerum gestarum historiz continentur.

DE ANTIPHONIS.

Quintò queritur, quandonam cœperint Antiphona in Ecclesia decantari, & quis primus eas instituerit? Isido. lib. 6. De Eccles. Offi. c. 19. Rabanus lib. 1. De Institut. Cleric. cap. 33. Alcuinus lib. Diuini Offi. cap. de celebrat. Missarum, earum originem referunt ab eo quod Isaia 6. dicitur: Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Sed illud est probabilius, auctorem Antiphonarum apud Græcos primum fuisse Sanctum Ignatium: is enim, cum visio Angelorum Sanctæ Trinitatem hymnis alternatim decantatis collaudantium obiecit fuisset, ritum illum æternis versibus canendi, Ecclesie Antiochenæ tradidit: qui deinde ritus in omnes Orientis Ecclesias manauit. Sic Georgius Patriarcha Alexandrinus in Vita S. Ioannis Chrysostomi. Socra. lib. 6. Hist. Eccl. c. 8. Calsiodo. in Tripart. lib. 10. c. 9. Nicepho. lib. 13. Hist. Eccl. cap. 8. Amalarius De Eccl. Offi. lib. 4. cap. 7. Vualfrid. De rebus Eccl. c. 28. & Radul. De Cano. obseru. propof. 14. quamuis Theod. lib. 2. Hist. Eccl. cap. 24. & ex eo Sigebertus, & Radulphus Tungrensis tradiderint, Flavianum, & Diodorum monachos primos apud Antiochiam tempore Constantij Imperatoris, psallentium Choro in duas partes diuisi Psalms Davidicos alternis versibus canendis instituisse. Apud Latinos verò S. Ambrosius primus Antiphonas in Ecclesiam Mediolanensem inuexit, & deinde Antiphonarum vsus in cæteris Occidentis Ecclesijs increbuit. Sic Isido. lib. 1. de Ecclesia. Offi. cap. 7. Sigebert. ad annum 338. Smarag. in Regulam. S. Benedicti cap. 9. Raba. lib. 2. De Institut. Cleric. cap. 50. Radulph. De Cano. Obserua. propo. 12. Denique Paulinus in Vita S. Ambrosii ait: Hoc tempore primum Antiphona, Hymni, & Vigilie in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt: cuius celebratis deuotio non solum in eadem Ecclesia, verum per omnes penè Occidentis Ecclesias mouet. Augustinus item lib. 9. Confession. cap. 7. Tunc, inquit, Hymni, & Psalmi, ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populis maroris radio contabesceret, & institutum est, ex illo in hodiernum diem retentum, similes iam, ac penè omnibus gregibus suis, & per cetera orbis imitantibus. Quidam hunc ritum alternis canendi apud Latinos, in Damasco referunt: alij in verò in Cælestino i. Cæterum probabilis est, id quod de Ambrosio diximus cuius tempore Damascus floruit, ac proinde, fortassis ille ab Ambrosio institutum ritum probauit. Cælestinus verò solum constituit Psalms centū quinquaginta Antiphonatum in Missarum initio decantari: ex quibus postea excerpti sunt Introitus, Gradualia, Offertoria, & Communiones ad Missam.

Quæres quid nomine Antiphonæ significetur? Respondeo, Antiphona, Græcè dicitur opposita vox, aut vox contra sonans. Dicitur sunt Antiphonæ, quod alternatim à duobus Choris canerentur, vsu verò receptum est, ut sententia, quæ Psalmi, aut Canticum antecedit, Antiphona appelletur.

Ad eius

A de eius enim, teste Amalario, lib. 4. de Ecclesiasticis offic. cap. 7. sonum, totus Psalmus, aut Canticum à duobus Choris alternis versibus decantatur, ac deinde simul duo Chori in Antiphona conueniunt.

DE LECTIIONIBVS.

Sextò quæritur, quanta sit lectionum antiquitas in Ecclesia? Vnus lectionum vetustissimus est, ac videtur ab Hebræis desumptus, qui veteri Maiorum instituto statis diebus ac temporibus ex lege, & Prophetis aliqua legere, & recitare consueuerant. De ordine verò, numero, & tempore lectionum multa habet Gelasius *in e. sacro sancta Distinct. 15*. QUAERAT aliquis, quò differat Lectio à Psalmo, Hymno, & Cantico? Resp. Psalmi, Hymni, & Cantica, vocis modulatione concinuntur: at lectiones tantùm simpliciter pronuntiantur. Et animaduertendum est, capitula, & lectiones esse idem; nisi quod in Nocturnis vigilijs lectiones sunt paulò longiores, in Horis verò diurnis sunt breuiiores, & ideo Capitula vocantur, quasi breuia quædam capita, in quæ Lectio, quæ ad Missæ sacrificium recitatur, distribuitur in breues partes dissecta, Singula igitur Horarum preces lectione constant, sicut Psalmis, Hymnis, & Canticis. Et sumuntur lectiones partim quidem ex veteri Testamento, vel ex nouo, partim ex Homilijs, vel Historijs Sanctorum. Quando item Lectio recitatur, solemus sedere more antiquorum, vel silentio stare, inquit Amalarius. In fine lectionum Lector dicere solet: Tu autem Domine miserere nostri. Quibus verbis, vt ait Rupertus, significatur, nec ipsum quidem verbum Diuinitum annunciandi munus sine alicuius, vel leuiusculæ noxæ puluere fieri, & expleri. Deinde Chorus succinit, Deo gratias: quod eodè Ruperto auctore, non ad vltimam Lectoris preces, qua dixit: Tu autem Domine miserere nostris, sed ad totam lectionem refertur. Deo nam que gratias agimus, quod doctrina sua verbum tantquam panem nobis frangere dignatur. Recitatur verò Lector lectionem, dicit: Iube Domine benedicere: quibus verbis indicatur, eodem teste Ruperto, neminem sine permissu maioris, munus annunciandi verbum Dei vsurpare debere. *quomodo inquit, Apostolus, predicabunt, nisi mittantur?* At cum Capitula inchoamus, non dicimus, Iube Domine benedicere, quia lectiones Cantor, vel Lector recitabat; at Capitula Episcopus ipse, vel Sacerdos pronuntiare solebat.

DE RESPONSORIIS.

Septimò quæritur, cur dicta sint Responsorialia? Ait Amalarius, Responsorium dici, quod alio aliquid recitare desinente, alius respondeat. Vnde lectionem siue longam, siue breuiorem, quæ legitur post Sessionem, sequitur Cantus, qui idcirco vocatur Responsorius. Dicitur verò Responsorium breue, quia post lectiones siue Capitula Chorus versus, sub breuitate quadam decantat: ac prinde illi versus quos absolutis lectionibus quasi respondendo breuiter concinit Chorus, merito Breuia responsorialia vocantur. Instituta autem Responsorialia dicuntur ab Italis. Deinde Responsorialia solent ipsi lectionibus cohære-

Nam aut sumuntur ex Scripturis, ex quibus ipsæ lectiones; aut ex ijs, quæ tempori conueniunt: & olim in Nocturnis Vigilijs cuiuslibet diei Dominicæ, vltima Lectio de Trinitate recitabatur, & ideo Responsorium erat illud: *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, & reliqua: quod totum est de Sancta Trinitate, & etiam nunc recitamus in diebus Dominicis non impeditis, quamuis Lectio de Sancta Trinitate sit prætermissa.* De Responsorijs agit Amalarius lib. 4. de Ecclesiasticis offic. cap. 7. Raban. lib. 1. de Institut. Cleric. cap. 33.

DE VERSIBVS.

Nonò quæritur; Quare dicti sint versus? Respondeo quia instar versuum concinuntur, recitantur autem post Responsorialia Breuia, & post Hymnos, & ante Orationes, De versibus Amalarius libro de ordin. Antiphonarj, & libro quarto de offic. Ecclesiasticis cap. 12. & cap. 46.

DE ORATIONIBVS.

Decimò quæritur, quare Orationes Collectæ dicantur, & quare ante Orationes semper dicatur Oremus? Respondeo: in vita Ioannis Episcopi Neapolitani, ita scriptum continetur: *Sabbato autem secunda hora diei laetus ad Ecclesiam processit, & ascenso tribunali ex more populum salutauit: resalutatusque à populo orationem dedit: & collecta oratione spiritum exhalauit.* Quorum verborum hic videtur esse sensus: Cum ait: *Ex more populum salutauit*, indicat illud, quod Episcopus ante orationem dicere consuevit. *Pax vobis*, cum subdit. *Resalutatus à populo*, significat, quod populus respondere solet; & cum spiritus tuus: Cum addit: *Orationem dedit: est illud quod ante orationem præmittitur: Oremus.* Et quod sequitur: *collecta oratione*; idem est; quod recitata oratione. Et ex his elici videtur, cur Collecta, oratio dicatur. Nam cum salutato populo, & resalutatus à populo Episcopus dat, hoc est, indicit orationem, dicendo: Oremus; tunc quasi populus aliquantulum in silentio orauerit, Episcopus communes totius populi preces vnica breui sua oratione colligit, recitat, atque concludit: & tantquam Sacerdos legatione functus apud Dominum nomine omnium suorum, communes preces, & vota Deo offert. Vnde Auctor Micrologi de Ecclesia, obserua. cap. 3. docet orationem dictam esse Collectam, quia Sacerdos omnium orationes in vnâ, quam ipse recitat, concludit, & colligit. Idem senserunt Vualfri. De rebus Ecclesiasticis, cap. 22. Beruo. De officio Missæ. Hugo. lib. 2. De offic. Ecclesiasticis, cap. 16. quorum sententia maximè verbis Calsiani confirmatur, cum ait: *Cum autem is, qui orationem collecturus est, è terra surrexerit, omnes pariter eriguntur, ita vt nullus, antequam inelinetur ille, genua flectere, nec cum è terra surrexerit, remorari præsumat, ne non tam secutus fuisse illius conclusionem, qui preces collegit, quam suam celebrasse credatur.* Et deinde ait in alio capite, quanto silentio, & breuitate orationes apud Aegyptios colligantur. Item, in cap. conuenit. De Consec. Dist. 5. ex Concilio Agathensi dicitur: *Post Hymnos, Capitula de Psalmis dicantur: & plebs collecta oratione ad*

Vesperam, ab Episcopo demittatur cum benedictione.

Cap. XVI.

De alijs quibusdam, quæ una cum precibus Canonici recitari consueverunt.

Primo queritur, An ad Horas Canonicas Paruum B. Virginis Officium pertineat? *Respondeo*, Horas Canonicas multo ante huiusmodi officium fuisse institutas. Urbanus secundus, teste B. Antonin. *Par. 2. Tit. 16. cap. 1. §. 23.* & teste Duran. *in Rational. diuinorum officiorum lib. 6. capite secundo, num. septimo,* & Radulpho *in libello de Canon. obseruant. proposi. 20.* in Concilio Claramontano *in Aruernis anno salutis 1096.* instituisse fertur preces horarias Beatæ virginis, & præcepisse, vt Clerici eas quotidie recitarent, instituisse etiam Officium eiusdem Beatæ Virginis, quod in Sabbatis minimè impeditis Clerici persoluunt, sicut antea in Concilio Placentino, addiderat nouem præfationibus antiquis decimam: *Et te in ueneratione Beatæ Virginis collaudare,* & reliq. *cap. Sanctorum Dist. 70.*

At communis Summistarum, & Canonici iuris interpretum habet sententia, huiusmodi Paruas preces horarias non iure scripto, sed vsu tantum, & consuetudine vim legis habente, recitari. Verisimilius est Urbanum II. in eo Concilio lege sanxisse, vt recitarentur fortassis tamen nõ est talis consuetudo vsu tunc temporis recepta, quæ deinde paulatim in consuetudinem abiit.

Secundo queritur, an Clericus, qui iure cogitur preces horarias recitare, debeat etiam persoluere Paruum Officium Beatæ Virginis? *Respondeo*, olim ante Breuiarium editum à Pio Quinto, Clericus cogebatur prædicti Officium Paruum iuxta morem, & vsum suæ Ecclesiæ persoluere, illud enim quædam Ecclesiæ in Choro canebant, ceteræ non item. At verò Pius Quintus, Clericos liberauit à penso huiusmodi Paruarum precum, quando priuatim extra chorum preces Horarias recitant. quamuis non sustulerit laudabilem consuetudinem Ecclesiarum eas in choro cantantium, vt colligitur ex litteris eiusdem Pontificis Breuiario nouo præfixis.

Tertio queritur, An Canonicus eius Ecclesiæ, in cuius Choro cani solent Paruæ preces iam dictæ, recitare debeat easdem, cum priuatim extra Chorum persoluit Ecclesiasticum Officium? *Affirmant* aliqui debere, quoniam cogitur Diuini Officij pensum reddere more suæ Ecclesiæ: sed suæ Ecclesiæ vsu, prædictæ preces vnà cum Officio Ecclesiastico soluuntur; ergo debet eas preces priuatim Canonicus recitare. *Videtur* tamen probabilius, quod alij docuerunt, non esse ad id compellendum, si formula à Pio V. edita in Officio Ecclesiastico soluendo vtatur eo quod Pius V. immunes, ac liberos ab his precibus Beneficiarios, & Clericos reddit, quando priuatim extra chorum, pensum Horarum soluunt. *Obijciens*, olim etiam priuatim recitabantur Paruæ preces coniunctim cum Ecclesiastico Officio. *Respondeo*, eum vsum esse à Pio V. sublatum; non tamen consuetudinè eas preces in Choro canendi.

Quarto Queritur, An Clericus certis Hebdomadæ diebus debeat persoluere officium, quod

consuevit solui pro Mortuis? *Respondeo*, ante Pium Quintum, Clerici qui officij Ecclesiastici lege tenebantur, debebant etiam priuatim eas pro mortuis preces recitare iuxta morem, & consuetudinem suarum Ecclesiarum: at Pius Quintus constituit, ne hac lege Clerici tenerentur, cum priuatim preces horarias recitant: eosdem etiam soluit lege recitandi septem Psalmos, quos Pœnitentiales appellant, & eos quoque quindecim, qui Graduales vocantur: liberauit quoque præcepto, & lege Letaniarum recitandarum, quæ olim cani, ac recitari quotidie consueuerat.

Quinto queritur, quomodo officia Ecclesiastica distinguantur? *Respondeo*, multis modis, aliud enim officium dicitur Duplex, eo quòd, vt quidam testantur, duplicatis vespertinis precibus constat: vel vt alij, quia Antiphonæ, ad Psalmos, & Cantica duplicantur: nam integrè ante & post Psalmos, & Cantica recitantur: Et semiduplex, eo nimirum, quòd proximè accedit ad Duplex: vnde Antiphonæ ante Psalmum, vel Canticum, ex parte finito verò Psalmo, vel Canticò, integrè recitantur. Simplex officium dicitur propterea, quòd solemnè omni ritu careat: quò modo etiam pactum, aut iusurandum dicitur simplex, aut nudum, quòd omni alia iuris celebritate vacat.

Alia officia sunt Dominicarum, alia feriarum, alia vigiliarum. Officium porò, quòd in peruigilijs Apostolorum, & Martyrum recitari solebat; erat ex toto officium ferie destinatum: nam in huiusmodi peruigilijs ieiunium de more seruabatur: ac proinde totum Officium horarum ad feriam pertinebat.

Missæ sacrificium fiebat de eo sancto, cuius post die celebratas colebatur: ac proinde Pius Quintus instituit, vt in Nocturnis vigilijs tres lectiones recitarentur ex homilijs in illud Euangelium, quòd in Missæ sacrificio canebatur, vt preces Horarum cum Missæ sacrificio conueniret. Item tempora, quibus Officia Ecclesiastica variantur, sunt Quatuor, vt ait Radulphus *in libello de Canon. obseruant. proposi. 16.* nempe Aduentus, Quadragesima, tempus Paschale, & Ordinariũ. Nam ante diem Natalem Domini colit Ecclesia aduentum dominicum. Deinde post Natalem Domini, & certas quasdam Dominicas, celebrat. Septuagesimam, Sexagesimam, Quinquagesimam, & Quadragesimam. Postea à Palcha vique ad Pentecostes hebdomadam, tempus interpositum dicitur Paschale: à Pentecoste reliquum tempus vique ad Aduentum Domini, dicitur tempus post Pentecosten, quòd Radulphus appellat quondianum, & ordinariũ.

DE ADVENTU.

Aduentus Romano more incipit Dominica prima, post diem Catharinæ crastinum, teste Radulpho *loca citato*, & habet quatuor hebdomadas, quamuis non semper integras, & quatuor Dominicas. More verò Ambrosiano incipit Aduentus, eodem teste Radulpho, Dominica prima, diem festum B. Martini Episcopi Turonensis, sequente, & continet sex hebdomadas. Aduentus itè tempus est patrum lætitiæ, partim iuctus, & mœroris: vnde in eo non recitatur Canticum,

ant Hymnus Te Deum laudamus, & Gloria in Excelsis Deo, & Ite, Missa est, & deponuntur gaudij, & lætitiæ vestes, retinetur tamen Alleluia. In Aduentu etiam omittuntur consuetæ commemorationes Sanctæ Mariæ, & Apostolorum, aut aliorum Sanctorum tutelarium, ne ante Christi Aduentum imploremus opem, & patrocinium eorum, quos ipse Christus suo aduentu gratia, & sanctitate donauit, & qui per Christum nostram tutelam, & patrocinium susceperunt. Nec sic commemoratio Crucis, nec pacis, ne videatur Christus ante passus quam natus, & nobis pacem prius attulisse, quam venerit. Romani veteres in Aduentu ieiunium seruabant, vt loco citato testatur Radulphus, quod etiam nunc Monachi, & Religiosi Mendicantium ordinum fratres colunt: nec Ecclesia nuptias solemniter hoc tempore celebrat.

DE QUADRAGESIMA.

In Septuagesima Pentateuchus incipit legi ad Nocturnas Vigilias, vt Gelasius instituit: & Gregorius VII. teste Radulpho loco citato constituit, vt Historia de Noe in Sexagesima legeretur, in Quadragesima vero de Abraham Patriarcha. Gregorius quoque I. instituit, vt extra id tempus, quod interiectum est inter Septuagesimam, & Pascha, Alleluia diceretur. Leo IX. vt habetur in capiti duos, De Consecratione, Distinctione prima, Sic ait: A Septuagesima, quando lapsus protoplasti in Ecclesia recitatur, Alleluia nouem hebdomadas intermissimus, scilicet, vsque in Pascha, ubi Christus resurgens à mortuis, tristitiam nostram in gaudium vertit, & Alleluia nobis redidit: similiter etiam intermissimus Canticum lætitiæ Gloria in excelsis Deo. Hæc ille. More tamen Ambrosiano, & Benedictino, vt ait idem Radulphus, & probat ex regula S. Benedicti cap. 34. Alleluia retinetur vsque ad primam Dominicam in Quadragesima. Ex quo suspicari, & conijcere quidam videntur ante Gregorium I. Septuagesimam non esse institutam: quod ego verum non puto, de qua re suo loco dicemus. Vnde autem, & cur dicta sit Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, & Quadragesima, suo item loco explicabo.

Concilio Laodiceno c. 51. constitutum est, ne in Quadragesima Natalitia Martyrum celebrentur, sed eorum Commemoratio fiat in diebus Sabbatorum, vel Dominicis. Meminit autem solum Martyrum: quia eo tempore Ecclesia solum Martyrum memorias colebat, non Confessorum. Ex quo factum est, vt olim Dies Sancto Gregorio, & Ambrosio sacer coleretur teste Radulpho libello citato prop. 16. in tempore ordinationis ipsorum, non obitus, nimirum die tertia Septembris, in quo fuit sacra Gregorij ordinatione: & in die septima Decembris, cum est Ambrosius ordinatus. dies quoque festus S. Benedicti, in die 21. Iulij, eius Translationi sacro Hispaniarum item Episcopi instituerunt, vt dies Festus Annunciationis Dominiæ coleretur in Mense Decembri die octauo, ante natalem Domini: ac more Ambrosiano teste Radulpho loco citato, Annunciatio Domini celebratur solemniter ritu, in Domini ca, quæ proximè Natalem Domini præcedit: nec dies ullus festus per totam quadragesimam colitur more Ambrosiano. Diebus item Quadragesimæ

(Gregorius ait) pensum seruauit nostra angere debent in precibus, & bonis operibus. Ex quo factum est, vt tempore Quadragesimæ ieiunij cum Diuino Officio septem Horarum Canonicarum recitare quotidie, aut certis quibusdam diebus Clerici confueuerint septem Psalmos, qui penitentium vocantur, & Psalmos Nocturnos, qui dicuntur Mortuorum, cum nouem Lectionibus, & his additi etiam sunt Psalmi Graduales, ac Lætiæ siue supplicationes. Nunc verò iuxta formulam Breuiarij editi à Pio Quinto, retinentur preces ad Matutinas Laudes, ad Horas scilicet Vespertinam, completam, & cæteras:

DE TEMPORE PASCHALI.

Tempus Paschale totum est lætitiæ, vnde in eo frequentantur Alleluia, tra, vt ad Responsoria Breuia in singulis Horis Alleluia reperatur. Protenditur id tempus vsque ad hebdomadam Pentecostes: fit commemoratio Crucis quotidie quia Crux Christi fuit totius nostræ lætitiæ causa, Officia Ecclesiastica eo tempore sunt breuiora. Vnde Gregorius VII. in cap. In die, De Consec. Distinct. quinta, in die, inquit, resurrectionis vsque in Sabbatum in Albi, & in die Pentecostes vsque in Sabbatum eiusdem, tres Psalmos tantum ad Nocturnos, tresque Lectiones antiquo more canimus, & legimus. Deinde reprehendit eos, qui in quotidianis diebus tres tantummodo Psalmos, & tres Lectiones recitare volunt. Non, inquit, ex regula Sanctorum Patrum, sed ex fastidio, & negligentia comprobantur hoc facere. Romani verò diuerso modo egere ceperunt, maxime à tempore, quo Theutonici concessum est regimen nostræ Ecclesiæ. Nos autem, & ordinem Romanum, & antiquum morem nostræ Ecclesiæ, imitantes antiquos Patres, statuumus fieri, sicut superioribus prenotauimus. Superius autem dixerat. Omnibus diebus per totum annum, excepta Hebdomada Paschali, & Pentecostes, si dies festus sit, nouem Psalmos, & nouem Lectiones dicimus: alij verò diebus duodecim Psalmos, & tres Lectiones recitamus. In Dominicis verò diebus decem, & octo Psalmos, excepto die Pasche, & Pentecostes, & nouem Lectiones celebramus. Hæc ille.

DE TEMPORE QUOTIDIANO.

Tempus ordinarium, & quotidianum, quod est à fine Pentecostes vsque ad Aduentum Domini, aliquando continet vigintiocto Dominicas: aliquando verò tantum vigintitres. Quando habet vigintitres, tunc loco vigesimæ tertiæ ponitur Dominica vigesima quarta, in qua Euangelium cantatur secundum Matthæum: cum videlicet abominationem desolationis. & Officium Dominiæ vigesima tertiæ persoluitur in Sabbato proximè præcedenti, non impedito celebritate diei festi nouem Lectionibus: alioqui in feria Sexta, vel alia similiter non impedita. Hoc autem fit, quia vsu, & more Ecclesiæ Romanæ Ecclesiastica officia finiuntur in Commemoratione extremi iudicij futuri: sicut etiam similiter inchoantur. Et ideo xxiiij. Dominica ponitur loco xxiiij. quando xxiiij. est vltima: & quia ea suo loco mouetur, transfertur eius Officium in Sabbatum quod proximè præcedit, nec Officia per totum anni cursum recto ordine disposita absoluiamus absq; extremi iudicij memoria. Præterea

quia à Pentecoste vsque ad Aduentum, tantum viginti quatuor Dominice ponuntur, cum tamen possint esse vigintiocto: ideo quando vigintiocto interueniunt, reliquæ sumuntur ex his, quæ eo anno supersunt ex Dominicis, quæ sunt inter Epiphaniam, & Septuagesimam. Inter Epiphaniam autem, & Septuagesimam aliquando, quamvis raro, possunt esse sex Dominice: quarum duæ primæ semper inter Epiphaniam, & Septuagesimam ponuntur. Officium primæ Dominicæ semper inter Epiphaniæ octauas, cuius Euangelium est de puero Iesu duodecim annorum Hierosolymis relicto, & in templo inuento. Officium verò Secundæ Dominicæ, cuius Euangelium est de aqua in vinum mirabiliter conuersa in nuptijs factis in Cana Galilææ, semper fit proximè post octauam Epiphaniæ. Et quia aliquando contingit, vt prima Dominica post octauam Epiphaniæ sit septuagesima, ideo tunc Officium Secundæ Dominicæ transfertur in Sabbatum proximè præcedens, nõ impeditum die festo nouem Lectionum; alioqui in feriam sextam, aut aliam similiter non impeditam. Totæ huius ratio est, quia Ecclesia Romana à die Epiphaniæ celebrat solemnè ritum tria illa Christi Domini opera mirabilia, nimirum, cum ipse stella duce à tribus Magis agnitus, & adoratus est: & cum à Ioanne Baptista in Iordane baptisate ablatus est: & cum in nuptijs aquam in vinum conuertit. In die Epiphaniæ cantat Euangelium de tribus Magis, qui stellæ ductu ad Christum venerunt: & in die Octauæ Epiphaniæ Euangelium de Baptismo Christi: & in prima Dominica post Octauam Epiphaniæ, Euangelium de Aqua in vinum in nuptijs mutata.

Lnc. 2.

Matth. 2.

Cap. XVII.

Quidam sacrificium sit, & quotuplex.

Inter actus Religionis externos, vt ante iam diximus, est opus, quo Deo aliquid sacrificamus. Sacrificium autem in noua lege à Christo Domino institutum, Missa est: de qua est nobis in præsentia differendum, sed in primis quædam generatim sunt de Sacrificijs disputanda.

Primò queritur, vndenam nomen Sacrificij dictum sit, & quot modis sumatur? Respondeo, dictum esse ab eo, quod res sacra fit: sacra autem, & religiosa res fit eo, quod Diuinis vsibus, adhibitis certis quibusdam verbis, precibus, ceremonijs, & ritibus destinatur. Et quia nominis etymologia sæpe latius patet, quam res nomine significata: hinc est, vt etiam huius nominis notatio alijs rebus conueniat, quæ sacrificia proprie non sunt: nam templa, altaria, vasa, vestes, & id generis alia, sunt sacra, quæ tamen sacrificij nomine minime designantur: neque enim eis sacrificij natura, & ratio conuenit. Porrò sacrificij nomen dupliciter accipi solet, latè scilicet, & strictè: Latè acceptum, per metaphoram sumitur multipliciter. Primum enim, vt colligitur ex Augustino lib. de ciuit. 5. cap. 4. & S. Thoma secundæ secundæ questione 85. art. 3. omne opus, & officium pietatis, & charitatis; quo de aliquo homine causa Dei bene meremur, dicitur Sacrificium, qualis est Eleemosyna in vsus pauperum propter Deum erogata, quam hostiam vocat Paulus Heb.

13. Deinde, sacrificij vocabulo notatur omne opus, quo peccata commissa per veram animi penitentiam expiamus: cuiusmodi sunt operosa, & laboriosa quadam officia virtutis, quæ libenti animo præstamus, quibus nostrorum peccatorum fordes eluantur. Sic etiam vera, & legitima cordis penitentia, qua culpas detestati lugemus, sacrificium appellatur, iuxta illud Davidis: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*; martirium item spontè, & voluntate susceptum. Et opus illud, quo quis causa Dei, certæ Religionis, votis emisit se addicit, & mancipat, venit appellatione Sacrificij. Strictè verò, & proprie sumptum nomen sacrificij significat actionem, per quam res aliqua corporea primò sacra facta offertur Deo. Vnde victima, & hostia si pro animalibus, quæ macabantur sumantur, latè sacrificium dicebantur: nam apud Latinos victima significat animal, quod hostibus deuictis cædebatur in gratiarum actionem: Hostia, animal, quod pro victoria de hostibus reportanda macabatur.

Vniuersè igitur sacrificium proprie acceptum significat rem corpoream, quæ potest in sensum incurrere, & quæ primò sacra facta Deo offertur, cuiusmodi sunt animal, carnes, panis, oleum, vinum, farina, frumentum, thus, vel aliquid simile, quod igni coctum, aut combustum, aut aliter quomodolibet tritum, aut commolitum, aut fruxum, aut varia aliqua aspersione, aut permissione affectum Deo immolatur.

Secundò queritur, Quidnam sit sacrificium proprie, & strictè sumptum? Respondeo, esse actionem, per quam res aliqua corporata, siue ad esum, siue ad potum apta, primò sacrat certis verbis, & ceremonijs adhibitis, & Deo offertur à legitimo ministro, ritu debito, in finem congruentem. Dicitur, *Affio*, quoniam licet sacrificium aliquando dicatur res ipsa, quæ offertur, vt hostia, vel victima; in præsentia tamen non sumitur pro re oblata; sed pro actione, qua res Deo sacrat, & offertur. Cæteris verbis exprimitur omnis sacrificij materia; quæ debet esse corporea, & quæ possit sensu percipi, immo, quæ est sæpius elui, vel potui apta, eò quod tanquam cibus Deo acceptus, & gratus, vel tanquam cibus ministrorum eius offertur. Exprimitur quoque finis, cuius gratia sacrificia facimus. Sacrificia, vel Deo auctore, vel more, & instituto Maiorum, vel instinctu nature sunt, & offeruntur, quibus admissa peccata expiuntur, vel Dei auxilium inuocetur ad bonum aliquod obtinendū, vel iusta, & debite pro beneficijs à Deo acceptis gratiæ referantur. Dicitur, *primò sacrat, & offertur*, quia vt ex S. Thoma 2. 2. quæst. 86. art. 1. & quæst. 85. art. 3. colligitur, differt sacrificium ab alijs oblationibus, quæ Dei causa fiunt, quia sacrificij materia aliquid in se patitur, ac proinde aliqua sui mutatione sacrat; aliarum verò oblationum materia nullam sui mutationem patitur; sed tantum adhibitis sub certa quadam præscripta forma verbis, precibus, ritibus, ac ceremonijs, sacerdotis ministerio consecratur, vt rami oliuarum, palmarum, fructus arborum, panis, vinum, oleum, vestes, & quæ talia sunt. Quo fit, vt sacrificium ab oblatione distingatur: hæc enim, tanquam genus, latius patet, quam sacrificium: nam

omne

omne sacrificium est oblatio, non contrā. In veteri Hebræorum lege offeriebatur, qui dicebantur panes propositionis, qui ante altare Dei in mensa tabernaculi, vel templi exponebantur, Decimæ item, & primitiæ, quæ oblationes erant, sacrificia non item. Præterea, sacrificij materia, quæ Deo offeriebatur, per aliquam actionem in honorem, & cultum Dei transmutabatur, animal maclabatur, igni exurebatur ex toto, vel ex parte, thus adolebatur, farina clibano, sartagine vel craticula coquebatur, panis in frustra, & particulas dissecabatur, spicæ triticeæ igne torrebantur, frumenti grana conterebantur, sanguis fundebatur, & spargebatur in parietes. Oblationes verò, erant dona, & munera absque vlla alia transmutatione data Deo. *SI QVAERAS*, an sacrificium etiam sit signum? *Resp.* Augustinum lib. 5. de Civitat. cap. 5. dixisse sacrificium visibile inuisibile sacrificij signum esse, & in Epist. 49. questione tertia, dicit significatiua esse omnia talia sacrificia, & quarundam rerum similitudines: Et reuera cætera sacrificia in lege veteri signa fuerunt sacrificij cruenti, quod in Cruce Christi obtulit. & sacrificium potest multa significare: nam licet sit actio Sacerdotis, sit ad laudandum Deum, ad gratias ei agendas, ad bona ab eo impetranda, ad nostra peccata abolenda.

Tertio quæritur, quot fuerint in veteri Hebræorum lege genera sacrificiorum præscripta? *Respondeo*, ea colligi ex Leuitico in primis septem capitibus; Primum genus sacrificij erat, quo tota victima igni comburebatur, & combusta exhalabat fumum ascendentem in cælum: quod sacrificium hebraicè vocatur, Olah; eod quod animal oblatum ascendebat in altare Dei, totum igni cremandum, vel quia totum soluebatur in fumum sursum petentem. Græci vocant *Holocaustum*, vel *Holocaustoma*, quam vocem ferunt semper ijs in locis antè memoratis Latinus interpres. Hoc sacrificium offeriebatur ad testandum Diuini numinis, & maiestatis honorem, & supremum in vniuersa Imperium, ac dominatum; & ideo totum igni exurebatur: de quo sacrificio Leuitici 1. & 6. *Alterum genus sacrificij* dicitur hebraicè *Minchah*, quod Latinus interpres Leuit. 2. vertit sacrificium, & aliquando libamentum, interdum etiam libamen: quod erat munus oblatum, ex rebus vitæ expertibus, apertis tamen esui, ac potioni. Leuit. 2. sex genera materiæ huius sacrificij memorantur, similia, hoc est, farina purissima, oleo, & thure conspersa, panis ex simila, clibano, vel sartagine, vel craticula decoctus: spicæ triticeæ mature scentes igni tostæ, & triticum ex primis spicis contritum. Tertium genus sacrificij dicebatur hebraicè *Zeba Selomim*, quod Latinus interpres Leuit. 3. vertit, hostiam pacificam, & alibi hostiam salutarem: in eo immolabatur victima, hoc est, animal, quod gladio iugulabatur, cuiusque vna pars tota igni absumebatur, altera cedebat in cibum Sacerdotis, tertia in escam eorum, qui offeriebant; offeriebatur autem, vel ad gratias agendas pro beneficijs diuinitus acceptis, ad testandum, & declarandum animum gratum, aut sponte, vel ex voto ad Diuinam opem inuocandam,

& ad auxilium impetrandum pro aliquo beneficio obtinendo. In illo, quod Sacerdoti obueniebat totum edi debebat eodè die, quo erat oblatum: In hoc verò, quod Sacerdotibus obtingebat, edi poterat, vel eodè die, vel proximè sequenti, nec enim in diem tertium reiiciendum, aut differendum erat. Hoc genus sacrificij aliquando dicitur in sacris literis sacrificium laudis, quia offeriebatur ad prædicandas Dei laudes, & beneficia commendanda. Quartum genus sacrificij vocatur hebraicè, *Chatah*, quam vocem Latinus interpres Leuit. 4. vertit, hostiam pro peccato. Hæc autem erat animal quod immolabatur pro peccato alicuius, cuius pars igni comburebatur, & partem sibi in cibum Sacerdos sumebat, & offeriebatur, pro peccato summi Sacerdotis, aut pro peccato Principis, vel Magistratus, aut pro totius populi peccato, aut pro peccato priuatorum hominum. Apud Hebræos etiam nomen sacrificij aliquando sumitur pro ipso peccato, aliquando pro sacrificio quo peccatum expiatur: hinc Paulus ait: *de peccato damnauit peccatum in carne.* Peccatum in priori loco sumitur pro sacrificio, in posteriori, pro ipso peccato, quod est sacrificio deletum, & extinctum: ita ut sensus sit: *De peccato, hoc est per sacrificium destinatum peccato expiando: damnauit peccatum, hoc est, aboleuit peccatum in carne, id est, in hominibus; nam caro videtur hic accipi pro hominibus.* Alibi quoque Apostolus: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Sic intellige:

In quem peccatum cadere non potuit, fecit Deus hostiam, & oblationem pro peccato expiando. Quintum genus sacrificij appellatur hebraicè *Assam*, quod nomen Latinus interpres vertit, hostiam pro delicto, hoc est, pro peccato per errorem, siue obliuionem commisso. In eo offeriebatur agnus, cuius vna pars igni tradebatur, alteram sibi in escam capiebat Sacerdos: & hoc quoque nomen aliquando sumitur pro ipso delicto, aliquando pro hostia, per quam delictum expiatur. Porro hebraicè est commune nomen *Corban*, quod Latinus interpres semper vertit munus, donum, oblationem: nam generatim significat quicquid Deo offertur siue in seipso aliqua siue nulla mutatione varietur. Ex quo fit, ut sacrificium in quatuor partes diduci & distribui commodè possit, vnum est sacrificium, quod *Latreuticon* vocare possumus, quod in Dei honore cultum, & venerationem offertur, quale erat holocaustum. Alterum vocari potest expiatorium, quod fit, ut Deum nobis placatum, & propitium reddamus, & ut nostra peccata expiemus, & penitus eluamus. Tertium dicere possumus impetratorium, quando Deo aliquid libamus, ut opem nobis, & auxilium ferat, quo bona, quæ cupimus, & petimus, assequamur. Quartum genus sacrificij non ineptè quispiam nominauerit *Eucharisticon*, quod ideo adhibetur, ut Deo debitas pro beneficijs acceptis gratias referamus.

Quarto quæritur, An prædicta veteris legis sacrificia per se peccata delerent, gratiamque conferrent? *Magister Sententiarum in Quarto Distinctione prima* sensit eiusmodi sacrificia, etiam si ex fide, & charitate offerrentur; nullam vim habuisse tollendi peccata, & gratiam conferendi;

sed tantummodo esse à Deo instituta, & data illi populo in typum, & figuram nostrorum sacrificiorum, & veluti in onus, & seruitutem. Cuius sententia communi Theologorum consensione rejicitur. Fortasse sensit ille, ea sacrificia per se ipsa non aboleuisse peccata, ita ut non negaverit per fidem, & charitatem, quam in illis sacrificijs profitebantur ij, qui offerebant, peccata depelli. Hugo Sancti Victoris de Sacrament, libro 1. part. 11. cap. 1. opinatus est, ea sacrificia gratiam dedisse, ut erant nostrorum typi & figuræ. Caterum hanc etiam sententiam Theologi non admittunt: quia Paulus ad Romanos, & ad Galatas, & ad Hebræos, perspicuè satis ostendit veteris legis Sacramenta fuisse infirma.

Constantis est Theologorum doctrina, quam habet S. Thomas in 4. d. 1. quest. 2. art. 6. q. 3. Ricard. 4. d. 1. q. 4. Sotus d. 1. q. 2. art. 3. eiusmodi sacrificia vi, substantia, & natura sua gratiam, & veniam peccatorum non contulisse: offerentium tamen merito, quatenus ex fide, & charitate ea offerebant, gratiam præstitisse. Vnde ij, qui offerebant, sua peccata expiabant, Dei gratiam obtrinebant, pro peccatis culpæ debitis satisfaciebant, non per substantiam quidem illorum sacrificiorum, sed per merita Christi, quem venturum fide viva saltem implicite credebant, & cuius merita participabant per fidem, obedientiam, religionem, spem, & charitatem, quibus ea sacrificia offerebant. Hierem. 6. dicit Dominus: *Holocausa vestra non sunt accepta, vitima vestra non placuerunt mihi. Oseæ 6. Misericordiam volo, non sacrificium: & in Psalmis sæpius testatur se sacrificia, & oblationes non requirere, quippe qui eis non indiget.*

Sed obijcies illud Leuitici primo, sæpe inculcatum, de holocausto, sacrificium esse, quo placabatur Dominus, & odorem eius illi esse suavissimum, & proficere ad expiationem offerentium: quod ipsum Leuitici secundo, & tertio, frequenter repetitur. Item, Leuitici 4. non semel, ac iterum dicitur: *Rogabitque pro eo, id est, offerente, Sacerdos, & ei propitius erit Dominus, & dimittetur ei peccatum: idemque Leuitici 5. & 6. sæpius replicatur, quin, & Apostolus ad Hebræos 9. idem testatur his verbis: omnia penè mundantur in sanguine secundum legem. Deinde huiusmodi sacrificia erant officia obedientiæ, & Religionis in Deum, ex fide, spe & charitate profecta, ergo erant grata, & accepta Deo. Præterea Ecclesia Deum precatur, ut sacrificium, quod in Missa offert, acceptum habeat, sicut accepta, & grata fuerunt sacrificia Abelis, Melchisedechi, & Abrahæ. Leuitici item 18. ait Moses, eum, qui custodit Legem, & iudicia Dei, victurum in eis, quod est dicere more Hebraico, victurum per ea, siue ex eis. Et capit. A. quam. De Consecratione, distinctione quarta, ex Alexandro primo dicitur: *Cinis vitule aspersus populum sanctificabat;* item capit. Gloria 12. Quæstione secunda, ex Hieronymo refertur. *Quando Sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudum erat remissio peccatorum.**

Sed certè Paulus ad Romanos 3. & 4. ad Galatas. 2. & ad Hebræos 7. 8. 9. & 10. perspicuè docet institutam, gratiam, veniam peccatorum non fuisse ex lege, siue cœremonijs legis, & vetera sacrificia mundasse tantummodo offerentes à legali-

bus maculis, & immunditijs corporis, non mentis. Vnde quidam ad obiecta respondentis cum in Leuitico toties iteratur, ea sacrificia mundare, & peccata expiare, id locum habere in illis legalibus maculis, & immunditijs, quæ ob violatam legem contrahebantur. Polluti enim, præscripto legis arcebantur ab ingressu in templum, ab aliorum conuictu, & consortio, ab usu immolatorum animalium: à quibus immunditijs, & sordibus per sacrificia expiati liberabantur. Sed respondere etiam possumus, illa sacrificia deesse peccata mentis, non vi, & natura sua, sed fide, ac merito offerentium: qui saltem implicite, ac tacite in illis Christum venturum profitebantur dū ea offerebant.

Quintò queritur, num ante legem Moysi datam, aliqua extiterint sacrificia? Respondeo, aperte ex sacris literis constare, veteres esse patres sub lege naturæ viuentes Deo sacrificia sæpius obtulisse. Vnde B. Augustinus, libro decimo, de Ciuitate Dei, capite quarto ad finem. *Onam porro antiquus sit, inquit, in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres, Cain, & Abel satis indicant: quorum maioris Deus sacrificium reprobat, minoris affexit. Hæc ille. Legimus etiam Noe, Melchisedec, Abramum, & Iacobum Patriarchas, & Iobum Deo sacrificasse. Quæres, vnde nam illi patres, perantiqui Deo eas victimas immolauerint, quas postea lex per Moysen data Hebræis præscripsit? nam hostias obtulisse memorantur ex eisdem quadrupedibus, & volucris, ex quibus deinde lex iulsi offerri. Respondeo, id eos fecisse, vel Dei afflatu permotos, vel instituto, ac more Maiorum edoctos.*

Obijcies; Tunc temporis sub lege naturæ vivebant, ergo non erant ea sacrificia, quæ fuerunt legis præscripto constituta? Respondeo, id tempus dici legis naturæ, quia nondum erant legis scriptæ præcepta, quæ tamen multi ex illis patribus antiquis sæpius præstiterunt: non quidem necessitate legis, sed instinctu, & voluntate Dei, aut instituto, & more Maiorum: Sic Abraham, & Iacob decimas, & primitias; Abel primogenita, & adipe animalium, Cainus ex terræ fructibus obtulisse memoratur, Noe inter mūdōs & immūdos discreuit cibos. Gen. 38. dixit Iudas ad Onan filium suum; *ingredere ad uxorem fratris tui, & sociare illi, ut suscites semen fratri tuo.* Ille sciens non nasci sibi filios, hoc est, non suo nomine eos vocandos, sed fratris sui filios habendos, & reliqua, quod totum fuit in lege Moysi postea constitutum. Vnde S. Thomas 2. 2. q. 95. art. 1. ad 1. ait: *Oblationem sacrificij in communi esse ex lege naturæ, sed determinationem sacrificij esse ex institutione humana, vel diuina.*

Sextò queritur, Num ante circumcisionem institutam fuerit aliquod sacrificium, quo peccatum originis deleretur? De hac quæstione pauca quædam dixi pro instituti ratione lib. 4. cap. 34. vers. septima sententia, & latius dicam, cum de Sacramentis disputabo.

Septimò queritur, An sacrificium sit iuris naturalis, an tantummodo iuris scripti diuini? Respondeo, esse iuris naturalis sacrificium vniuersè sumptum; nam sacrificia generatim lex, & recta ratio præscribit, quoniam naturali ratione cogno-

Gen. 4. Infr. 14. Infr. 12.

Heb. 9.

gratificimus esse vnum Deum summum omnium rerum dominum, ac principem, omnium bonorum largitorem; ac propterea ei debitas gratias referendas, eius auxilium inuocandum; vt nos tueatur, ac seruet à malis, & bonis afficiat: et etiam nos obtemperare oportere: & idcirco tanquam supremo Domino munera esse offerenda, honorem & cultum esse tribuendum: eum esse sacrificijs placandum, quem nostra peccata offenderunt. At verò certum, & speciale sacrificium iuris est diuini, vel humani, non naturalis: quem admodum ius naturale præcipit orandum esse Deum, sed certæ, ac definitæ preces, & præscriptæ precandi formulæ, iuris diuini vel humani sunt. Sic naturali iure præscribitur Deo esse sacrificandum: sed hæc, aut illa sacrificanda, lex humana vel diuina constituit, vt dicit S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 1. ad 1.

Quæritur, An soli Deo sacrificia fiant, & offerantur? **Respondeo** cum ex B. Augustino *lib. 8. cap. 27. de Ciuitat. Dei, & S. Thom. 2. 2. q. 93. art. 2. ubi dicitur aliquando fidelium, stantem Sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem, cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum ad eorum memorias offeratur Deo, qui eos, & homines, & martyres fecit, & sanctis suis Angelis celesti honore sociauit?* Sic Augustinus: Vnde Synodus Tridentina *Sessio. 22. cap. 3.* definiuit Missæ sacrificium soli Deo offerri: & postea subiicit: *Et quamuis in honorem, & memoriam Sanctorum Missæ Ecclesia celebrare consueuerit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui eos coronauit.* Vnde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in celis, quorum memoriam facimus in terris. Hæc Synodus.

Obijcies vsum, & consuetudinem Ecclesiæ, quæ templa sanctorum Martyribus extruit, & dedicat; at templum extruitur ad sacrificia in eo offerenda. **Respondeo** cum eodem B. Augustino loco citato: *Nec tamen nos eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituiimus: quoniam non ipsi, sed eorum Deus, nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei, qui vsque ad mortem suorum corporum, pro veritate certarunt, vt innotesceret vera religio, falsis religionibus, illis que conuictis.* Et paulò inferius: *Quæcumque igitur adhibentur religionum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra, vel sacrificia mortuorum, tanquam ædium.* Hæc August.

Dices, Quare igitur templa dicimus, esse erecta, & dedicata S. Petro, S. Paulo, vel Beatiss. Virgini Deiparæ? **Respondeo**, propriè quidem templum esse Deo dicata, cum ea extruantur, & consecrentur, vt in eis victimæ Deo immolentur, sacrificia offerantur: sed nihilominus appellantur etiam templa Martyrum, quia eadem sacræ domus, quæ sunt templa Deo dicata, continent Martyrum sepulchra, ossa, reliquias, cineres, corpora, aut saltem eorum imagines, & monumenta, vel aliquid aliud, quod ad ipsos aliqua ratione pertineat: ac proinde templa Deo inferunt, vt ipsi in eis sacrificemus: Sanctis verò Martyribus seruiunt tanquam ædes amplæ, & magnificentæ; in quibus aliquid honorificè contine-

tur, & afferatur, quod ad Martyres aliqua ratione spectet, vt eorum memoria perpetua cebritate recolatur. Ex quo etiam fit, vt templa Beatæ Dei Genitrici, Sancto Michaeli, & alijs Angelis sacrata esse dicantur: nam tamen corpora, vel reliquias non contineant; habent tamen eorum imagines, vel aliqua monumenta rerum, quæ Deus eorum precibus, ministerio, & opera mirabiliter efficit. **Quæres**, quanam ratione monstratur, sacrificia Deo soli debere? **Respondeo**, sacrificium esse religionis opus, & officium; at Religio moralis est virtus, quæ cultum, honorem, & venerationem Deo debitam defert. Deinde sacrificia facimus, vt profiteamur exterius, quod interna fide credimus, Deum scilicet esse rerum omnium Dominum, Regem, ac Principem, cui pro tot, ac tantis beneficijs acceptis, gratias debeamus; cuius diuinum auxilium, & opem implorare nos oporteat, vt ipso auctore liberemur à malis, & in bono conferuentur.

Hæc autem à sanctis Martyribus nequaquam postulamus; sed inter sacrificandum, eorum preces ad Deum, & patrocinia imploramus, videlicet vt Deum pro nobis, orent assidue; eorum memorias celebramus, vt eorum exemplo, & imitatione ad bonam vitæ frugem excitemur. Vt immerito proinde Hæretici Catholicos acculent, quod templa ædificent, & consecrent in honorem Martyrum, eorumque nominibus appellent. Ecclesia profecto vlti, & more à primis Apostolorum temporibus ad nos vsque perducto templa in Dei cultum, & Martyrum memoriam semper extruxit: Et id veterum Patrum Ambrosij, Augustini, Gregorij, Damasceni, Leonis, Epiphani, Cyrilli, Nazianzeni, Basilij, & Athanasij confirmat auctoritas; quos vnà cum alijs citat Durandus *de ritibus Ecclesiæ Catholice libro 1. capite 1. c. 2.*

Nonò Quæritur, Quibusnam temporibus Deo sacrificare debeamus? **Respondeo**, certa ac definita tempora sacrificandi, iure naturali præscripta non esse, nisi generatim tempore necessitatis. In vetere autem Hebræorum populo certa tempora sunt à lege scripta constituta: Ecclesia quoque diuinitus edocta, certa Missæ sacrificio tempora destinauit, quæ similiter, vel voto cuiusque, vel Maiorum iussu, & auctoritate aliquando deputantur.

Cap. VIII.

De institutione sacrificij Missæ.

Proprium Christianorum sacrificium est Missa, à Deo instituta. **Quæritur** ergo in primis, an Missa sit nomen Hebraicum, an potius Latinum? **Quidam** videlicet Reulin. *lib. 2. de Hebraic. erudit. Alcan. lib. 7. Parerg. cap. 10.* Xainctes *in Prefat. in Liturgiam, Hæctor Pintus in Dan. cap. 3. Pamel. in Liturgiam* existimant esse Hebraicum, significareque voluntariam oblationem, quæ Deo offertur, aut tributum quoddam, quod ipsi persoluitur; quâuis alij minus rectè putauerint, designare id, quod in altum tollitur, quæ significatio nes si veræ sint, rei diuinæ, quæ in Missa fit, aptè cõueniunt. Nâ sacrû Domini corpus in Missa offertur, & veluti quoddam tributum genº soluitur, & in al-

tum tollitur, ut id populus debito honore veneretur. Alij tamen, ut rectè ait Durandus de ritibus Eccl. Cath. lib. 2. ca. 1. num. 2. probabilis crediderunt, vocem esse Latinam: quod probant, quia si Hebraicum nomen esset, integrum prorsus maneret, & apud Græcos, & apud Latinos, sicut ceteræ hebraicæ voces, quæ apud utroque eadem integræ, nihil penitus mutaræ manserunt; nimirum, Alleluia, Ofanna, Raca, Acheldema, Sabbaoth, Saccan, Sabbatum, Amen, Pascha, & id genus aliq. At videmus alio vocabulo uti Græcos, alio Latinos, alio Syros. Græci enim Liturgiam vocant; hoc est, munus, & ministerium publicum; Syri Quedofa, hoc est, Sanctum, Missam Latini. Deinde, constat, apud Latinos veteres patres vsurpata esse participia præteriti temporis pro nominibus, quæ verbalia Grammatici appellant. Sic collecta pro collectione, remissa pro remissione apud Tertullianum libro 4. contra Marcionem, cap. 18. Cyprian. de bono patientia, & libr. 3. epist. 8. & epistola 14. Sic videtur dici Missa pro missione.

Quæres, quid Missa, si Latinum nomen sit, significet? Respondeo, ut colligitur ex Alcuino de diuin. offic. cap. de celebrat. Missæ. Isidoro lib. 6. Etymolog. cap. 19. Raban. lib. 1. de institut. cleric. cap. 32. Remig. lib. de officio Missæ. Dimissionem populi significare: Olim namque in fine Missæ, quæ dicebatur Cathecumenorum, publica voce Diaconus clamabat: *Ite, missa est.* ut aperte insinuant S. August. serm. 237. ad mensam S. Cyprian. Concil. Carthag. 4. cap. 84. & cap. Episcopus, de consecr. dist. 1. Ambros. lib. 5. epist. 33. Iuo. in epist. 75. Concil. Illed. can. 4. & Calsian. lib. 2. de institut. Monach. cap. 15. & Clem. lib. 3. Constitut. Apostol. cap. 12. Concil. Laodicen. canon. 19. & Gregor. lib. 2. Dialo. cap. 2. quibus verbis ab Ecclesia excludebantur Cathecumeni, Energumeni, Pœnitentes, quibus fas non erat consecrationi corporis, & sanguinis Domini interesse; ac proinde dimittebantur hoc verbo; *Ite, missa est;* quasi diceret Diaconus: Vobis iam licet foras abire, iam vos dimitimus; ac proinde Ecclesiæ ad id vsque tempus in templo adesse cogebantur, & quia voce alia, & intente Diaconus publicè clamabat: *Ite, missa est;* cepit vulgariū hominum vsu integrum Missæ sacrificium, Missa appellari, sum pro vocabulo à publicis illis verbis, quæ ad omnium adstantium aures perferebantur. Et sicut tunc Diaconus dicebat: *Ite, missa est;* sic etiam nunc perfectò, & absoluto Missæ sacrificio, voce Diaconi, vel Sacerdotis dicitur populo: *Ite, missa est;* ut bene annotauit Durandus, vna cum alijs iunioribus lib. 2. cap. 1. num. 4. & 5. de ritibus Ecclesiæ Catholice. Quare falluntur, qui existimant, malè in Ecclesia ad finem Missæ dici voce Diaconi, vel Sacerdotis: *Ite missa est;* ut olim à Diacono dicebatur initio Missæ fidelium Christianorum. Nec enim tunc cum Diaconus proclamabat: *Ite, missa est;* id dicebat propter initium Missæ fidelium; perinde ac si diceret, Abite, quia incipit Missa fidelium; sed ob eam causam, quòd erat finis missæ Cathecumenorum, qui dimittebantur, ut liberè quòd vellent, se reciperent. Quod ergo Diaconus in fine Missæ Cathecumenorum dicebat, hoc in eodem ferè sensu solet in Ecclesia dici, quoties Sacerdotes offerunt, toto sa-

crificio completo: *Ite, missa est;* ut astantes intelligant sibi iam ab Ecclesiâ dimissis fas esse discedere. Quorundam est opinio, his verbis: *Ite, missa est;* idem significari, quòd, missa iam est ad Deum oblatio, Abite: in regula Sancti Benedicti, vbi cap. 12. 13. de publicis precibus dicitur, compleantur; postea in cap. 17. legimus, *Missæ sint, & sint;* Hoc est, compleantur, & finiantur, ac si diceretur, fiant dimissiones. Aliorum verò etiam probabilis videtur sententia, sic interpretantium: *Missæ est;* id est, sanctorum Angelorum turba missa est a Deo, quæ sacrificio adit, & illud per nos oblatum ad Deum deferat.

Secundò quæritur, Quomodo pacto in præsentia nomen Missæ sumatur? Respondeo, in iure Canonico, Patribus item, atque Concilijs accipi pro Missione, id est, dimissione Cathecumenorum. In Concilio Carthaginensi 4. can. 74. dicitur: *Episcopus nullum prohibeat vsque ad Missam Cathecumenorum, neque Iudæum, neque Gentilem Ecclesiâ ingredi, & audire verbum Dei.* In Concilio Illedensi canon. 4. prohibentur quidam in Ecclesiâ permanere, nisi vsque ad Missam Cathecumenorum. Ait etiam B. Augustinus sermone 237. ad Mensam S. Cypriani. Ecce post sermonem fit Missa Cathecumenis, manebunt fideles.

Eodè sensu accipitur Missa apud Calsian. J. 4. 7. & idem alibi Missam orationis vocat Dimissionem oratione finita; & alio in loco videlicet cap. 3. Missam congregationis, hoc est, Dimissionem congregationis, & Missam Vigiliarum, id est, dimissionem post vigiliis exactas. Hinc est illud, ut dixi, quòd in Regula quoque S. Benedicti statuitur, ut Missæ fiant, id est, Dimissiones Congregationis post Nocturnos singulis officij Ecclesiastici absolutos. Aliquòdo accipitur vocabulū Missæ præcisè pro ea parte sacrificij, in qua Christi corpus cõsicitur, cõsecratur & offertur: Aliquòdo designat eam partem, in qua Sacerdos preces ad Deum pro congregato populo fundit, ac mittit. Postremò, pro toto diuino officio, quòd ex Missa Cathecumenorum, & fidelium, & Sacerdotis precationibus constat: & hoc significatu in præsentia sumitur.

Tertiò quæritur, Quam vetus, & antiquum sit Missæ vocabulū in Ecclesiâ Latina? Respondeo, hoc nomen legi in primis apud B. Ambros. lib. 5. epist. 33. Ego, inquit, mansi in munere, Missam facere cupi, orare in oblatione Deum, ut subueniret: Deinde apud S. August. serm. 91. de tempore, & serm. 251. In lectione, ait, quæ nobis ad Missas legenda est, sandi uirij summi. Extat idem vocabulū apud Victorem Vicentem, & apud Calsianum lib. 3. de institut. Monach. cap. 11. Item in Concilio Romano sub Syluestro 1. in Carthaginensi 2. canone 3. & in Carthaginensi 4. canone 84. in Milcutiano itidem capite duodecimo. Legimus idem quoque nomen in epistolis Romanorum Pontificum, qui longè ante Syluestrum 1. Christi Ecclesiæ præfuerunt; Alexandri, inquam, 1. Telesphori, Higini, Sotheris, Pij, Fabiani, Euty-chiani, ut citat Durandus de ritibus Ecclesiæ Catholice, lib. 2. cap. 6. numer. 6. quamuis eiusmodi Epistolæ non ita constantem, & certam apud omnes auctoritatem habeant.

Quartò quæritur, An ex sacris literis colligatur, diuinum Missæ officium verè,

ac proprie sacrificij rationem habere? **Hæretici** li-
berè id negant. In Concilio Constantiensi *sess. 8. da-*
mnatur articulus inter alios iste: Non est fundatum
in Euangelio, quod Christus Missam ordinauerit. Et in Con-
cilio Tridentino sess. 22. can. 2. definitur: Si quis dixe-
rit, illi verbis: Hoc facite in meam commemorationem;
Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordi-
nasse, ut ipsi, alijq; Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem
suum; anathema sit. Hoc autem constanter veteres
Ecclesie Patres tradiderunt; Iustin. in Dialog. contr.
Tryphon. Iren. lib. 4. aduers. hæres. cap. 32. Alex. in epist. ad
omnes Orihód. Cyprian. lib. 2. epist. 3. & in serm. de Cena.
Tertullian. lib. de cultu fœmin. Orig. homil. 13. in Leuiss.
Nazianzen. orat. 1. contr. Iulian. Ambros. epist. 33. & li.
4. de Sacram. Euseb. lib. 1. cap. 10. de demonstrat. Euangel.
Hieron. epist. ad Hedibiam, & in epist. ad Euarrium. A U-
gustin. lib. 10. de ciuit. cap. 10. Athanas. q. 34. ad Antio-
chum. Dionys. de Eccles. Hierar. capit. 3. Iguat. in epist. ad
Smirneses. Ex Catholicis quidam negarunt Christum
seipsum in extrema cena sub specie panis,
& vini obtulisse incruentè; sed præcepisse tantum-
modò, ut eum incruentè Sacerdotes offerret.
At Synodus Tridentina sess. 22. capit. 1. definiuit,
quod se in cena Christus obtulerit. Et certè hoc
idem Patres olim ante tradiderunt. Cyprian. lib.
3. epist. 3. ad Cæciliam. Hieron. in Matth. 26. Helych. lib.
6. in Leuit. capit. 22. & libr. 2. capit. 8. Leo sermon. 7. de
Passion. Nissen. in oration. 1. de resurrectione Domini. Ori-
gen in Matth. capit. 26. Tertullian. lib. 4. contr. Marcion.
Chryostom. homil. 18. in Matth. Idorus lib. 6. Etymo.
cap. 19.

Deinde ex Euangelica historia id facile colli-
gitur. Nam Christus tunc corpus suum, & sangui-
nem consecrauit, & sublatis in cœlum oculis gra-
tias egit, ergo seipsum obtulit. Deinde post ty-
picum agnum, seipsum ut agnum figuratum, & si-
gnificatum suis discipulis dedit; ergo typici agni
figuram impleuit in omnibus. Accedit his, quod
ut Patres testantur, Christus Dominus Sacerdo-
tium, & sacrificium in Melchisedeco typicè ad-
umbratum compleuit; sed sacrificium Melchise-
dech fuerat in pane, & vino incruentum: ergo
Christus incruentè quoque illud in cœna obtu-
lit. **Præerea** Christus dixit: *Hoc facite in meam com-*
memorationem, iubens nos facere, quod ipse fece-
rat: sed nos eius auctoritate, & institutione
consecramus, & offerimus incruentè, ergo
ipse suum corpus, & sanguinem consecrauit, &
obtulit.

Obijcies, nullum verbum extare in Historia
Euangelica, ubi dominica cœna memoratur, quo
verbo significetur Christum seipsum obtulisse, &
sacrificasse incruentè: nam tantummodo legi-
mus ipsum consecrasse, fregisse, ac deinde imper-
tisse Discipulis corpus, ac sanguinem suum: Ergo
illa verba: *Hoc facite,* solum significant, Consecra-
te, frangite, & date cæteris meum corpus, & san-
guinem. Apostolus itidem Corinthiis scribens,
hoc quod est, Domini corpus, & sanguinem ede-
re, & bibere, ait esse commemorationem mortis
illius: ac verbum, *facite,* in Scripturis non signifi-
cat, Offerre & sacrificare. Sed hæc nullo ferè ne-
gotio diluuntur: quoniam ex hoc, quod Christus
consecrauit, Patri gratias agens, fregit, & dedit,
satis apertè colligitur seipsum obtulisse, prædi-
cã verba idem valent, ac, suum corpus, & sangui-

nem consecrauit, obtulit, & deinde Discipulis
impertiuit. Deinde verbum *facite* aliquando tum
apud profanos, tum apud sacros scriptores signifi-
cat sacrificare: præsertim cùm id ex adiuctis sapius
colligatur: verbi gratia, cùm dicitur, *Facere vitu-*
lum, facere agnos. Cùm item Euangelium refe-
rat, Christum dixisse: *Hoc facite,* eo ipso significat,
eum præcepisse, Meum corpus, & sanguinem con-
secrate, gratias agite, & date cæteris. Gratia au-
tem Deo agi dicuntur, quia corpus Domini con-
secratur, & offertur Deo; ac deinde cæteris da-
tur.

Quintò queritur, An sacrificij ratio, & natura
verè & proprie Missæ conueniat? Id similiter hæ-
retici pernegant. Primò, quia in sacrificio res,
quæ immolatur, sit primum sacra; At corpus
Christi in Missæ officio sacrum non facimus. De-
inde, res sacrificij mactatur, at hoc de Christi cor-
pore dici non potest. Accedit, quod hostia, & vi-
ctima est externa res, quæ aut cerni oculis, aut
manu tangi, & contrectari potest: at corpus Chri-
sti, ut est in Sacramento Eucharistia, sensibus mi-
nimè subjicitur. Postremò, in Missæ officio nihil
est, quod sacrificij rationem habere queat, nisi
aut species panis, & vini, aut corpus Christi sub
illis contentum. Non primum, quia huiusmodi
species Deo non libantur, nec offeruntur: non se-
cundum, quia corpus Christi non mutatur, sed
panis, & vinum in corpus, & sanguinem Domini
transeunt. Suprà ostendimus, quidnam vera, ac
ppria sacrificij ratio, & natura postulet. Diximus
enim ad sacrificium requiri rem externam,
& quæ sensibus percipi queat; quæ item sæpe est
ad esum, & potum apta, quæque sacra fiat, & cer-
tam aliquam in seipsa mutationem patiat, offe-
raturque Deo per legitimum ministrum, & cer-
tis quibusdam cœremoniis, ac ritibus: & hoc, vel
ad expianda & delenda peccata, eorum venia im-
petrata; vel ad gratias Deo agendas pro benefi-
cijs acceptis; vel ad eius opem inuocandam pro
bonis obtinendis, malisque vitandis, vel ad supre-
mum eius in omnia dominatum, & imperium
profutendum. Hæc autem omnia Missæ officio
conueniunt: in eo siquidem in primis substantia
panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi
præscriptis ab eo verbis, & per Sacerdotem pro-
latis conuertuntur; ac proinde corpus Christi
consecratur, offertur, & tamquam spiritalis ci-
bus animæ sumitur. Quare ipsum Domini cor-
pus est hostia, & victima, quæ incruentè ministe-
rio Sacerdotis offertur. Neque obstat, quod huius
sacrificij hostia minimè mactetur: hoc enim
sacrificij ratio per se non exigit: Erant siquidem
vetera sacrificia, in quibus materia panis, & vini,
& alia esculenta, & poculenta offerebantur. Sa-
tis igitur est ad sacrificium, si eius materia in se-
ipsa, aliqua consecratione mutetur: at in Missæ sa-
cificio panis & vinum reipsa mutantur, & vi-
conuersionis corpus Christi incipit esse sub spe-
cie panis, & vini, cùm antea non esset. Minus i-
tem obstat, quod corpus & sanguis Domini, dum
sunt in hoc sacrificio, sub sensus non cadant:
sufficit species panis, & vini, quæ corpus, &
& sanguinem Domini continent, res esse sensi-
bus subiectas. Et quando rogamur, an species pa-
nis, & vini, an potius corpus Domini sit sacrifi-

Vir. in Ex-
log.

cij materia? Respondemus, corpus Domini sub speciebus contentum, esse materiam sacrificij, quia est res, hostia & victima, quæ offertur, quæq; in cruentum immolatur. Non incommode etiam quis respondeat, ipsas species panis, & vini, quatenus Christi corpus, & sanguinem continent, esse materiam sacrificij Deo oblatam. Nam Irenæus lib. 4. cap. 32. ait Ecclesiam offerre Deo sacrificij ex creaturis, id est, ex pane, & vino. Cyprianus li. 2. epist. 3. & epist. 63. concedit Christum obtulisse Patri calicem vino, & aqua mixtum. Gregorius lib. 2. Dial. cap. 23. & lib. 4. cap. 55. Omnipotenti Deo, inquit, pro me offer hunc panem. Idem quoque docent Fulgent. de fide ad Petrum, c. 19. Alex. 1. in epist. ad Omnes Orthodoxos. Clem. 1. epist. 2. Hæretici concedunt, in Missa esse quidem preces, & lectionem Euangelij, aliarumque sanctarum scripturarum, ac Fidei in symbolo Apostolorum professionem; at vllam fieri negant dominici corporis consecrationem; vel saltem si eam admittunt, vt quidam eorum faciunt, pugnacissimè tamen inficiantur, vllam fieri corporis dominici oblationem. In quo vno potissimum videtur consistere tota controuersia, quæ nostra ætate est Catholicis cū Lutheranis. Isti enim verbum Oblationis in Missa detestantur; ac proinde totam sacrificij rationem, & naturam euertunt, ac tollunt. Catholici verò confitentur vtrumque, videlicet, corpus Domini reuera, & consecrari, & offerri; & hoc veteres patres, & Concilia communi consensu traderunt, hos Patres & Concilia citat Durandus de ritib. Eccl. Cathol. l. 2. c. 3.

Sexto quaeritur, An in veteri Testamento Missæ sacrificium fuerit, aut figuratum, aut significatum, atque prædictum? Hæretici contendunt Missæ sacrificium Genes. 4. in sacrificio Melchisedech: nequaquam fuisse typicè adumbratum: propterea quod Melchisedech panem, & vinum ex domo sua protulerit tantummodo ad reficiendos milites Abrahamæ, redeuntes ex bello hostium victores, quasi fame pressos; id enim docuit Iosephus lib. Antiquitatum, cap. 18. Deinde, quia Paulus ad Hebræos cum in multis Sacerdotium Christi cum Melchisedechi sacerdotio compararet: minima quæque excutiens, ac persequens; nihil prorsus meminit, Melchisedech panem, & vinum obtulerit, necne. Adde, quod verbum Hebraicum, quod Latinus interpres conuertit, in verbum proferens. solum significat, *Fecit exire panem, & vinum;* ac si dicat. Alportauit, vel detulit panem, & vinum. Nihil præterea sacri circa panem & vinum fecisse memoratur; ergo neque sacrificauit. Hebræi etiam docent, eo loco Melchisedechum non dici Sacerdotem Dei, perinde ac si sacerdotio fungeretur; sed dici magnum, & insignem Principem; hoc enim, aiunt illi, significat nomen Hebraicum, quod vertit Latinus interpres in Sacerdotem Dei. Postremo, inquirunt, malè interpres Latium translulisse in coniunctionem causalem: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* coniunctionem hebraicam copulatiuam, quæ verti debuerat, sic: *Erat autem Sacerdos Dei altissimi.* Hæc Catholicis hæretici obijciunt. Verumtamen eiusmodi sunt, vt facillimè diluantur. Nimirum sacras literas interpretari non licet contra vnanimem sanctorum Patrum consensum; ac omnes patres

Græci, & Latini locum Genes interpretantur de Sacerdotio, & sacrificio Melchisedechi in pane, & vino typicè significante in cruentum Christi sacrificium sub specie panis, & vini in Missa oblatum: sic Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. Cyprian. lib. 2. epist. 3. Euseb. lib. 5. de Demonstrat. Euang. cap. 3. Hieronym. epistol. 17. ad Marcellum, & epist. ad Euagrium, Ambrosius de Sacrament. libro 5. cap. 1. & lib. de ijs, qui Mysterijs inuicem, cap. 8. Chrysostom. homil. 35. & 36. in Genes. Theodoret. questio. 63. in Genesim, & in Psalm. 109. Epiphani. hæresi 55. Damascenus libro 4. de fide Orthodox. cap. 14. Arnobius & Cassiodorus in Psalm. 109. Photius, Oecumenius, Theophylactus in epistol. ad Hebræos cap. 5. Augustinus in Psalm. 33. & libro 17. de Ciuitat. cap. 20. Euthym. in Psalm. 109.

Nec obstat, Paulum ad Hebræos 7. comparasse Sacerdotium Christi cum Sacerdotio Melchisedechi in oblatione panis, & vini: nam eo loco Apostolus solum volebat ostendere Sacerdotium Christi Leuitico, & Aaronico Sacerdotio esse longè dignius, excellentius. Quod inde comprobatur, quod Melchisedech (secundum cuius ordinem Christus erat Sacerdos) benedixit Abrahamæ, & in eo Aaroni; ac proinde fuerit Aaron maior. Deinde, quod decimas spoliatorum accepit ab Abrahamo, & in eo ab Aaron, qui genus traxit ab Abrahamo. Summus autem Pontifex ab inferioribus Sacerdotibus decimas accipit. Denique, quod Melchisedechus quodammodo fuerit in perpetuum Sacerdos, cuius nec ortum, nec obitum Scripturæ commemorant. Hæc faciebant ad auctoritatem, & dignitatem Sacerdotij Christi: non autem quod Melchisedechus Domino Deo panem obtulerit, & vinum. Nec item inficiatur, nomen Hebraicum Cholem, quod Latinè dicitur Sacerdos, interdum significare in sacris literis Principem, ministrum, ac locum Dei in terris tenentem: nam in libris Regum dicitur: *Tarites erat sacerdos Dauidis;* quo verbo significatur, eum fuisse magnum Principem, siue primarium virum in aula regia Dauidis: Sacerdos autem non est proprie hominis, sed Dei: & de filijs Dauidis alio in loco dicitur: *Parri filij Dauidis erant Sacerdotes:* qui locus à Latino interprete alibi in hunc modum transfertur. *Erat primi ad manum Regis.* Sacerdotes enim solum ex tribu Leuitica creabantur, ergo filij Dauidis Sacerdotes proprie esse non poterant: Nihilominus prædictum nomen Hebraicum crebrius significat in sacris literis Sacerdotem, immo hoc est eius proprium significatum, & cum principem significat, non proprium, sed est nomen potius metaphoricum. Ergo Latinus interpres Genes 14. rectè vertit: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Nam etsi id vocabulum Hebraicum in Scripturis alioqui semper esset ambiguum: Ex adiunctis tamen, videlicet antecedentibus, consequentibus, & comitantibus ambiguitas tolleretur. Et cerè Genes. 14. Ex adiunctis rectissimè colligitur, Melchisedechum proprie fuisse Sacerdotem Altissimi; quia benedixit Abrahamæ, quia ab eo item decimas accepit: Et quia cum dictum est, regem eum esse; statim Moles subiecit. *Erat Sacerdos Dei altissimi;* quasi diceret: Moses nō solum rex erat, sed etiam Sacerdos. Postea subiicitur: *proferens*

panem, & vinum, quasi dicat: Sacerdos erat Dei, vinum, & panem offerre solitus.

Non diffitemur etiam Melchisedecum, tanquam regem potentem, & opulentum, cibum, & potum detulisse ad reficiendos milites Abraham victores, & de via lassos: attamen negandum non est, eum primo panem obtulisse, & vinum Deo litasse. Ex quo etiam fit, ut optime Latinus interpret coniuñtionem Hebraicam, & in causalem conuerterit. *Erat enim*, inquit, *Sacerdos Dei Altissimi*. Nam etsi apud Hebræos fit sæpè copulatiua coniuñctio: aliquando tamen est etiam causalis, vt apud Elaiam cap. 64. *Ecce tu iratus es nobis*, & peccauimus, hoc est, quia peccauimus. Psalm. 107. *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis*. In Hebræo est coniuñctio copulatiua: Et vana salus hominis. Genes. 22. *Nunc cognoui, quod timeas Deum*, & non pepercisti unigenitum Filio tuo propter me, hoc est, quia non pepercisti. Genes. 20. *En morieris propter mulierem, quam tulisti: habet enim virum*. In Hebræo est: *Et ipsa habet virum*. Genes. 30. *Experimento didici, quia benedixit mihi Dominus*. In Hebræo legitur: *Et benedixit mihi Dominus*.

Dices, ex figuris certum fidei argumentum non sumi. Respondeo, quando figuratum sensum, vel alia Scriptura, vel Ecclesie definitio, vel traditio, vel constans Sanctorum Patrum sententia docet, tunc ex figuris veteris Testamenti firmum, & efficax argumentum ducitur ad res fidei comprobandas, non autem quando proprio cuiusque ingenio sensus eruitur. At oblationem panis, & vini, quam Melchisedecus libauit, fuisse Missæ sacrificij typum, & figuram, veterum Patrum Sanctorum auctoritas docuit, & Synodi Tridentinæ definitio tradidit.

Septimo Queritur, An Missæ sacrificium sit à Malachia cap. 1. prædictum illis verbis: *A Solis ortu usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus*: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Id negant Hæretici: At Synodus Tridentina Sessione 22. cap. 1. eo loco Missæ sacrificium esse à Propheta prædictum, aperte docet. Et certè veteres Patres id ita docuerunt, Iustinus in *Dialogo cum Tryphone*. Irenæus, lib. 4. cap. 31. & Tertullian. lib. 3. contra Marcionem. Clem. lib. 7. *Constit. Apostoli*. cap. 31. Eusebius lib. 1. de *demonstrat. Euangel.* cap. 16. Cyprian. lib. 1. contra Iudæos, cap. 16. Chryllostomus homil. in Psalmum 95. Augustinus lib. de *Ciuit.* 19. cap. 23. & lib. 18. cap. 35. Damascen. lib. 4. de *fide Orthodoxo*. cap. 14. & Theodore. in *Malachiam*. cap. 1. Cyrillus lib. de *adorat. in spiritu*, & *veritate*. Et eadem Synodus Tridentina subiungit, Apostolum non obscure hanc oblationem innuisse, cum ait Corinthijs scribens: Non posse eos, qui participatione mensæ Dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri, per mensam vtroque altare intelligens.

Ceterum hic clamant Hæretici, eum Malachiæ locum nequaquam intelligi de Missæ sacrificio, sed vel de Euangelij annunciatione, & Gentium conuersione ad Christum in toto terrarum orbe futura, vel de precibus, & orationibus, ac bonis, & religiosis operibus Christianorum hominum, quæ sacrificia per metaphoram facer vates appellat. Nam eo loco nomine incensæ, quod legunt Hebraici, & Græci codices, Hiero-

nymus in *Zachar.* cap. 8. & August. lib. 2. contra *Epistolam Pelilianæ*, ca. 86. preces, & orationes intelligit. Veruntamen Augustino, & Hieronymo reliquæ veterum Patrum cœterum opponimus, & Synodi Tridentinæ testimonium: præsertim cum ipse Augustinus, quæ protulimus verba Malachiæ de Missæ oblatione interpretetur.

Quæres, an in alijs veteris Testamenti locis sit Missæ sacrificium prænunciatum, ac mysticè significatum. Respondeo, ex Synodo Tridentina *sess. 22. cap. 1.* hanc oblationem esse, quæ per varias sacrificiorum, naturæ, & legis tempore, similitudines figurabatur. Et ita Tertullianus ait, sacrificium Abelis, Eucharistiæ sacrificij figuram fuisse, Iustinus martyr scribit: Similæ oblationem fuisse figuram Eucharistiæ. Cyrillus in Ioan. 6. *Omnia*, inquit, *veterum sacrificia noua superueniente vno completur sacrificio, Eucharistiæ*. Chryllost. Theophylac. Ioan. 6. & Damasc. lib. 4. de *fide Orthodoxo*. cap. 14. Cyrill. *Catechesi* 4. Leo *serm. 8. de Passio. Domini*, testantur. Et in agni Paschalis celebritate typicè adumbratum esse hoc sacrificium, veteres sancti Patres docuerunt, Cyprianus, Ambrosius, Nazianzenus, Hieronymus, Chryllostomus, Augustinus, Leo, Hefychius, Gregorius, Beda *locis supra citatis*. Quidam Catholicorum contendunt illud esse prædictum Psalm. 71. illis verbis: *Erit firmamentum in summis montium*: quem locum Chaldæus paraphrastæ vertit: *Et erit placencia tritici in capitibus Sacerdotum*, & veteres Hebræi intelligunt de quibusdam placentis confectis ex tritico, delicatissimis, tempore Messis ministerio Sacerdotum Deo offerendis. Vt proinde verterint nonnulli: *Et erit frumentum*. Alij docent esse prædictum Danielis 12. vbi Propheta auferendum ait esse iuge sacrificium tempore Antichristi per tres annos, & dimidium. Volunt enim iuge sacrificium dici oblationem, quæ fit quotidie in Missa. At prima testimonia ex Malachia, & Gen. 14. & alijs figuris desumpta, sunt nostræ causæ firmiora, & certiora præsidia.

Octauo queritur, Quo pacto missæ sacrificium, quod quotidie, Deo offertur, nihil pugnat cum ijs, quæ tradit Apostolus ad Hebr. 5. 7. 8. 9. & 10. Lutherani conantur ostendere, nos repugnare Paulo, si dicamus, in Missa Deo sacrificari: nã docet Apostolus, in noua lege vnicum tantum esse Sacerdotem, videlicet Christum: Et ideo illum in æternum manere; vnum esse sacrificium, quod est in Cruce factum, & consummatum, quodque peccata omnium sustulit: & nouæ legis Sacerdotium à Leuitico differre, quod in hoc plures erant Sacerdotes, plura sacrificia, quia vnum sacrificium pro omnium peccatis minimè sufficiebat, & idcirco ea quotidie replicari oporteret. Ergo si in Missa quotidie Deo hostiam immolamus, contra Apostolum facimus, dicentem, in noua lege sacrificia minimè iterari, quia vnica Christi oblatio, omnium peccata aboleuit, Alioqui sacrificium nouæ legis, vel erit infirmum instar veterum sacrificiorum: vel si gratiam, & veniam peccatorum conferre dicimus, iniuriam facimus, & plurimum derogamus sacrificio Christi, quod in cruce immolatum est, perinde ac si id minimè sufficeret ad nostræ peccata extinguenda.

1. Cor. 4.
Leuit.

Cæterum hæc Hæreticorum argumenta talia videntur, vt minimum nobis negociū faceffant. Etenim Apostolus solum contendit vnicū esse in noua lege sacrificium cruentum, quod Christus in cruce immolauit: nec illud repetitur, quia per se abunde sufficit ad omnia peccata expianda, & tollenda. Vnde Sacerdotes quotidie Deo immolantes, nequaquam illud repetunt. Missæ etenim sacrificium incruentum, est illius cruentæ oblationis commemoratio. Nec tamen sola est commemoratio, sic enim sacrificium non esset; sed est simul etiam oblatio. Ideo verè in Missa, Christi corpus consecratur, & Deo offertur. Cum verò nobis obijciunt Lutherani; nihil opus esse corporis dominici oblatione, si vna duntaxat in cruce facta, omnium peccata deleuit: Respondemus, nihil argumento concludi: nam vnus est in mundo Sol, qui per se alioqui sufficit ad omnia terrarum loca illustranda: ac si nos ipsos in tenebras abdimus, si fenestram, vel ostium domus ocludimus, nequaquam clara Solis luce perfundimur. Eodem prorsus modo, vnica Christi oblatio in cruce facta sufficit, & quidem abunde, ad omnium peccata penitus auferenda: sed ea non delet, nisi fructus eius ad nos deriuetur: is autem minimè deriuatur, nisi nobiscum, vel per Sacramenta, vel bona opera, vel sacrificia communicetur. Et ideo corpus Christi quotidie in Missa consecratur, & offerunt Sacerdotes, vt quotidie eiusmodi fructum salutarem capiamus. Nam pari ratione ad Sacramenta frequenter accedimus, & bonæ vitæ operam damus, vt oblatio Christi in cruce facta, nobis quotidie fructuosa sit, atque salutaris. Id est, vt fructus eius vberimus nobis Christus impertiat. Hinc etiam apparet, longè multo Missæ sacrificium à veteris legis Mosaicæ sacrificijs distare: nam illa typi erant, & figuræ Christi; & idcirco per seipsa minimè peccatorum maculas eluebant: at nostrum, nouæ videlicet legis sacrificium vera est Christi Domini oblatio, quamuis sit quoque commemoratio illius semel in cruce factæ: vnde & per seipsam remittit peccata. Atque hoc est, quod docet Tridentina Synodus *sessione 22. cap. 2.* illis verbis: cuius quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc incruentam vberimè percipiuntur: tantum abest, vt illi per hanc (id est, incruentam) quouis modo derogetur.

Nonò *Quæritur*, An vnum idemque sit sacrificium, quod quotidie in Missa offertur, atque illud, quod olim in cruce immolatum? *Quæstionem* mouet id, quod legimus in multis Patribus esse idem sacrificium: sic enim loquuntur aliqui ex Patribus. Chrysostr. *homil. 17. in epistola ad Hebræos, cap. 8.* Ambros. *ad Hebræos, cap. 9.* Theophylact. & Primas. *ad Hebræos 9.* Gregor. *homil. 37. in Euangelio.* Cyprian. *lib. 2. epist. 3.* Fulgent. *de fide ad Petrum, c. 18.* August. *lib. 20. contra Faustum, cap. 18.* Respondeo ex Concilio Tridentino in eodem proximè loco à me citato: *Vna, eademque est hostia, idemque nunc offertur Sacerdotum ministerio, qui per seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Hæc ibi.

Sciendum est, in Missæ sacrificio, & esse hostiam, quæ Deo offertur; & eum, qui offert; & actionem, qua hostia offertur à Sacerdote. Concilium asserit, hostiam esse eandem, quia est corpus Do-

mini: Offerentem principalem esse eundem, eo quòd idem Christus, qui tunc in cruce se obtulit: nunc quoque, quotidie Patri se offert, eo quòd ipse Christus Domini, iussu, institutione, auctoritate, & nomine quotidie Sacerdotes offerant. Ipse igitur est principalis Sacerdos, ceteri Sacerdotes veri sunt ipsius ministri ad sacrificium faciendū, & offerendum, Ecclesiæ auctoritate consecrati, & potestate præditi. Actio verò instrumenti, & administri est eadem, quæ causæ principalis, ac proinde oblatio Sacerdotalis eadem est, quæ Christi se quotidie incruentè per suos Sacerdotes patri offertis. Sed non est eadem, quæ fuit facta olim in Cruce, nam oblatio in cruce, fuit facta semel, & in hac altera incruenta quotidie replicatur: in cruce Christus se ipsum reuera obtulit, nunc verò in Missæ sacrificio non se per se ipsum offert, sed per Sacerdotes: quia ipse Sacerdotes instituit Apostolos, & iussit ipsos, & ipsorum successores sacrificium facere, & offerre.

Caput XIX.

In qua actione consistat ratio sacrificij Missæ.

Cum ex multis actionibus constet Missæ sacrificium; merito quæritur in primis, in quam actione, sacrificij ratio, & natura consistat? Nec in præsentia quærimus quot actiones ad sacrificium integrum diuino iure pertineant: nam de hac quæstione statim disseremus, sed in qua actione ratio sacrificij sita sit. Res est comperta, eam non esse positam in ijs actionibus, ex quibus constat Missa Catechumenorum: nam quicquid in ea fit, est ipso sacrificio prius, & ad populi institutionem pertinens. Quare etiam panis, & vinum ante consecrationem verè Deo offeruntur; ea tamen oblatio sacrificium Missæ non est, quia nondum sunt eæ res in Christi corpus, & sanguinem conuersæ. Sunt qui putent, rationem sacrificij totam constitui in verbis, precibus, cæremonijs, ac ritibus, qui in consecratione corporis Domini adhibentur: eo quod sacrificij ratio, inquit, nequit in ipsa consecratione consistere: quin è contrario consecratio ad rationem Sacramenti potius, quàm ad naturam sacrificij pertinet: Ergo preces, verba, cæremonia, & ritus hæc, inquam, omnia in ea re adhiberi solita, sacrificij rationem constituunt. Quibus si opponas: Si absque vllis precibus, & cæremonijs corpus Domini consecraretur, rectè sacrificium fieret; ergo in precibus, & cæremonijs minimè consistit. Respondent consecrationem fieri non posse absque vllis verbis, & ritibus. Si illis rursus obieceris: Si nulla fieret corporis dominici consecratio, quamuis cæremonia, & preces adhiberentur, nequaquam adhuc sacrificiū constaret: ergo nequit in precibus, ac cæremonijs ratio sacrificij collocari. Respondent illi, in sacrificio requiri corporis dominici consecrationem: Veruntamen sacrificij formam, & naturam in verbis, precibus, & cæremonijs ad consecrationem adhibitis positam esse.

Denique obijcientibus preces, & cæremonia, quibus dominicum corpus conficitur, esse ab Ecclesia institutas. Respondent, multas illarum precum,

precum, & cæremoniæ Ecclesiam constituif-
 se; sed alias Christum Dominum nõ scripto qui-
 dem, at viua voce tradidisse, & in his suam esse sa-
 crificij eucharistici substantiam, & naturam. *Sotus*
in 4. d. 13. q. 2. art. 1. existimat, sacrificij rationem
 tribus Sacerdotis actibus constare, Consecratione,
 Oblatione, & Sumptione corporis, & sanguinis
 dominici. Hanc probat ille sententiã triplici
 ratione. In primis, quia sine consecratione,
 quamuis oblatio esset; sacrificium tamen adhuc
 minimè subsisteret. Deinde, sola consecratio sine
 oblatione, sacrificij rationem non haberet; tum
 quia sacrificium sua natura est oblatio, tum quia
 consecratio Sacramentum quidem facit, sacrifici-
 um non item. Demum item consecratio simul,
 & oblatio sine sumptione, minimè ad sacrificij
 rationem sufficiunt: in veteribus namque sacrificij
 res oblata, vel macerabatur, vel cecidit, vel
 consumebatur: Ergo in sacrificio etiam Missæ
 res oblata, quæ est corpus dominicum, & sanguis,
 consumi aliqua ratione debet. Verumenimvero
 quidam Soti opinionem confutant: non est,
 inquit, cur sumptio ad sacrificij rationem per-
 tineat. Nam sumptio nihil aliud esse videtur, nisi
 Eucharistiæ vsus. Hostia itidem, aut victima,
 etiam si semel oblata Deo, postea nunquam à sa-
 cerdote, vel alio offerente ederetur, non define-
 ret veram sacrificij rationem habere. Sed ad hæc
 argumenta facile Sotus respondere poterat: nam
 sumptio Eucharistiæ non sumitur, vt est vsus sa-
 cramenti, sed vt est consumptio victimæ, quæ im-
 molatur, hoc est consumptio sacrarum specierum
 Christum continentium: & licet non omnis hos-
 tia comedatur: hæc tamen editur in Missæ sacri-
 ficio, institutione Domini.

Alij quidam sensere, in quibus numeratur Ca-
 nus *lib. 12. de locis, cap. 13. ad 4.* ad rationem huius
 sacrificij, quatuor imò quinque actiones concu-
 rere; videlicet Consecrationem, Oblationem,
 Fractionem specierum panis, & vini, earundem
 Commixtionem, & tandem Sumptionem: Id in-
 de comprobantes, quòd omnis ea actio, qua res,
 quæ offertur, sacra fit, vel qua circa rem obla-
 tam facti aliquid sit, ad sacrificij naturam spe-
 ctat, sed per singulas eiusmodi actiones facti ali-
 quid sit in speciebibus panis, & vini corpus Chri-
 sti continentibus; ergo omnes, & singulæ ad sa-
 crificij naturam conueniunt. Sed ab alijs eiusdem
 argumentis conuellitur hæc opinio, quibus illa
 Soti. Nam actio specierum, earumque commixtio
 ad sacrificij rationem non attinent, quidni igitur
 sacrificium esset, si corpore Christi consecrato,
 & oblato, nunquam species panis, & vini fran-
 gerentur, commiscerentur? Alij rationem sa-
 crificij ponunt in duobus actibus, videlicet in
 consecratione, & oblatione. Sic videtur sentire
 Scot. *4. dist. 13. q. 2.* & Gabr. *4. d. 13. q. 1. art. 3.* quod
 probant, quia hæc duæ actiones sunt necessariae, &
 sufficiunt ad rationem sacrificij perfectam. Alij
 dicunt totam sacrificij rationem in vna tantum
 actione consistere, videlicet in oblatione. Sic vi-
 detur sentire Eckius *lib. 3. de sacrificio Missæ. c. 9.* Cli-
 coueus *lib. 2. contra Lutherum c. 16.* Ruard. *art. 16. contra*
Lutherum. Alij constituunt totam rationem sacri-
 ficij in vna actione, videlicet consecratione. Sic
 opinatur Alan. *lib. 2. c. 18. de sacrificio Missæ.*

Quare probabilior mihi videtur eorum sen-
 tentia, qui docuerunt totam Euangelici sacrificij
 rationem, in duabus actionibus, aut summum, in
 tribus constitui; nempe, vel in Cõsecratione cor-
 poris dominici, & sanguinis, & oblatione, aut in
 Consecratione, & Oblatione, & Sumptione: has
 enim tres actiones, aut certe duas, consecratio-
 nem, & oblationem omninò ratio sacrificij, &
 natura postulat, præterea nihil. *Quæres*, quo
 pacto in solis duabus actionibus, nempe conse-
 cratione, & oblatione possit tota sacrificij ratio
 constare: siquidem consumptionem victimæ, vel
 hostiæ pariter sacrificium requirit. Item, sacri-
 ficium sua natura est oblatio, qua Deo offertur res
 sacra: at consecratio proprie oblatio non est;
 ergo in sola oblatione tota sacrificij ratio con-
 sistit. Denique, consecratio ad sacramenti ratio-
 nem spectat, nõ sacrificij: ergo cõsecratio ad sacri-
 ficij rationem nõ pertinet. Itẽ nulla actio, nisi obla-
 tio accesserit, sacrificium esse potest: ergo sola
 oblatio sacrificij rationem, & naturam consti-
 tuit. Sanè negari non potest, quin oblatio expres-
 sum, vel tacitè facta, prorsus ad sacrificij ratio-
 nem pertineat: quare, qui in sola consecratio-
 ne, sacrificij naturam, & rationem sitam esse vo-
 lunt, excludunt quidem omnem oblationem ex-
 pressam factam; sed non eam, quæ fit tacitè, &
 implicite, siue virtute: ex hoc enim, quod sacer-
 dos corpus dominicum consecrat, & illud in
 altari ponit sub speciebus panis, & vini, & ocu-
 lis in cælum sublatis, facit quod Christus insti-
 tuit, & fieri iussit, tacitè, inquit, offert Deo,
 quamuis postea verbis id exprimat. Itaque ho-
 rum sententia est, sacrificij naturam sitam esse in
 consecratione, quæ vna cum oblatione, aut in ob-
 latione, quæ cum ipsa consecratione cõiungitur.
 Mihi verò videtur sacrificij ratio solum in cõse-
 cratione, & oblatione esse constituta, vel saltem,
 vt dixi, in tribus actionibus, videlicet, consecra-
 tione, oblatione, & sumptione Eucharistiæ. Con-
 secrationem verò accipio, non vt actionem, qua
 fit sacramentum, sed vt actionem in Dei cultum,
 & honorem oblatam ad nostra peccata expianda,
 & ad agendas gratias Deo pro beneficijs acceptis.
 Et consumptionem etiam accipio, nõ vt actionem,
 qua sacramentum sumimus, sed vt actionem sa-
 cram, qua species panis, & vini Christi corpus, &
 sanguinem continentem consumuntur: neque enim
 sacrificium vllum esse potest, quin sit oblatio, nec
 oblatio corporis Domini potest fieri, quin prius
 corpus Domini consecratur.

Secundò *Quæritur*, An iure diuino ad sacri-
 ficium Missæ, vtriusque speciei panis, & vini con-
 secratio requiratur? Dux sunt opiniones, quarum
 vna affirmat; ac proinde similiter docet, auctori-
 tate Romani Pontificis fieri nõ posse, vt sacerdos
 in sola consecratione panis sine vino sacrificet.
 Sic Sotus *in 4. d. 9. q. 1. artic. 1. ad finem.* Siluest. *verbo,*
Eucharistia. 1. q. 5. opinantur: imò auctor Armil-
 læ, *verbo, Eucharistia. num. 10.* & Tabien. *Eucharistia.*
1. num. 20. hanc controuersiam testantur, coram
 Alexandro VI. Pontifice fuisse tractatam: & tan-
 dem declaratum esse, nequaquam, in terris vbi vi-
 num non est, nec eo illud importatur, aut impor-
 tatum seruari nulla ratione potest, in panis con-
 secratione, & aqua loco vini posse sacrificari,

etiam auctoritate Romani Pontificis. Et certè pro hac sententia facere videtur S. Thomas 3. par. q. 80. art. 12. ad 1. q. 82. art. 4. ad 3. q. 83. art. 6. ad 1. & ad 2. Marfi. 4. q. 6. art. 1. Palud. 4. d. 1. q. 8. art. 1. conclusionem 3. Caiet. p. 3. q. 80. art. 12. Gabr. in Canonem Missæ. lect. 10. in litera D.

Altera sententia, vini consecrationem ait diuini iuris non esse, sed Canonici duntaxat: Et ex Christi præcepto solam panis consecrationem requiri: Et cum Romanus Pontifex possit ius Canonicum remittere, & relaxare: consequitur, inquit huius opinionis auctores, vt, vbi vinum haberi, aut seruari nequit villo modo, facultatem Pontifex, ius Canonicum relaxando, concedere queat, vt in sola cõsecratione panis sacrificetur. Hanc sententiam sequitur Maior. in 4. dist. 9. q. 3. ad 5. & ante eum Gabr. in Canonem Missæ, lect. 13. dub. 3. Adrian. in 4. q. 6. de Eucharistia, qui citat Alensem. Sic etiam sentit Angel. Eucharistia. 1. num. 20. Pifana. Eucharistia. 2. nu. 12. Tabien. Eucharistia. 1. num. 20. Summa Confessorum lib. 3. tit. 2. q. 104. Antonin. 3. p. cu. 13. cap. 6. §. 1. & Gabriel citat Albertum Magnum. Hanc opinionem quidam alij iuniores Theologi approbarunt. Claudius de Eucharistia reperit. 10. ca. 3. Alan. lib. 2. de Eucharistia. c. 20. Ioan. Heflels de commu. sub vtraque specie. traß. 1. Ruar. art. 13. contra Lutherum. & Palac. 4. d. 11. dist. 3. Cui quidem sententiæ fauet primum id, quod scribit Volaterranus lib. 7. cap. de Saxonibus. Innocentius VIII. indulgentia cum Noruegijs vsum fuisse, vt apud eos Missæ sacrificium sine vini consecratione fieret: eo quòd ob immensa eius regionis frigora, vinum eo importatum acescat. Quamuis sibi Volaterranus, vt quidam annotarunt, aduersari aliqua ratione videatur; cum scribit eiusdem Pontificis concessu permissum Noruegijs sine vino calicem sacrificare, voluit dicere, permissum Noruegijs sine vino sacrificare. Eiusque quoque videtur Bernardus in epist. 69. ad Guidonem Abbatem de Tribus Fontibus, vbi sic ait: De illo, quod oblitus es mittere vinum in calicem, cuius, & maiorem in hoc estimamus culpam, si tamen, & in tua putas, tuo arbitrio derelinquimus. Deinde, quod comperta, serò liceat, negligentia, vinum sudisti in calicem, super hostie sacratæ particulam, laudamus, nec sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arduantes liquorem, eisi non ex consecratione propria, atque solenni in sanguinem Christi mutatum, sacra tamen fuisse ex contractu corporis sacri. Aiunt tamen nescio quem alium aliud sensisse scriptorem, non posse videri, absque tribus, id est, pane, vino, & aqua hoc sacrificium esse, ita vt si quodlibet deesse contigerit, reliqua non sanctificentur. Sed de huiusmodi vnusquisque in suo sensu abundat. Ego autem pro meo sano sensu, si mihi idem contigerit, quod tibi, vellem ad remedium mali vnum è duobus egisse, aut ipsum quod fecisti, aut certè ab illo loco, vbi dicitur: Si mili modo pottea, quam cunatum est, verba sancta ierasse, & sic compleße, quod restabat de sacrificio. Neque enim dubitauerim de corpore iam consecrato, qui vtiq; iuxta ritum Ecclesiæ, didici ab ipsa, quod & ipsa accepit à Domino: panem scilicet, ac vinum, & simul apponere: non simul tamen ex his sacra conficere. Cum ergo prius de pane corpus, quam de vino sanguis more Ecclesiastico conficiatur; Si per obligationem tardius, quod posterius sacrandum est, apponatur, non video quid sacris præcedentibus tarditas possit præripere consequentiam. Puto enim, quòd si Domino post factum de pane corpus suum, vini consecrationem placuis-

set aliquandiu intermittere, aut certè penitus omittere: nihilominus corpus mansisset, quod fecerat: nec factis facienda prescriberent. Hactenus B. Bernardus, Innocentius III. lib. 4. de Mysterijs Missæ, cap. 23. vtramque Theologorum opinionem recenset, nec tamen vni magis, quam alteri adhæret: Sanè vtraque est valde probabilis, quia vtraque multorum, & magnorum Theologorum auctoritate fulcitur. Nonnulli putant, verè dici non posse, Calicis cõsecrationem esse iuris diuini: nam id iuris, inquit, ex Scripturis aperte non constat, nec ex aliqua Traditione diuina, nec Apostolica, nec ex villo Ecclesiæ decreto, sanctorumque patrum doctrina colligitur, è quorum fontibus diuina iura ducuntur.

Dices id colligi ex facto Christi, qui & panem, & vinum pariter consecrauit. Et subiunxit: Hoc facite in meam commemorationem. Sed respondent illi: Multa alia Christus fecisse in cœna, quæ tamen fieri non iussit. Si illis etiam opponas, quod habetur, in cap. Comperimus, de consecr. dist. 2. vbi ex Gelasio refertur: Missæ sacrificium peragi non potest sine consecratione vini: quia sine grandi sacrilegio tale mysterium dimidiatum esse non potest: id etiam quod continetur in cap. Nihil. & cap. illud. 17. q. 1. ex Concilio Toletano 2. can. 14. & ex Concilio 7. can. 2. videlicet, non esse integrum, & completum Sacramentum, si panis tantummodo consecratur: Ad hæc rursus illi respondent, vinum consecrari oportere Ecclesiæ lege id iubente; ac proinde esse grande sacrilegium, vnam tantum speciem consecrari, non quidem sacrilegium cõtra ius diuinum, sed contra Canonicum. Nam alia etiam sacrilegia committuntur contra Ecclesiæ Canones. Eodem modo sacrificium non consecrato calice dicitur esse imperfectum, ob id nēpe, quia Canones vtriusque speciei consecrationem requirunt.

Sciendum est, tria in propofita questione contineri. Primum, An sit iuris Diuini, vt Sacerdos, in duplici specie, videlicet, panis, & vini sacrificet, an verò sit tantum Canonici iuris. Nam Adrianus, Maior, & alij contendunt esse tantum Canonici iuris. Et ideo concludunt in multis casibus posse tuta conscientia Sacerdotem in vna specie sacrificare. At Sotus, Siluester, & alij docent, esse iuris diuini, vt Sacerdos in duplici specie sacrificet. Et hoc mihi probabilius, & verius videtur.

Secundum est, An auctoritate Pontificia sacrificari queat sine calicis, hoc est, sine vini consecratione.

Tertium, An Pontificis auctoritate fieri possit sacrificium Missæ in consecratione aquæ, loco vini. Sunt enim, qui has duas quæstiones confundunt, cum tamen, meo quidem iudicio, confundi non debeant. Neque enim probabile duxerim, Pontificia facultate concedi posse, vt aquam loco vini consecremus: materiam enim, & formam sacrificij diuinitus institutam Ecclesiæ mutare non potest, quamuis probabilem esse censeam opinionem, dicentium indulgentia Pontificia, absque calicis consecratione posse sacrificari. Nam in secundo, si id fieret, solum ius Diuinum, hoc est Diuinum præceptum, aut Canonica constitutio de sacrificando integrè in du-

plici specie panis, videlicet, & vini, relaxaretur ex parte. At in primo, sacrificij materia mutaretur: quod facere Ecclesia nō potest. Et hoc est fortasse, quod auctor Armilla, & Tabienfis dicere voluerunt, coram Alexandro VI. fuisse disputatum, an in sola consecratione panis Missæ sacrificium fieri aliquando possit auctoritate Romani Pontificis, ac declaratum fuisse, id fieri non posse auctoritate Ecclesiæ in solo pane sine vino: hoc est, in consecratione panis, & in sola aqua loco vini. Ex dictis perspicitur, quo pacto auctores in hac parte distinguere debeamus, ut eorum sententiæ intelligantur: nam licet Gabriel, & quidam alij sentiant diuini iuris esse, ut Sacerdos in vtraque specie sacrificet, nihilominus tamen opinantur, auctoritate Romani Pontificis fieri posse, ut in vna tantum specie sacrificet, videlicet in consecratione panis sine vino, quia putant multa esse iuris diuini, quæ remittere, & relaxare Pontifex queat ob publicam aliquam, & grauem necessitatem, ut videmus votum, iusurandum, matrimonium ratum non consummatum auctoritate Pontificia relaxari, & dissolui. Et ita in hac questione prima, puto probabilius, & verius esse, ut dixi, iuris esse diuini, ut Sacerdos in duplici specie sacrificet: & nihilominus existimo valde probabile, auctoritate Pontificia ob publicam, & urgentem necessitatem prædictum ius diuinum relaxari posse. Sed quia nunquam est relaxatum, ego consilium darem, ut nunquam relaxetur.

Maiores, & alij, quædam exempla, siue casus recentent, quibus id fieri posse cōcedunt. **Primum**, quando in aliqua Christianorum Prouincia, vel regione vinum non est, nec eo aliunde importatum ob nimiam cæli intemperiem seruari potest. Sed hoc eam dubitationem, ac difficultatem patitur, de qua dixi questione superiori. **Deinde**, quando Sacerdos per errorem, solum panem consecrauit; & deinde vinum consecrare non potest absque magna astantis populi offensione: ut si per mediā plebem sit aliquis mittendus, qui vinum aliunde ad Sacerdotem in altari manentem, & expectantem deferat, tunc, ut aiunt Maiores, & Adrianus, iure Sacerdos Missæ sacrificium perficit absque vlla vini consecratione: id concedi potest Maiori, & Adriano, ut probabile, quia verisimile est præceptum diuinum non tam seuerè obligare Sacerdotem, hoc est cum tanto periculo, siue detrimento. **Tertio** item ex Maiore; si populus Ecclesiæ præcepto, vel rem diuinam audire, vel Eucharistiam in Paschate fumere deberet, nec vinum posset haberi, iure Sacerdos solum panem consecraret: quia arctioris, inquit, est vinculi præceptum audiendi sacrum simul, & sanctissimum Christi corpus in Paschate fumendi, quam præceptum integrum sacrificium faciendi. In quo quidem ego minime assentior Maiori. Etenim præceptum integrum sacrificandi, aut est iuris Diuini, aut Canonici. Si primum dederis, arctioris est vinculi, quam reliqua Ecclesiæ præcepta. Si secundum, etiam videtur maiorem vim habere Canonicum præceptum de sacrificando in vtraque specie, quam duo illa præcepta, audiendi sacrum, & Eucharistiam percipiendi: nam multis de causis ab vtra-

que eiusmodi Ecclesiæ lege soluiatur, ac liberamur; cum tamen nunquam hactenus permiffum esse videamus, ut in vna tantum specie consecrata, sacrificium fiat, & offeratur. Nec vnquam Ecclesia permiffit, ut sacrificium relinquatur inceptum, & imperfectum. Si enim Sacerdos post consecratum panem, sermonis vsum, vel sensum, vel vitam amittat, præcipit Ecclesia, ut alius Sacerdos inchoatum sacrificium absoluat: ut constat ex cap. Nihil. 7. quest. 1. **Quarto**, ex eodem auctore: Si ægrotus periculum mortis incurrat, & panis consecratus non sit, nec vinum alicubi reperiri queat, iure Sacerdos panem sine vino consecrabit, ne sine viatico decedat ægrotus. Hic etiam Maioris exemplum reprehendit, & reijcit Sotus: nec immeritò, cum ægrotus ad salutem spiritalem satis esse debeat, si vel sacram suorum peccatorum confessionem faciat, vel legitime doceat de peccatis spōrè commissis. **Quinto** S. Thomas exemplum adiungit p. 3. q. 82. art. 4. ad 3. si in specie nempè vini consecrati caro, vel sanguis mirabiliter appareret: tunc enim liceret Presbytero sacrificium perficere absque vlla alia consecratione vini. Et idem iuris est, teste eodè S. Thoma 3. par. q. 83. art. 6. ad 3. si Presbyter in calice consecrato venenum adhibitum, & infusum esse ad sui necem, rescierit ante sumpcionem, aut in calice deprehēderit animalculū penitus exitiosum atque lethiferum. At in hisce casibus, & exemplis non est facta panis consecratio sine vino: siquidem vtrumque Presbyter iam ante consecrauerat, sed solū est vnus speciei sine altera sumptio. **Sextum** exemplum potest in dubiū vocari: videlicet, quid sit dicendum, si Sacerdos post consecratum panem diutius morari non potest ad vinum consecrandum, sine probabili suæ vitæ periculo ob subitum hostium incursum. **Respondeo** in hoc casu non videtur diuinum præceptum tam rigidè Sacerdotis conscientiam obstringere, nimirum cum vitæ discrimine. **Si** roges, quid dicendum, si quis Sacerdoti post consecratum panem necem minaretur, si vinum consecraret. **Respondeo**, constanter mortem eum perferre debere, si ob contemptum fidei, & religionis tyrannus necem minaretur: at verò si id non faceret in fidei, & religionis despectionem, verisimile est, præceptum diuinum non obligare cū tanto vitæ periculo. Secus esset, si tyrannus imperaret Sacerdoti, ut panem tantum sine vino consecraret: aliud enim est sacrificium imperfectum facere, aliud imperfectum relinquere: hoc enim minoris est vinculi.

Quarto **Queritur**, An Sacerdos sacrificans sumere corpus Domini consecratum diuino iure cogatur? Dux sunt opinioniones. **Prima** affirmat iuris esse Diuini, ut Sacerdos sumat, & edat species panis, & vini consecratos: ad quam sententiam S. Thomas videtur accedere in 3. p. q. 80. art. 12. **Secunda** opinio tradit, id iuris tantum esse Canonici, quam Adrianus, & Maior locis supra citatis, sententiam magis probarunt, quam etiam alij sequuntur. **Prima** tamen illa videtur esse probabilior. Nam in cap. Relatum, de consec. dist. 12. ex Concilio Toletano can. 5. statuitur, ut modis omnibus, quoties Sacerdos celebrat, toties Eucharistiam sumat. Vnde Ecclesia semper sollicitè curauit, ut Presby-

1. Cor. 11.
Luc. 22.

ter sacrificans suscipiat species, quas consecrauit. Idem constat ex c. Cōperimus de consecr. d. 2. **QVÆRES**, vbinam extet huiusmodi diuinum præceptum? **R**espondeo, in illis verbis Christi Domini implicite contineri: *Hoc facite in meam commemorationem*. Quasi diceret, Consecrate, offerte, & sumite. Si **q**uæras, an ad rationem sacrificij Missæ vtriusq; speciei consecratio, videlicet panis, & vini pertineat. Profectò meo iudicio probabilis est, vtramque pertinere, quâ solum alterutrâ, quia in vtraque significatur, & commemoratur perfectè mors Christi Domini, & sanguinis eius effusio ad remissionem peccatorum, & Christus Dominus vtramque consecrauit. **N**ectamen sequitur, vt sint in Missa duo sacrificia, quamuis sint duæ consecrationes; sicut enim Eucharistia est vnum Sacramentum, licet fiat duæ sacræ species, quia est vnum Diuinum epulum, in quo edimus, & bibimus, & spiritus, mente, & gratia reficimur, sic est vnum sacrificium, quia Christi necem memoramus.

Quintò **Q**ueritur, An verba consecrationis panis suum fortiantur effectum, antequam vinum consecratur? **R**espondeo ex B. Bernardo in epist. 69. ad Guidonem superius allata, quibusdam vtilum, non prius consecrari panem, quam vinum; ac proinde verba Sacerdotis panem consecrantis non efficere, quod significant, antequam sit calicis consecratio: Hoc illi probabant, quia Missæ sacrificium est vnum, ergo vna forma, ac proinde verba, quibus panis consecratur, non integram formam, sed partem habent, ergo effectum minime fortiuntur, sicut in alijs Sacramentis pars formæ effectum non præstat, donec integrè verbis prolatis, tota forma inducatur. **D**einde, vbi Baptismus in tribus personibus confertur, effectum non assequitur, donec accesserit tertia versio. Postremò, si verba, dum panis cōsecratur, suo effectum potirentur ante vini consecrationem, panis in corpus Christi sine sanguine cōuerteretur, quod est absurdum. Nam in sacrificio viuū Christi corpus offertur, non mortuum; at viuum sine sanguine non est.

Meritò sanè horum sententia communi Theologorum consensione resellitur in 4. d. 8. hæc enim cum ipsius Ecclesiæ ritu, & vsu pugnat, quia statim, atque panis species consecratur, in altum tollitur, quam totus populus supplex veneratur, & colit: quod nequaquam fieri liceret, si in panis specie nondum Christi corpus existeret. **D**einde, verba Sacerdotis faciunt, quod significant; ergo statim, atque Sacerdos dicit: *Hoc est corpus meum*, panis in Christi corpus conuertitur: neque enim horum verborum effectus in aliud tempus differtur, cum ea statim significationem habeant. Sic S. Thomas p. 3. q. 78. art. 6. quod etiam docuit S. Bernar. in epist. 69. quæ est ad Guidonem. & Innoc. lib. 4. de officio Missæ cap. 17.

Ad argumenta verò respondemus. Quot atinet ad primum argumentum, dicimus vnum esse Eucharistiæ Sacramentum; & vnum Missæ sacrificium, vt statim apparebit; constare tamen duabus partibus, & duobus signis, videlicet consecratione panis, & consecratione vini; ac proinde sicut quilibet pars seorsim per se suum significatum habet, ita suum etiam effectum.

Quod spectat ad secundum: cum Baptismus in triplici meritione confertur, forma minime perficitur, nisi in tertiâ meritionis aduentu: simul enim Sacerdos dum ter infantem mergit in aquâ, totam, integramque Baptismi formam pronunciat; ac proinde vna est Baptismi forma, siue semel duntaxat, siue sæpius in fans mergatur in aquam. At in Missæ sacrificio, alia est forma in consecratione panis, alia in consecratione vini. **Q**uod ad tertium: Cum panis consecratur, vi verborum Sacerdotis, vinum mutatur in Christi corpus, ac proinde sanguis sub specie panis continetur, non vi verborum, sed quia Christi corpus, quod est viuum, comitatur. Et deinde sub specie vini, sanguis, vi verborum existit, corpus verò Christi sanguinem comitatur, vt docet S. Thomas 3. part. quest. 76. art. 2. Est itaque totus Christus, tum sub specie panis, tum sub specie vini. Si obijcias, in extrema vnctione sunt multæ vnctiones; & tamen effectus Sacramenti, vel fructus non datur in prima, vel secunda, sed in vltima, vt docet communis opinio Theologorum in 4. distinct. 23. quam habet Sotus in 4. distinct. 23. quest. 1. artic. 1. & quest. 2. artic. 3. **R**espondeo, diuersam esse rationem, quia diuersæ vnctiones sunt ad eundem effectum institutæ: at consecrationes sunt ad consecrandum corpus, & sanguinem Domini.

Sextò **Q**ueritur, An Missæ sacrificium sit vnum, an plura? Quidam non verentur asserere, esse duo, quia sunt duæ, inquit, consecrationes, duo mysteria, & signa, & vnumquodque per se suum significatum, & effectum peculiarem sibi vendicat. **C**eterum constans est Theologorum opinio: Vnum duntaxat Missæ sacrificium esse. Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 20. & lib. 17. cap. 10. & lib. 3. de baptis. cap. vit. lib. 20. contra Faustian. cap. 18. & cap. 21. vnum ait esse Christianorum sacrificium, quod est Missa. Atque id ratio ipsa demonstrat: siquidem vna tantum est hostia, quæ immolatur, & offertur: vnus finis, in quem totum sacrificium dirigitur: vnus denique sacrificij effectus. **N**ec refert, vna, duabusue consecrationibus sacrificium constet: quia sicut duæ consecrationes panis, & vini vnum Sacramentum constituunt, tanquam vnum quoddam diuinum epulum, atq; conuiuium, quo anima spiritaliter reficitur; sic etiam tanquam duæ partes in vnum sacrificium conueniunt, quod in cibo, ac potu spiritali consistens Deo quotidie immolatur. **N**egare tamen non possumus, quin aliquando Ecclesia in precibus, & publicis officijs Ecclesiasticis Missam numero multitudinis sacrificia vocet, ob duas nempe speciem panis, & vini consecrationes: nam etiam eadem ratione interdum appellat mysteria, & Sacramenta. Quatenus sunt duo symbola, & signa, quæ consecrantur.

Caput XX.

Missam, esse sacrificium propitiatorium simul, atque impetratorium.

Primò **Q**ueritur, An Missa sit sacrificium propitiatorium, siue expiatorium? **H**eretici concedunt quidem esse sacrificium Latreuticon, hoc

cit. ad

est, ad Dei cultum, honorem, & venerationem oblatum; propitiatorum autem, siue expiatoriū nequaquam; hoc est, quod expiet, ac deleat nostra peccata, ita vt nobis Deum reddat placatum, atque propitium venia peccatorum condonata. Idcirco Synodus Tridentina Sessio. 22. cap. 2. definit esse verè propitiatorum sacrificiū: quod ipsum etiam veteres sancti Patres tradiderunt. Præsertim Augustin, *epist. 59. & lib. 1. contra Cresconium, cap. 25.* Cyprian. *lib. 1. epist. 9.* Ambros. *lib. 1. officiorum, cap. 48.* Damas. *in serm. de mortuis.* Neque verò est, quòd Lutherani nobis obijciant Apostolum ad Hebræos scribentem, per vnam oblationem in Cruce factam, omnium esse deleta, & extincta peccata, nec oportere sacrificium iterari. Nam vt supra docuimus, cruenta illa in Cruce oblatio non repetitur, sed in memoriam quotidie reuocatur in Missa. Et post illam itidem in cruentè Christi corpus offerimus, non quòd de illius cruentè in Cruce, vi, & efficacia quicquam detrahimus; sed quòd vberimos illius fructus per in cruentum Missæ sacrificium quotidie percipiamus. Nam merita Christi, & fructus per Sacramenta, sacrificia, & bona opera nobis imperiuntur, & in nos abundè deriuantur.

Secundò quæritur, quam efficacitatem Missæ sacrificium, vt est propitiatorum habeat? Videlicet, an ex vi operis quo fit, primam gratiam conferat, & veniam culpæ lethalis ijs, pro quibus offertur. Animaduertendum in primis est, in Missa duplex opus esse præter illud vnum Christi Domini præceptum, & opus, quo & fieri sacrificium iussit, & quotidie seipsum Patri offert ministerio, & opera Sacerdotum. Vnum est opus totius Ecclesiæ, quæ per Sacerdotes, tanquam legitimos sacrificij ministros in cruentè sacrosanctum Christi corpus immolat, & offert. Alterum est opus ipsius Sacerdotis, qui immolat. Nam Christus Dominus offert, vt Sacerdos superior, & principalis. Offert Ecclesia per suum publicum ministrum, videlicet Sacerdotem. Presbyter verò offert, vt inferior Sacerdos, ac vt Christi, & Ecclesiæ minister. Item Ecclesia offert, velut Communitas quædam, quæ per Sacerdotes tanquam idoneos, & legitimos ad sacrificandum delectos, & consecratos ministros offert hostiam immaculatam.

Deinde sciendum est, opus operantis in præsentem negotio dici, vel id, quod respondet cuique pro suo volutatis affectu, quo aliquo modo Missæ sacrificium offert, vel id, quod ex bono, pioque, ac religioso Sacerdotis affectu existit. Id verò, quod ex vi ipsius operis fit, duplex est, vt docet Gabriel. *super Canon. Missæ, lect. 26. in liera G.* Vnum enim est id, quod respondet Christi Domini institutioni, aut id, quod respondet Ecclesiæ, quæ quotidie offert per suos Sacerdotes: & hunc duplicem effectum Missæ sacrificium semper habet, quoniam Christus Dominus semper est Deo Patri gratus, & acceptus: Ecclesia item semper sancta, & immaculata. At primum effectum, qui respondet operi Sacerdotis immolantis, non semper Missa consequitur, cum interdum Sacerdos fit improbus.

Postremò, quod sacrificio respondet ex vi operis, non est inlar eius, quod respondet Sacra-

mento ex vi operis: Sacramentum etenim primam gratiam, & veniam peccatorum confert proximè per seipsum in modum naturæ, quæ in materia sibi subiecta, commodè præparata suum effectum inducit. Sacramenta enim in suscipientibus, & iusta, ac debita præparatione bene affectis, primam gratiam, & peccati remissionem efficiunt: at verò sacrificium in ijs, pro quibus immolatur, & offertur, non proximè per seipsum gratiam, & veniam peccatorum lethaliū inducit, sed impetrat pœnitentiæ donum, ac primam gratiam, quibus peccata abolerunt. Et proinde Patres semper docuerunt per sacrificium Missæ crimina, & scelera deleri, mortem fugari, vitam concedi: vt colligitur ex c. Omne, de consecrat. *distin. 1.* Sic Cyrillus *Catechesi 5.* Chrysostr. *li. 6. de sacerdot.* Damas. *lib. 4. de fide orthodox. cap. 14.* Origenes *homil. 13. in Leuit.* & Cypria. *in sermo. de Cena Domini.* Ambros. *lib. 1. officiorum, cap. 44.* August. *lib. 20. de Ciuit. ca. 25. & 26. in Enchirid. ca. 110. & lib. de Trinit. ca. 14.* Gregor. *lib. 4. Dialogor. cap. 58. & homil. 37. in Euangel.* Quod quidem Concilij Tridentini Sessio 22. cap. 2. auctoritate confirmatur: *Huius quippe, inquit, (sacrificij in cruentè) oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit.* Id ipsum Sanctus Thomas *in 4. distin. 12. quest. 2. art. 2. questio. 2. ad 4. longè antè tradiderat his verbis: Sacrificium nempe iustificare eos, pro quibus offertur, non vt causam proximam, sed donum contritionis impetrando.* Idem docuerunt Durand. *4. distin. 12. quest. 4.* & Maior *4. distin. 12. quest. 1.* Sotus *4. distin. 13. questio. 2. art. 1.* Ergo sacrificium à Sacramento distinguitur, quod per hoc in modum naturæ proximè tanquàm per Christi Domini instrumentum, gratia diuina conferatur & peccatorum sordes, & macula mundantur: & proinde Sacramentum potest infantibus, item dormientibus, & furiosis, & amentibus legitimè alioqui præparatis gratiam dare: per sacrificium verò primò pœnitentiæ donum impetratur ijs, pro quibus offertur, quo idoneè, & legitimè, vt par est, de peccatis dolent; & ita primam gratiam, & peccatorum remissionem, ac veniam consequuntur. Deinde, Sacramentum solum in nobis sumentibus operatur in modum naturæ, quæ formam suam in materiam præparatam introducit, ac sacrificium, quia impetrando suum effectum consequitur, prodest ijs quoque, pro quibus immolatur, licet nihil ex re oblata edendo participant, Sacerdoti verò, qui sacrificat, & offert, prodest sacrificiū, tum quia ipse Sacerdos pro se offert, tum quia re etiam ipsam oblatam, & hostiam sumit. Sacramentum igitur primam gratiam, & culpæ lethaliū remissionem confert sumentibus ritè, & idoneè præparatis, & hoc certa, & firma institutione, lege, & promissione Dei. At verò Missæ sacrificium ijs, pro quibus offertur, non proximè dat primam gratiam, & peccatorum lethaliū remissionem, sed impetrat pœnitentiæ donum à Deo, qui concedit, quo peccator incitatus de suis culpis legitimè dolet, & primam gratiam assequitur. Quare immeritò profectò Lutherani Catholicos acculant, tanquàm docentes per Missam deleri lethale peccatum eorum, pro quibus sacrificatur, sine vllò ipsorum dolore, & pœnitentia. Putant

tia. Putant enim ex hoc, quod Catholici docent Missam esse sacrificium propitiatorium, & expiatorium, & pro peccatis immolari, & offerri, pariter docere lethalia peccata proximè in modum Sacramenti remittere. Eodem modo, quo dixi, per Missæ sacrificium conferri peccatori primam gratiam, confertur gratiæ incrementum iusto, videlicet, quatenus per sacrificium impetratur à Deo auxilium, quo iustus bona opera facit, quibus gratia non solum conferuatur, sed etiam augetur.

Tertio Quæritur, An per Missæ sacrificium fieri queat, ut is, pro quo immolatur, ex attrito, quod aiunt, reddatur contritus: quidam enim Catholicorum, inter quos videtur esse Cathar. in *opusc. de sacrificio Missæ, & in epist. ad Hebræos, cap. 10.* id aliquando dixerunt, sed falsò, nisi rectè explicetur; quamuis Ruar. *artic. 16.* putet esse probabile. Nam per Sacramentum ritè, & idoneè susceptum, fit quis ex attrito còtritus, quoniam interdum lethali peccato infectus, bona tamen fide putans legitime se de peccato dolere, ad Sacramentum accedit, per quod primam gratiam, & veniam peccatorum consequitur. Hoc tamen nõ præstat proximè sacrificium, sed illud, videlicet impetrando facit ex attrito contritum, quatenus ei, pro quo sacrificatur, poenitentia donum impetrat à Deo, quo improbus excitatus, ac motus sua peccata legitime detestatur. Absolutè igitur, & simpliciter Sacramentum facit ex attrito contritum, cum in modum naturæ suum effectum producat: id verò per se, & simpliciter sacrificiũ non facit, sed impetrando poenitentia donum ei, qui antea nihil de suo peccato dolebat.

At dices, si sacrificium lethalia peccata delet eorum veniam impetrando; ergo impetratorium tantummodo, non etiam propitiatorium sacrificium est. Respondeo, impetratorium dici, quia impetrat multa bona ijs, pro quibus offertur etiam nullum in eis peccatum delendo: dicitur tamen propitiatorium, quia impetrat quoque remissionem peccatorum; ac propterea pro peccatis sacrificium fit, & offertur, ut Deum placet, qui placatus, poenitentia donum concedat, quo peccata eluantur.

Quarto Quæritur, An per Missæ sacrificium leuia peccata, quæ venialia dicuntur, deleantur, & quo modo tollantur. Quæstio intelligitur de venialibus peccatis, quæ delentur in ijs, pro quibus Missæ sacrificium offertur. Respondeo in primis, venialia peccata per Missæ sacrificium non deleri in ijs, qui sunt peccatis lethaliibus obstricti, nisi quatenus poenitentia donum impetratur, quo improbus suum lethale peccatum legitime detestatur, quia ut docet Sanctus Thomas 3. *par. quæstio. 87. artic. 4.* sine lethali peccato, quam adest in homine, veniale nunquam remittitur. Deinde conuenit inter omnes Missæ sacrificium delere in hominibus iustis, pro quibus offertur, venialia peccata, siue proximè per se, siue per aliud, quod impetrat, ea delere dicatur. Dissident tamen auctores inter se: nam quidam aiunt per Missæ sacrificium venialia peccata tolli proximè sine villo alio actu poenitentia, quem eliciat is, pro quo sacrificium offertur. Ita sentit Canus *lib. 12. de locis, cap. 13. ad 9.* Alij contra sentiunt per

Missæ sacrificium deleri, quatenus per illud impetratur donum à Deo, quo ijs, pro quibus sacrificium offertur, explicite, vel tacite de peccatis venialibus dolèt, & ita remissionem eorum peccatorum consequuntur. Quod est dicere, per ipsum sacrificiũ deleri venialia peccata, eo modo, quo tolluntur per ea, quæ Sacramentalia vocantur, iuxta eorum sententiam, qui docent, vi, siue virtute Sacramentalium venialia peccata aboleri, & extinguì: Aut contra per Missæ sacrificium venialia peccata remotè expiari, hoc est per sacrificium impetrari Diuinum auxilium, quo de peccatis venialibus dolemus. Sic censent Lindan. *lib. 4. Panoplie, cap. 51.* Pighi. *lib. 2. de Ecclesiast. Hierar. cap. 5. & 6.* Ayala *de irradi. par. 3. consil. 5.* Mihi distinguendum videtur: nam ijs, pro quibus Missæ sacrificium offertur, aut offertur quoque, hoc est, faciunt aliquo modo, ut pro ipsis offeratur ad suorum peccatorum venialium remissionem: aut non offertur, sed tantum pro illis sacrificium offertur, cum ipsi nihil meminerint, aut cogitauerint, aut fecerint. In illis primis existimo venialia peccata aboleri, eo ipso, solum, quo sacrificium offerunt, ut remedium ad venialia peccata expianda, sicut in eo, qui Sacramentalibus vitur, ut remedio ad suorum peccatorum venialium remissionem, puto, venialia peccata extinguì. Neque enim Missarum sacrificia sunt minus efficacia contra venialia peccata, quia Sacramentalia: sed per Sacramentalia, eo modo, quo dixi, leuia delicta abolerunt: ergo & per Missarum sacrificia. In alijs verò secundis, arbitrò, venialia peccata deleri, quatenus per Missæ sacrificium impetratur donum à Deo, quo de suis peccatis venialibus explicite, vel implicite dolendo ea detestantur: vel quatenus impetratur à Deo, ut aliquo remedio vtantur instructo ad peccatorum venialium remissionem obtinendam.

Quinto Quæritur, An per Missæ sacrificium poenæ peccatorum deleantur in ijs, pro quibus offertur. Communis est sententia, quam habet Sanctus Thomas 3. *par. quæstio. 79. artic. 5.* deleri: Est enim hoc sacrificium satisfactorium, & proinde culpæ iam ante legitime dimissis delet temporales poenas culpæ relictas. Si quæras, quanta poena deleatur per Missæ sacrificium. Respondeo cum Sancto Thoma loco citato, in ijs, qui aliquo modo offerunt, & non solum sunt tales, ut pro illis offeratur, tantam poenam tolli, quantum est eorum affectus, quo offerunt, videlicet maiorem, aut minorem, ut est maior, aut minor eorum affectus. In ijs verò, qui nullo modo offerunt, sed tantum pro illis Sacerdos offert, æqualiter poena dimittitur, & ea tanta est, quantum Christus Dominus taxauit: sicut Baptismus paruulis æqualem gratiam confert, & tantam, quantum Christus definiuit: adultis verò maiorem, aut minorem, ut maior, aut minor est eorum ad Baptismum præparatio.

Sexto Quæritur, An Missa sit sacrificium impetratorium? Constans est omnium Catholicorum sententia, impetratorium simul esse, & propitiatorium: Et hoc quidem, quia non solum pro expiandis, & delendis peccatis offertur, sed pro obtinendis à diuina Bonitate omnis

generis

generis beneficijs: & hoc habet vsus Ecclesiaz, vt ex Liturgijs, & testimonijs veterum Sanctorum Patrum aperte colligitur.

Septimò Queritur, Quomodo pacto in Missa, Ratio sacrificij propitiatorij, seu expiatorij, seu satisfactorij, & meritorij, & impetratorij inter se distinguantur? Nemo Catholico rum dissentit, Missæ sacrificio eas omnes quatuor rationes inesse, quæ à se inuicem distant. In primis est propitiatorium, siue expiatorium, quatenus pro peccatis lethalius offertur, quorum veniam consequitur, donum pœnitentiæ impetrando à Deo: nam licet proximè per se lethalia peccata non delet in ijs, pro quibus offertur; delet tamen per aliud, videlicet per donum pœnitentiæ, quod impetrat à Deo. Item est propitiatorium, siue expiatorium, quia delicta venialia extinguit, & expiat in hominibus iustis, pro quibus offertur, vt paulò ante dixi. Est satisfactorium deinde, quatenus per illud consequimur remissionem pœnæ debitæ culpæ iam antea dimissis. Meritorium item, vt vocant, est, quatenus iustus impetrat gratiæ incrementum, impetrando specialia Dei auxilia, quibus homo iustus in bonis operibus se exerceat, & gratiam vberiore, & ampliore obtineat. Est denique impetratorium, quia offertur pro bonis cuiuslibet generis consequendis. Hinc videre licet hos effectus esse diuersos. Nec eos omnes Missa semper habet in omnibus, pro quibus offertur. Nam, vt postea dicemus, fit sacrificium pro mortuis, quibus non impetrat lethalis culpæ remissionem: delet tamen, ac tollit ex toto, vel ex parte pœnas culpæ ante condonatis debitas. Et ita Missarum sacrificijs mortuorum animæ, quæ igne purgatorio expiantur, à pœnis debitis soluntur. Est igitur satisfactorium pro viujs, & mortuis, siquidem in vtrisque gratia, & charitate præditis, pœnas peccatorum delet, & expiat. Nec impetrat illis gratiæ diuinæ incrementum, quod post hanc vitam non datur; bene tamen viujs impetrat quatuor eiusmodi beneficia. Christus itè, quotidie seipsum offert per medium Sacerdotem, præstat nobis quotidie diuina beneficia, sed modo nec satisficit, nec meretur: quæ duo viuens, & morti seipsum offerens, in Cruce præstitit abunde. Hinc etiam fit, vt eodem modo, quo Missa peccatorum remissionem operatur, operetur quoque gratiæ incrementum: neque enim per Missam copiosior gratia conferatur in modum sacramenti: nam per hoc, tanquam per instrumentum Deus iustis suscipientibus Sacramentum vberiore gratiam largitur; at verò per sacrificium ea non datur proximè, sed impetrantur à Deo singularia diuinæ gratiæ auxilia, quibus iustus bene operatur, & maiorem gratiam operando meretur. Sicut enim per Sacramentum proximè gratia prima diuinitus infunditur, ita proximè etiam per illud secunda gratia suscipitur. At verò per Missæ sacrificium, sicut prima gratia non datur proximè, sed impetratur: sic etiam nec datur proximè secunda gratia; sed impetrantur bonæ vitæ opera, & officia; quorum merito gratia crescit, roboratur, atque perficitur.

Octauò Queritur, Quantæ efficaciz, virtutis,

& ponderis sit Missa? Quod perinde est, ac si queratur, An per se certum, & taxatè effectum producat, an verò incertum, neque definitum? Dux sunt opinioniones: Prima negat certi esse, & definiti effectus, sed infiniti esse, ait, in ijs, pro quibus offertur, & ipsi quoque sunt offerentes, eo argumèto, quòd res oblata fit infiniti pretij, cum sit corpus, & sanguis Christi: & offerens principalis sit quoque infinite gratus. Nam, vt prædixi, Christus est Sacerdos principalis, qui se ipsum Patri offert; at minister, vel famulus, per quem dominus eleemosynam erogat, nihil detrahit de bonitate, & æstimatione eleemosynæ; alioqui enim minus æstimaretur eleemosyna data per ministrum malum, quàm per bonum: Præterea, si Missæ virtus, & efficacia finita esset, minus satisfacerent pro pœna debita decem homines, qui sacrificium offerrent, quàm si duo tantummodo offerrent. Si enim rem quamlibet finitam in decem homines distribuas, non tanta portio singulis obueniet, quanta duobus contingeret, si inter duos solummodo diuideretur. Ita planè, si decem homines Missam audirent, fructus distributus in eos minor in quolibet eorum existeret, quàm si duo duntaxat sacrificio interessent. Quò item plures ministri sacrificio inferuissent, eo minorè hostiæ fructum participarent; ac proinde, qui post vnum, vel auditor, vel adiutor ad Missam accederet, is partem fructus illi detraheret: quæ videntur absurda. Nam si duo homines Sacerdoti eleemosynam erogent, qui pro illis sacrificium offerat, non est primus minorem ex Christi sanguine vtilitatem percipitur: quemadmodum si iuxta Crucem, quis vnà cum Christo sanguinem illum Patri offerret, nihil minus consequeretur, si solus ipse, quàm si infiniti homines tunc simul adessent, qui idem cum illo sacrificium offerrent. Hactenus prima opinio. Quam vt melius assequamur; sciendum est, Missam offerri pro quibusdam, ita vt ipsi speciatim non offerant, vt porè nihil circa Missam cogitantes, quæ pro illis offertur, nec quicquam agètes, ac procuratores, vt pro illis offerretur. Pro alijs verò, Missam nempe, offerri, ita vt & ipsi pariter offerant, vel quia sacrificio intersunt, vel inferuunt sacrificanti, vel rem diuinam faciendam aliqua ratione curarunt.

Docet ergo superior opinio, Missam in ijs, pro quibus solum offertur, & ipsi speciatim non offerunt, certum, ac definitum effectum obtinere, & æqualem in omnibus, at verò in ijs, pro quibus offertur, & ipsi pariter offerunt, certum, & taxatum non habere effectum, sed maiorem, minorèque, pro maiori, minorique studio, affectu, & voluntate offerentium: quisque enim tantum ex Missa fructum percipit, quantus est pius in eo voluntatis affectus. Quemadmodum, inquit, Baptismus in paruulis, certum, ac definitum, & æqualem in omnibus effectum producit; at verò in adultis non item, sed maiorem, aut minorem, pro maiori, minorique præparatione illum suscipientium. Sic Caietanus 3. par. questio. 79. artic. 5. & in opusc. tom. 2. tract. 3. quest. 2. Siluester in verbo, Missa. 1. quest. 9. Angel. in verbo, Missa, quest. 52. Viquer. in suis institutionib. Theolog. c. 16. §. 2. Canus lib. 12. de locis Theolog. c. 13. ad 10. Ruar. art. 16. Cordubens. lib. 1. questio. 3.

Petrus Sot. lectione 7. de Eucharistia. Petrus Nauarr. de reseruat. lib. 2. c. 2. num. 268. & sequent.

Secunda opinio, absolute, & simpliciter affirmat, Missam certam esse, & finitam virtutis, & efficaciam; ac proinde certum, & definitum effectum præstare: quæ videtur fuisse constans veterum Theologorum sententia, Sancti Thomæ in 4. distinct. 45. questio. 2. artic. 4. questio. 3. ad secundum. Bonaventuræ in 4. distinct. 45. artic. 2. questio. 3. ad ultimum. Sic Ricardus 4. distinct. 45. artic. 2. questio. 3. Scotus quod lib. 20. artic. 1. & 3. Durandus 4. distinct. 45. questio. 3. ad 3. Palud. 4. distinct. 45. questio. 2. artic. 2. conclusio. 4. Adrian. quod lib. 8. artic. 3. Gabriel. in canon. Missæ lectio. 26. & 27. Maior. 4. distinct. 55. questio. 2. Sotus lib. de inst. 9. questio. 2. artic. 2. nec est sibi contrarius, ut quidam putarunt, in 4. distinct. 13. questio. 2. artic. 1. Couarru. in c. Alma mater. par. 1. §. 1. num. 5. & sequent. Qui omnes eo sunt argumento permoti. Quia alioqui Missa, quam quilibet Sacerdos offert, sua virtute, & efficacia æquaret sacrificium, quod obtulit Christus in cruce.

Deinde, si Missæ sacrificium certum, & finitum efficacitatis non esset, certum, & taxatum non produceret effectum in ijs, pro quibus solum offertur, quique non offerunt. Id manifestum est: nam cum illi non offerant, nihil est in illis, ex quo Missæ effectus taxetur, definitur, & terminetur. Cur igitur in illis tantum Missæ effectus existit, & non maior? Accedit, quod si Missæ efficacia non esset certa, frustra equidem plura Missarum sacrificia ad eandem peccati poenam delendam, ad satisfaciendum pro eisdem peccatis offerrentur: hac enim ratione probatur vnum Missæ sacrificium in cruce factum, nec vnumquam amplius repetendum, cum illud fuerit infinitæ virtutis pro peccatis omnium hominum diluendis. Postremò, si Missæ sacrificium infinita virtute constaret, sufficeret vnum proculdubio ad eos omnes liberandos, quorum peccata igne purgatorio expiantur: Cur igitur tot in dies in vniuersa Ecclesia pro illis Missarum sacrificia celebrantur? Sacerdos itidem, qui multis sacrificia petentibus promisit se pro illis rem diuinam facturum, omnibus plenè satisfaceret, si semel pro illis tantum sacrificaret; quod cum Ecclesiæ communi sensu, & consuetudine pugnat. Hæc de opinionibus.

Primum, dicemus, an Missa sit certi, & finiti effectus in ijs, pro quibus offertur, & ipsi non offerunt. Deinde, an certum, & taxatum effectum obtineat in ijs, pro quibus offertur, & ipsi quoque sunt offerentes. Neque enim hæc duæ quæstiones confundi debent, ut quidam confundunt. Item dicendum est, an Missæ sacrificium, ut satisfactorium est, certum, & finitum effectum habeat: infinitum verò, ut est impetratorium an verò, finiti, & certi effectus sit, tum, ut est satisfactorium, tum ut est impetratorium.

Quod ad primum pertinet, mihi magis placet secunda sententia; cuius quidem argumenta posita, quod primo loco posuimus, abundè satis ostendunt: nimirum Missam, ut est satisfactoria, esse certi, & finiti effectus, hoc est, certæ, & finitæ satisfactionis in ijs, pro quibus offertur, & ipsi nullo modo offerunt, quia nihil cogitant, fiat ne, & offeratur Missæ sacrificium, an secus. Oppones id quod obijciebat prima sen-

tentia, hostiam in sacrificium oblata, infiniti pretij esse. Concedo, si in se quidem ea sumatur: at ut per sacerdotem offertur, virtutis esse finitæ, qua constat actio sacerdotis. Vergebis cum primæ opinionis auctoribus: Actio ministri, & instrumenti nequaquam minuit virtutem, & efficaciam causæ principalis: sed in Missa Christus Dominus est principalis sacerdos, qui offert, quod si Christus quotidie Patri offert in Missa, cum ipse sit ei infinitè gratus: qua ratione sacerdos, qui est eius minister, efficaciam eiusdem definit, ac terminat? Respondeo, quemadmodum per Baptismum deriuantur merita, & fructus vitæ, & mortis Christi Domini, quæ per se infiniti sunt pretij, & infinitæ virtutis, & tamen non nisi finitè percipiuntur ab ijs, cum quibus ea Christus per Baptismum communicat. Ita idem prorsus est de Missæ sacrificio iudicandum.

Insuper, instrumentum naturæ, & artis definire, ac restringere quidem virtutem, & efficacitatem formæ naturalis, non tamen instrumentum voluntarium, ut videre est in famulo, per quem dominus elemosynam elargitur; at Sacerdos, instrumentum est Christi Domini voluntarium, non naturæ, vel artis. Respondeo, etiam Baptismum esse instrumentum voluntarium, quo Christus Dominus voluit vi ad gratiæ paruum conferendam; & tamen non nisi finitè per illum conferretur. Respondeo itaque in hunc modum: instrumentum naturæ, vel artis per seipsum definit, & restringit causæ principalis efficaciam: instrumentum verò voluntarium per se nihil habet, quo definiat, taxet, ac terminet; ac definiti voluntate eius, qui illud adhiberi voluit ad aliquid faciendum. Et ita sicut Baptismus in parvulis, voluntate Christi est certi, ac definiti effectus, sic etiam Missa in ijs, pro quibus offertur, & ipsi offerentes non sunt.

Nondè Queritur, An Missa sit certæ, & definitæ virtutis, & efficaciam in ijs, pro quibus offertur; ipsi tamen sunt quoque offerentes? Superiori quæstione à nobis demonstratum est, Missam certum, & finitum effectum habere in ijs, pro quibus offertur, ita ut ipsi non offerant. In præsentia querimus, an sit idem pariter iudicandum, quando pro quibusdam offertur, qui & ipsi quoque sunt offerentes, videlicet, quia Missæ sacrificio interfunt, vel inseruiunt, vel aliquo modo causa sunt, ut ipsum sacrificium fiat, & offeratur. Duas video esse sententias: Vnam offerentem non esse certi, & definiti effectus, quoniam maior, aut minor ex Missa si uictus percipitur, pro maiori, aut minori offerentium studio, & affectu: alioqui peioris essent conditionis ij, qui vni Missæ sacrificio præsentem interfunt, vel inseruiunt, vel illud offerunt, quàm si vnus tantum adesset, inseruiret, aut offerret. Quando item plures offerunt vnum, & idem Missæ sacrificium, plus, & religiosus affectus vnus offerentis, nihil impedit affectum alterius, nihil minuit, nec ei quicquam detrahit: ergo singuli plus, minusue participant, prout maior, minorue est eorum affectus. His accedit, quod si plures ab vno Sacerdote baptisma simul suscipiant, quisque tantum ex baptismo fructum capit, quæta est idonea eius ad Baptismum præparatio. Item, si plures de

eodem lumine sua lumina accendant, quisque tantum luminis accipit, quanta est lucerna, quæ accenditur, & plures eadem lucerna illuminantur magis, aut minus, ut viciniore, remotiores sunt. Si multi itidem eundem Solem aspiciant, eandem vocem auferunt, eundem sonum audiant, vel odorem percipiant, tantum singuli capiunt, quantum potest cuiusque sensus percipere, nec vnus impedit alterum: sicut ex eodem fonte plures hauriunt aquam, plus, minusve singuli, prout maior, minusve vasculum afferunt ad fontem. Ita Caietanus, Siluester, Cordubensis, Angelus, & alij philosophantur *locis supra citatis*.

Secunda sententia negat Missæ effectum esse incertum, & infinitum: quæ veterum Theologorum videtur esse communi consensu recepta, Sancti Thomæ, Bonauenturæ, Ricardi, Scoti, Durandi, & Paludani, quorum opinioni subscribere Gabriel, Adrianus, Sotus, Maior, quos omnes superiori quæstione citauit. Qui eo argumento sunt moti: Quod prima sententia cum Ecclesiæ communi sensu, & vsu pugnare videatur. Nam aliqui si duobus, tribusue promitterem me pro singulis eorum sacrificaturum, singulis satisfacere semel tantummodo sacrificando. Si vni item promitterem me pro eo immolaturum; & deinde secundus, & tertius item peteret à me, ut pro eis sacrificium facerem, eorum neminem debito sibi iure, & fructu priuarem, si pro omnibus vnâ tantum hostiam offerrem, & semel tantum rem diuinam facerem, quia pro suo studio, & affectu debitum sibi fructum ex vno sacrificio quisque perciperet. Hæc opinio mihi magis probatur, eo quod cum piorum, ac fidelium hominum pro se multa sacrificia subinde flagitantium, communi consensu magis congruere videatur. Sed obijciunt primæ opinionis auctores: eum Sacerdotem secundo, & tertio sacrificare merito debere, cum tribus promissit hominibus se rem diuinam facturum: nam hoc ipso, inquit, quod tribus sacrum promissit, ter se sacrificaturum esse pollicitus. At eos profectò virget adhuc argumentum: quia si Sacerdos cum secundo, ac tertio promissit, in animo habuerit facere idem illud sacrificium, quod primo petenti promissit, neminem damno afficiet: Siquidem nullus fructum alterius impedit, aut minuit, si vnum, & idem sacrificium pro omnibus offeratur. Nec quidquam efficiunt exempla in prima opinione propolita de Baptismo, cum plures simul saluari aqua abluuntur, de lucerna, qua plures illuminantur, de voce, vel sono, quem plures audiunt, de odore, quem multi percipiunt. Nam baptismus, quem suscipimus, non in actione, sed in receptione consistit. At Missæ sacrificium est actio Sacerdotis satisfactoria nomine Ecclesiæ. Cætera exempla solum probant eandem rem obiectam posse plures percipere: & eam quemque suo sensu percipere. At Missæ sacrificium est vna Sacerdotis actio, quæ infiniti effectus esse non potest.

Opponunt itidem iidem auctores, stultam illius petitionem videri, qui petit, ut pro ipso tantum, & non pro alio Missæ sacrificium fiat: quan-

doquidem vsu Ecclesiæ, singula Missarum sacrificia, etiam ea, quæ pro se quisque petit, offeruntur pro Romano Pontifice, pro Imperatore, pro Antistite proprio, pro omnibus circumstantibus, & audientibus rem diuinam, pro interuentibus sacrificio. Communi etiam vsu Parochus, tamen si speciatim Missam offerat pro Titio, qui sacrificium petiuit, offert tamen eam generatim pro tota sua Parochia; ergo stultè petit is, qui vult, ut pro se tantummodo sacrificium offeratur. Respondeo, nequaquam stultè petere eum, qui petit, ut pro se vno, ac solo sacrificium offeratur, nec enim excludit eos, pro quibus suo more, & instituto decreuit, ac voluit Ecclesia, ut sacrificium immoletur; hæc enim esset stulta petitio: Excludit tamen merito, & iure suo alios, quibus speciatim Sacerdos promiserat, se pro illis sacrificaturum.

Quod ut intelligamus, est animaduertendum, ex Scoto quod lib. 20. artic. 2. & 3. Adriano, Gabriele, Soto, & Cordubensi *locis supra citatis*, triplicem esse Missæ fructum, generalem, specialem, & medium. Generalis est, quem vult Ecclesia, ut Sacerdos cum sacrificat, applicet Pape, Imperatori, Regi, Principi, Episcopo, & cæteris Ecclesiæ fidelibus; & hunc fructum Sacerdos iure non potest non applicare ijs, quibus voluit Ecclesia, ut applicaretur. Specialis fructus est is, quem participat Sacerdos, dum sacrificium facit, & hunc fructum alteri applicare iure non cogitur Sacerdos. Medius fructus est is, quem vult Ecclesia, ut applicet Sacerdos ijs, pro quibus sacrificium facit, & offert. Nauarrus in *Manuali cap. 25. num. 92*. Constat igitur ex his omnibus Ecclesiam per Sacerdotes Missarum sacrificia offerentem, ex huiusmodi sacrificiorum fructu sibi respondentem partem distribuisse, partem vero reliquisse Sacerdotis arbitrio distribuendam; & ita ipsa Ecclesia per seipsam in Romanum Pontificem, in Imperatorem, vel Regem; in circumstantes quoque audientes, vel interuentem, & denique in totum fidelium Christianorum cœtum certas portiones distribuit, quas Sacerdos ratione sui muneris, & officij debet illis assignare, quibus Ecclesia iam ante assignauerat: arbitrio vero Sacerdotis certam portionem reliquit distribuendam his, aut illis, pro quibus speciatim sacrificium offert: & hæc est fructus portio, quæ quisque sibi vult suo iure attribui, & applicari, cum à Sacerdote petit, ut pro eo sacrificium offerat: atque hunc in modum primæ opinionis argumenta soluuntur.

Caput XXI.

De eadem re alie quæstiones diluuntur.

PRIMÒ Quæritur, An Missa pro pluribus oblata minus proficit singulis, quàm si pro vno tantum offerretur? Et sermo nunc est de Missæ sacrificio, ut est pro peccatis peccatorum debitis satisfactorium. Cõsentiunt ferè omnes, minus singulis prodesse, quando Missa pro multis offertur, & ipsi non sunt pariter offerentes. Dissentiunt vero, quando Missa ita pro pluribus offertur, ut ipsi quoque sint offerentes.

Dux sunt enim opiniones: Vna, quæ docet, non minus singulis prodesse; quæ opinio placuit omnibus ijs, quos superiori capite dixi sentire, Missam in illis non esse certi, & definiti fructus, sed maiorem, minorem, pro maiori, aut minori pietate, & affectu offerentium: ac proinde cum pietas vnius nihil pietati alterius officiat, sequitur, ut quisque ex fructu Missæ capiat pro suæ pietatis ratione.

Alteræ est eorū sententia, quos prædicta Questione monui, censere, Missam in illis certi, & definiti effectus existere, qui convenienter suæ opinioni putant Missam pro pluribus oblatam minus singulis prodesse: quæ sententia mihi magis videtur cum ratione, & veritate cōuenire. Quoniam Missæ fructus, & effectus, quod attinet ad satisfactionem, de qua nunc loquimur, certus, & finitus est. At quod finitum est, si diuidatur in multos, minus in singulis est, quàm si in vnum tantummodo conferretur. Oppositæ verò sententiæ argumentum solum probat, eos, qui aliquo modo per Sacerdotem offerunt sacrificium, nihil minus participare, etiam si innumeri sint, quàm si pauciores essent, sed hoc ideo est, quia singuli offerunt; & proinde quisque plus, minus accipit, prout maior, minorue est eius affectus, quo offert: secus verò est, quatenus ij, qui offerunt, participant Missæ fructum, non ut offerentes sunt, sed ut sunt ij, pro quibus sacrificium offertur.

Secundò Queritur, An Missa saltem, ut est imperatorium sacrificium, sit in finiti fructus, & pretij: & an pro pluribus oblata, minus pro sit singulis, quàm si pro vno duntaxat offerretur? Quorundam est opinio, non solum Missam, sed quodlibet orantium patrocinium imperatorium, non minus momenti, & ponderis in singulis habere, quàm in vno, si pro eo tantummodo precarentur. Ratio est desumpta ex cap. Non mediocriter, de consecr. dist. 5, ubi habetur: *Cum Psalmus, vel Missa pro Mortuis dicitur, non minus, quàm si pro vno qualibet ipsorum diceretur, accipitur.* Deinde, quia res spiritualis tota participatur à pluribus sine vlla sui diuisione. Tertio, quia vis impetrationis innititur misericordiæ, & liberalitati Dei. Ergo cum oramus, non minus exaudimur, si pro pluribus precemur, quàm si pro vno tantum oraremus. Sed constans est veterum Theologorum sententia, Scotti, Ricardi, Bonauenturæ, Durandi, Paludani, & aliorum locis citatis, minus in singulis valere, quia preces Ecclesiæ sunt finitæ virtutis, & efficacitæ, at finitum in plures homines diuisum, fit in singulis minus. Deinde id, quod Sacerdos in Missa impertit ijs, pro quibus sacrificat, est, ut ante iam dixi, portio quædam, quam Sacerdotis arbitrio, Ecclesia distribuendam reliquit: ergo cum illa sit finita, in plures homines distribuenda minor existit in singulis.

De fructu orationis pro pluribus oblata, an pro sit singulis æquæ, ac si pro vno tantum offerretur; Dux sunt opiniones: Vna dicit æquæ prodesse, saltem quod pertinet ad vim impetrandi. Altera negat generatim. Hanc dicit Couarruias esse communem in cap. Alma mater. p. 118. §. num. 9. vbi citat S. Thomam, Scotum, Adrianum, Caietanum, Sotum, Medinam, Innocentium, Ioannem Andream, Abbatem, Imolam, Turrecrematam, & Na-

uarum. Certè hæc dux opiniones, si de vi impetrandi sermo sit, conciliari facile queunt: nam quod attinet ad vim satisfaciendi continent inter plerosque, orationem, quæ pro pluribus offertur, minus prodesse singulis, quàm si pro vno duntaxat offerretur. Vis igitur impetrandi, aut consideratur ex liberalitate, & misericordia Dei, quem oramus, & cui innititur vis impetrandi, & tunc impetratio non eo ipso est minor, quo oratio pro pluribus offertur; nam æquæ facile est bonum quodlibet impetrare pro centum oratio, ac si oraremus pro vno, quia impetratio innititur liberalitati Dei, non autem semper certæ legi, & promissioni diuine: & Deus liberaliter dat, legi, & petimus, & hinc est, ut peccator impetret à Deo aliquando, quod petit, & exaudiatur vbi, & quom vult Deus. Aut consideratur vis impetrandi ex affectu eius, qui orat; & tunc certi, & finiti fructus est; ac proinde quo pro pluribus oramus, minus singulis profusum, quia affectus noster, qui finitus, & certus est, diuiditur in plures; & ita fit minor in singulis. Et hoc est, quod docet opinio secunda, quam Couarruias loco citato, dicit esse communem: Est enim oratio religionis officium, est opus humanum, ac opus humanum certis finibus, & terminis concluditur. Item, Ecclesia pro priuatis hominibus speciatim orat: & pro rebus peculiariibus obtinendis nominatim orat: alioqui semper esset orandum generatim pro omnibus, si tantum prodesset singulis oratio, quæ pro multis offertur. Insuper vis impetrandi, ut consideratur, ex affectu eius, qui orat, tantæ æstimationis, valoris, & pretij censetur, quantus est affectus orantis: sed affectus, certus, & finitus est. Ex his patet solutio argumentorum.

Ad id etenim, quod obijciuntur ex cap. Non mediocriter Respondent Glossa ibi, & Theologi in 4. dist. 45. Psalmus, vel Missa, cum pro multis dicitur, non minus accipitur, &c. hoc est, non minus meretur, & satisfacit, qui pluribus suffragatur, quàm si vni tantum suam opem, & auxilium præstaret. Item ij, quibus aliqui suffragatur, non minus lætantur, nec minori consolatione afficiuntur, quàm si vnus tantum auxilio iuuaretur.

Obijcies, non minus exauditur quis, cum pro pluribus Deum precatur; quàm si pro vno tantum precaretur; ergo non minus impetrat. Respondet, quatenus precatio nostra innititur liberalitati, & misericordie Dei, non minus meretur, & impetrat, oblata pro multis, quàm si pro vno tantum offerretur: At verò, quatenus est hominis actio ex certo quodam animo, & voluntatis affectu profecta, minor est in singulis, quando pro pluribus offertur: Opus enim, & officium hominis est finitæ potestatis, atque virtutis; & proinde certæ, & finitæ efficacitatis.

Tertio Queritur, Quo pacto Missæ fructus singuli participant, pro quibus ipsum sacrificium offertur, videlicet, an omnes æqualiter participant? Quod si inæqualiter, vnde nam fiat, ut vnus amplio rem, vberio rem, & longè maiorem fructum, quam alter capiat ex eo? Et sermo hic est de Missæ sacrificio, ut est pro poenis peccatorum debitis satisfactorium, non ut est imperatorium,

qua ratione, ut paulò ante dixi, innititur liberalitati Dei. Respondeo, quando Missa pro duobus, tribus, aut etiam pluribus offertur, & ipsi offerentes non sunt; tunc in omnes equaliter fructus Missæ derivatur. Neque enim verum esse existimo, quod quidam tradiderunt, plus illi impertiri, qui maiori Dei gratia, & charitate se prædicitus: habitus enim solus charitatis, non est maior, minorue præparatio ad maiorem, aut minorem Missæ fructum iure capiendum, nisi magis pius, & religiosus in sacrificium oblatum voluntatis affectus accesserit: sed isti æqualiter sunt erga Missam affecti, cum nihil cogitent, ergo fructum omnes æqualem percipiunt. Deinde, cum Missa pro quibusdam generaliter offertur; speciatim verò pro alijs, & neutri illorum offertur; magis prodest ijs, pro quibus specialiter Missæ sacrificium fit: quoniam etiam si illi non sint offerentes, Missæ fructus per specialem Sacerdotis affectum, maior obuenit istis, quam illis: nam ipsa etiam Ecclesiæ illis, pro quibus sacrificiū peculiari nomine fit, certam, & peculiarem assignat, & applicat portionem; alijs verò generalem duntaxat. Hinc est, ut vsu sit in Ecclesiæ receptum, ut pro quibusdam specialiter Missarum sacrificia fiant, & offerantur.

Quando etiam Missa pro pluribus offertur, & illi quoque sunt offerentes, singuli ratione sui operis, Missæ fructum percipiunt. Et hoc est, quod docet Sanctus Thomas 3. par. questio. 79. art. 5. Sed hic fructus quodammodo dicitur ex opere operantis, qui propter opus aliorum, quamuis essent in numeri, nihil minuitur, neque remittitur. Fructū igitur respondentem merito, & operi Ecclesiæ offerentis, minorem, maiorēque participant ij, pro quibus sacrificium offertur, quo plures, paucioresque sunt: quia, ut superius dixi, eiusmodi fructus est finitus; & proinde in plures diuisus, fit minor in singulis; ita tamen, ut plus, minusve deriuetur in singulos, pro ratione maioris, minorisve affectus Ecclesiæ, quo pro illis sacrificium offertur.

Quartò Queritur, An Missa in ijs, pro quibus offertur, semper suum effectum obtineat, certa, ac firma lege? Sit exemplum: Missæ sacrificium, ut hæcenus indicavi, est propitiatorij, satisfactorij, meritorij, & impetratorij, & offertur pro Titio. Queritur, an certa, ac stata lege Titius oblati pro illo sacrificij fructum percipiat: nã si hac lege Missæ fructus obueniat, rectè inferas, Titio etiam dormienti peccata quoque remitti, & poenam eis debitam ex toto, vel ex parte condonari; in eo etiam gratiam augeri, si iustus sit. Respondent quidam, certa lege semper Missæ fructum obtineri, sed non statim, atque sacrificium offertur, sed debitis temporibus ad id diuinitus constitutis. Alij verò distinguunt hunc in modū: Missa, ut est propitiatorij sacrificium, culpas remittit, non proximè quidem pro se, sed poenitentia donum impetrando, ac proinde impetrat firma lege auxilium diuinæ gratiæ, quo quis de peccatis dolere queat: sed quia huiusmodi auxiliū ductum is non sequitur, ideo de peccatis non dolet: quare Missa nequaquã suo effectu fraudatur, cum datum sit auxilium, quo quis à peccatis resurgat, quamuis nõ respuerit, quia noluit. De-

inde, Missa, ut est satisfactorij sacrificiū, stabili lege suum cõsequitur effectum, nisi eius pro quo offertur peccatum impediatur. Et quoniam, qui lethali peccato tenentur, ijs poenæ peccatorum nõ condonantur; ideo si pro his Missa offeratur, nihil illis poenarum remittitur: ac si iusti fuerint, & in gratia Dei constituti, remissionem poenæ certa lege, vel ex toto, vel ex parte cõsequuntur, ut docet S. Thomas 3. p. q. 79. art. 5. Hinc efficitur, ut Missæ pro defunctis oblata, quorū peccata purgatorijs poenis expiantur, certò aliquid poenarū remittant. Præterea, Missa ut est sacrificium meritorium, per se proximè non confert gratiæ incrementum, sed impetrat singulare Dei auxiliū, quo is, cuius gratia sacrificium fit, ampliorem gratiam promereri queat. Et quia non semper Dei auxilia sequimur, fit inde, ut per Missam non semper gratia vberior obtineatur: datur tamen diuinum auxilium, quo eã promereri possimus. Demum Missa, ut est impetratorij sacrificiū, ad cætera bona omnis generis consequenda, certò suum effectum adipiscitur; ea tamen bona nobis sæpe non conferuntur ex accidenti, quia id nobis non expedit. V. G. offertur Missa pro Titio, ut ex morbo conualescat, nec tamen conualescit, Missa nequaquã per se suo effectu frustratur, sed quia Titio minimè conducit, ideo is non restituitur pristinae sanitati: nam quemadmodum lethale peccatum Titium impedit, ne oblatum sacrificiū peccatorum poenas remittat, sic etiã, quia morbus ei nunc est utilis, obest, & impedit, ne Missa ei, quam exoptat, sanitatem restituat.

Quintò Queritur, An Missa quam improbus Sacerdos offert, alicuius sit fructus, ac meriti? Vna est omnium sententia, Missam talis Sacerdotis eum fructum habere, qui ex opere existit ipsius sacrificij, quoniam hic fructus respõdet Christi Domini institutioni, qui voluit, ut Sacerdos offerret: & ideo Sacerdos, qua ratione facit, & offert nomine, & auctoritate Christi, quamuis improbus sit, non impedit, quo minus sacrificiū, ut institutum à Christo Domino fructiferum, & salutare sit. Item, fructuosum est sacrificiū, merito ipsius Ecclesiæ: ac proinde talis fructus cum Christo, & Ecclesiæ debeatur, per Sacerdotis improbitatem, nec tollitur, neque minuitur. Preces item, quas malus Sacerdos nomine Ecclesiæ, ut minister fundit in Missa, fructuosæ sunt, quia hic etiam publicarum precationum fructus respondet merito Ecclesiæ, nõ Sacerdotis. Ergo quæstio intelligitur de fructu, qui respondet operi operantis, hoc est, ipsius Sacerdotis, qui sacrificat. Quæstionem autem mouet, quod Missa est sacrificium impetratorij, ac impetratio, liberalitati, & misericordiæ Dei innititur, non meritis hominis: Deus enim aliquando peccatores exaudit. Concors est Doctorū opinio, minus fructuosum esse sacrificium per improbum Sacerdotem oblatum, quoniam hic licet impetrare aliquid possit, tamen Missa ab eo oblata, satisfactorij opus non est, is enim, qui lethali peccato obstrictus est, Deo satisfacere nõ potest. Item iustus, ac probus Sacerdos plus benefactis, ac meritis suis à Deo impetrare potest, quam iniquus, & improbus.

Sextò Queritur, An Missæ sacrificium factum

S. Tho. 3.
p. q. 82.
art. 6.

ab hæretico Sacerdote, vel Schismatico, vel Catholico, maiori tamen excommunicatione affecto, sit alicuius fructus, Consentunt omnes, prædictum Sacerdotem verè consecrare corpus, & sanguinem Christi: nam id conficit nomine, potestate, & auctoritate Christi, quam Ecclesia non adimit, non abrogat: quamvis olim non defuerint, qui opinati sint Sacramentum ab eo non confici: cuius quidem opinionis fuit etiam Magister in 4. distinct. 13. quod ideo docuit quia multi Patres affirmasse videntur irritas esse eas consecrationes, quibus Hæretici, aut Schismatici consecrant, ut citat Gratianus in c. manus, c. dictum est, c. quod quidam, c. Arianos, c. extra Ecclesiam, 1. q. 1. c. audiuimus. c. pudenda, c. Schisma, 2. q. 4. quæst. 1. veruntamen eiusmodi sententia communi Theologorum consensu reiecta est, de qua re dixi lib. 8.

Quæstio igitur est, an Missæ sacrificium aliquid proficiat ijs, pro quibus offert talis Sacerdos, expers scilicet gratiæ Dei, nec intelligitur quæstio de opere operantis, sed de opere ipsius sacrificij, Christi, & Ecclesiæ meritis respondente. Negant nonnulli vilius esse fructus, & utilitatis: nam Sacerdos, inquit, sacrificium offert nomine, & auctoritate Ecclesiæ: Sed Ecclesia per talem Sacerdotem non offert, quia eum à suo gremio, & consortio separavit, ac proinde est extra Ecclesiam eiectus. Alijs oppositum probabilius est visum, sacrificium nempe esse fructuosum, quoniam Missam Christus Dominus per medium Sacerdotem quotidie offert, cuius oblationis effectum Ecclesia non tollit, aut impedit. Item, quia Sanctus Thomas, 3. p. q. 82. art. 7. perspicue docet talem Sacerdotem verè consecrare, cum id faciat nomine Christi, & auctoritate: sed eiusdem nomine, & auctoritate offert: ergo sicut consecratio valet, sic valet quoque oblatio: hic enim fructus potius Christi meritis, quam Ecclesiæ respondet.

Quæres, an saltem preces, quas talis Sacerdos fundit in Missa nomine Ecclesiæ, sint fructuosæ ijs, pro quibus sacrificium offertur: nam maior est de ijs dubitatio, quam de ipso sacrificio: hoc enim Christus instituit, ac proinde illi, nempe sacrificio, inest quædam virtus, & efficacia à Christo Domino derivata, ac preces sunt ab Ecclesia institutæ, cuius auctoritate adhibentur, & offeruntur: sed Ecclesia, per Sacerdotes Hæreticos, vel Schismaticos nihil offerre vult, ergo planè nihil efficiunt, S. Thomas 3. p. q. 82. art. 7. ad 3. videtur asserere, horum quos diximus Sacerdotum preces oblatas in Missa nihil efficaciam, & fructus habere: quia nomine, inquit, Ecclesiæ funduntur. Vnde Sotus 4. d. 13. q. 1. art. 7. ad finem. S. Thomæ auctoritate permotus ait, eas nullius esse virtutis, & efficaciam. Sed alij concedunt ingenuè eas esse fructuosas, quia eas offert Sacerdos, quamvis alioqui Hæreticus, vel Schismaticus, ratione publici muneris, & officij, quo fungitur: sed huius muneris potestas non est eis abrogata, ergo valet eorum oblatio.

Obijcies, Hæretici, Schismatici, & Catholici Sacerdotes maiori excommunicatione constructi, ab Ecclesia exclusi iam sunt, ergo nihil offerunt, cum nolit Ecclesia per eos quicquam offerre. Respondent illi, Ecclesiam eos à consecratione prohibere, non quod verè non consecrent,

sed quod à consecrandi usu, functione, & ministerio arceantur, ita ut consecrando grauius delinquant. Sic etiam Ecclesia eos excludit ab oblatione, ita ut si offerant, peccatum lethale committant: tamen oblatio per eos facta valet, ac proinde est fructuosa, & efficax. Sed reuera S. Thomas 3. p. q. 82. art. 7. ad 3. videtur oppositum sentire, quippe qui negat oblatas per tales Sacerdotes preces etiã nomine Ecclesiæ, aliquid fructu habere. Existimo non negare S. Thomam preces Sacerdotis quidem Catholici, sed vinculo excommunicationis maioris occultè obstricti, esse fructuosas nomine Ecclesiæ, quia ob cõmune bonum noluit Ecclesia, ut huiusmodi excommunicatus eni taretur, vnde licet peccet ipse, Ecclesia tamè per ipsum videtur orare, secus est de excommunicato, què Ecclesia non tolerat. Si postremo roges, an sacrificiũ factum ab eo Sacerdote, qui est sententia legitima ab omni Clericorum gradu deiectus, sit fructuosum ijs, pro quibus offertur? Respondeo, cum S. Thoma 3. p. q. 82. art. 8. esse fructuosum quatenus nomine Christi Domini facit, & offert sacrificium. Ait enim S. Thomas ei tantummodo esse interdictum sacrificandi usum, non autem potestatem ademptam. Alijs verò videtur, si cõsecret talis sacerdos, consecrationem quidem valere, quamvis consecrando maximè peccet, nullius tamen fructus oblationem sacrificij, vel precationem esse, eo quod per eum sacerdotè offerre nolit Ecclesia. Sed hoc, quod aiunt solum potest habere locum in precibus, quas nomine Ecclesiæ sacerdos fundit in Missa, non in ipso sacrificio Missæ: quia licet Ecclesia nollet, ut huiusmodi sacerdos sacrificaret, si tamen sacrificet, applicat sua merita Ecclesiæ: præsertim si bona fide absq; peccato eiusmodi sacerdos rem Diuinam faceret: sicut etiam videtur Ecclesia applicare sua merita per sacerdotem excommunicatum quidem, sed bona fide ex ignorantia sacrificantem.

Caput XXII.

Pro quibusnam Missæ sacrificium iure possit offerri.

PRIMò Quæritur, An fas sit Sacerdoti Missam offerre pro Turcis, Saracenis, Paganis, & alijs, qui sunt Christianæ fidei, & Religionis expertes? Sensus quæstionis est, an pro huiusmodi hominibus iure Missa offeratur, ut ad Christi fidem, & Religionem conuertantur, & sese in Ecclesiæ sanctæ gremium recipiant? Nam consentiunt omnes pro eis Missæ sacrificium non esse offerendum, ut est sacrificium satis factori, hoc est, ut offeratur ad remittendas peccatorum pœnas: impijs enim peccatorum pœnæ debite non condonantur, dū in sua impietate persistunt. Nec item offertur pro ipsis Missæ sacrificium, ut alia huius vitæ bona, quæ terrena, & temporalia dicuntur, obtineant: quin potius Ecclesia preces in Missa contra Paganos instituit, in quibus orat Diuinam elementiam, vt dextera ipsius potentia conterantur.

Docet Ledesm. in 4. par. 2. q. 23. art. 1. licere illi, qui apud Indos Christi Euangelium annunciat Missam offerre pro Indis, vt Christianam fidem

incipiant,

fulcipiant; à qua sententia non lógè abest Nauar. *trañ. De oratione cap. 19. num. 72. & 73.* quæ, si vera est opinio, teneri tuto poterit ab ijs Sacerdotibus, qui apud Turcas, Saracenos, vel Indos cõmorantur, ita vt tua conscientia Missam offerat pro illarum gentium Regibus, Principibus, ac Magistratibus, vt traducantur ad Fidem. Etenim Ecclesia, inquit Ledesma, nullibi legem constituit id fieri prohibentem; cum tamen vetuerit pro Hæreticis, Schismaticis, vel excommunicatis atque interdictis Missam offerre. *Atinquit;* Pro ijs, qui sunt à Christi fide alieni, Ecclesia sacrificium non offerit, ergo nec sacerdos, vt est Ecclesiæ minister, iure offerit: nam dum sacrificat, Ecclesiæ munere, & officio fungitur: ergo si Ecclesia non offerit, sequitur, vt ipse Ecclesiæ nomine, & auctoritate non offerat. *Sotus lib. 9. de Iustitia q. 2. art. 2. ad 3.* asseuerat, errorem esse Cappellantiæ institueret, aut Missas pro Infidelibus: deinde nefas esse pro illis sacrificium offerre, & eis applicare satisfactionem, qui est Missæ fructus. Id conatur ostendere auctoritate Augustini *lib. 1. de Anima & Origine eius c. 9.* dicentis. *quis offerat corpus Christi nisi pro ijs, qui sunt membra Christi* quam sententiam Augustini S. Thomas. *3. par. q. 79. art. 7. ad 2.* sequitur ait, corpus Christi nõ offerri nisi pro ijs, qui sunt membra Christi. Vnde, & in Canone Missæ non oratur pro ijs, qui sunt extra Ecclesiã: fidelibus tamen prodest plus vel minus, secundum modum deuotionis eorum. Hæc B. Thomas. *In hac quaestione compertum mihi videtur esse, Sacerdotibus licere Missam offerre pro incremento Fidei & Christianæ Religionis propagatione, & amplificatione Ecclesiæ in toto terrarum orbe: nõ hoc nihil aliud est, nisi in bonum Fidei, & Religionis Christianæ sacrificare: Et Ecclesia Missam instituit ad Schisma tollendum è medio, hoc est, pro pace, cõcordia, & charitate totius populi Christiani, pro omni Schismate, dissidio, & discordia, ex animis penitus extirpanda. Et hoc modo offerimus pro Anglia, Germania, alijs Septentrionalibus prouincijs. DICES;* Qui sic offerit, etiam offerit pro conuersione Paganorum, & Infidelium: Respondet, non offerre per se directo, & speciatim pro hominibus à Fide, & Ecclesia alienis, sed generatim tantum offerit, qui hoc modo sacrificat, pro pleniori, & vberiori fidelium Christianorum bono. Deinde, in Missæ sacrificio oramus, vt Calix salutaris in cõspectu Diuinæ Maiestatis ascendant pro nostra, & totius mundi salute. Ergo licet Missam generatim pro totius Ecclesiæ, & omnium salute offerre. *Item,* exploratum est, & certum, fas esse Ecclesiæ, preces etiã publicas, ac etiã in Missæ sacrificio fundere, & offerre nominatim, vt Turcæ, Saraceni, & Pagani à suis erroribus reuocentur, & ad fidei, & Religionis Christianæ veritatem trahantur. *Tota* igitur præsens quaestio est, an fas sit pro eis Missæ sacrificium offerre, vt conuertantur ad Christum. Præterea constat, sacerdotibus non licere nouas preces in Missa adhibere priuata auctoritate, pro conuersione Infidelium; cum nefas sit aliquid in Missa, vel dicere, vel facere præter ea, quæ publica Ecclesiæ auctoritas approbavit.

Nihilominus tamen non est manifestè interdictum, ne sacerdos Missam offerat pro Pagano-

rum, & Infidelium conuersione, sed solū est præter usum, & morem Ecclesiæ sic Missam offerre: neque enim extat ius, vel lex Ecclesiæ id prohibens: solum ex Missæ Canone nobis cõstat, Ecclesiam non orare nisi pro orthodoxis, & fidei Catholicæ cultoribus: nec extat in Ecclesiasticis codicibus Missarum ordinem, & formulam continentibus, aliqua Missa pro conuersione Infidelium instituta. Imò olim Ecclesia Paganos, & Infideles excludebat à templo, cum primum Missa Catechumenorum absoluebatur, & sacrificium offerre incipiebat.

Obijcies, Christum suam mortem in Cruce Patri obtulisse pro omnibus: sed sacrificium Missæ incuruentum, est illius cruenti cõmemoratio, ergo pro omnibus debet offerri. Accedit, quod Ecclesia optat, & sollicitè studet etiam Infideles ad Christum conuerrere. Adde, Ecclesiam in die Parasceues orare pro Paganis, & Iudæis, vt conuertantur ad Christum. Præterea quamuis non sint bona alia temporalia pro Infidelibus petenda; at nihil impedit, quin oremus, vt diuinitus illuminentur, & trahantur ad Fidem. Nam pro excommunicatis, quos Ecclesia ab omni consortio, & conuictu fidelium Christianorum arceat, ac prohibet, & suis suffragijs, & precibus spoliatur, iure oramus, vt respiciant: iure etiam salutamus illis verbis: Deus vos illuminet, & vos conuertat. His, & alijs argumentis quidam adducti, asseruerunt Ecclesiam olim pro omnibus, etiam ijs, qui sunt à Fide Christi alieni, sacrificare consueuissè, quãuis id modo non faciat. Certe Tertullianus *ad Scapulam cap. 2.* plane testatur: Nos, inquit, sacrificamus pro salute Imperatoris: & tamen Tertulliani temporibus Romani Imperatores Christiani non erant. Scribit quoque B. Chrysof. *homil. de Adam, & Eua: Cum Sanctæ plebis Sacerdotes per mandata sibi data, legatione funguntur, apud Diuinam Clementiam, humani generis causam, totamque simul Ecclesiam aggregantes possulant, & precantur, vt Infidelibus donec fides, vt idololatriæ ab idololatria, & suæ impietatis erroribus liberentur: vt Indis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat. Et hæc eadem habet Cælestini Epistola ad Episcopos Ecclesiæ. Idem Chrysof. *hom. 77. in Ioannem. Ideo,* inquit, *in mysterijs inuicem salutamus, vt multi vnum efficiamus, & communes cum omnibus non iniuriis preces efficiamus, & pro infirmis, & terra, & maris, & vniuersi orbis fructibus sacrificamus.* Alibi Idem *homil. 6. super Epistolam ad Timotheum. 1. c. 2.* Sed fortè quis dixerit, pro omnibus, quod ait, Orationes, & obsecrationes fieri, tantum fideles intelligi voluisse: at id verum non esse, quæ sequuntur, ostendunt. Denique ait, *pro regibus:* neque enim tunc reges Deum colebant, sed multis postea successione acceperant, qua per seriem successione acceperant, perstiterunt. B. August. *Epist. 59.* etiam explicans illud Pauli *1. ad Timotheum 2.* *Obsecro itaque primum omnium fieri obsecrationes &c.* Pro omnibus hominibus, pro regibus, & ijs, qui in sublimitate sunt, orandum, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & charitate. Et ne quisquã, sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, existimaret non esse ista faciendã pro ijs, ob quorum tyrannidem persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omnium essent hominum genere colligenda; adiungit, & dicit:*

Hoc enim bonū, & acceptum est corā Salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri. Et loquitur ibi Augustinus de precationib⁹, quas adhibet frequenter Ecclesia in celebratione Sacramentorum. Clem. lib. 8. Constit. Apostolica, cap. 17. Similiter docet Apostolos sacrificium Eucharistiae pro sui temporis regibus obtulisse. Sic enim orat ex eorum doctrina: Reges custodi in pace, Magistratus in iusticia, Mundum in prouidentia omnipotenti, bellicosas nationes mansuefac. In lege veteri sacrificabatur pro vita regis Darij, & filiorum eius primo Esdræ 6. Et in 2. Machab. 3. pro salute Eliodori Gentilis.

Sed profecto nihil horum perspicuè satis ostēdit, Ecclesiam olim sacrificare solitam fuisse pro Paganis, & Infidelibus. Illud certè multo verisimilius est, Missam, qua nunc vitur Ecclesia, ab Apostolis, & primis, qui eos deinde secuti sunt, patribus acceptam fuisse: nec tamen eam nunc offert nisi pro omnibus Orthodoxis, & Catholicæ fidei cultoribus. Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 2. & 6. docet offerri Missam pro omnibus fidelibus viuus, & defunctis. Chrysostronus verò, & Augustinus *supradictis in locis* solum testantur, Ecclesiam in Missæ sacrificio orare pro Regibus, etiam impijs, & alienis à Fide, iuxta Apostolum 1. ad Timoth. 2. *Obsecro primum omnium fieri.* &c.

Sed de hoc quæstio non est, an precationes in Missa fundi queant pro Infidelibus: nam totum, quod fit in Missa Officiū cōstat ex Missa Catechumenorum, & oblatione, ac sacrificio fidelium, & gratiarum actione post sacrificiū expletum. Dubium esse nulli debet, Ecclesiam in Missa Catechumenorum, quæ fidelium Missam, & sacrificiū præcedebat, pro Infidelibus orare consueuisse, ac fortassis etiam absoluto, & finito fidelium Missæ sacrificio pro omnibus, etiam impijs gentibus. Ecclesia itē in die Parafceus publicè precatur pro Paganis, & pro Iudæis, vt à suo errore, & perfidia reuocentur.

Verū hic tota quæstio est an aliquando Ecclesia Missam, & sacrificiū pro Infidelibus obtulerit, quod sanè non constat. Nam Augustinus loco ante producto, apertè testatur precationes offerri pro omnibus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat consecrari. At licet Tertullianus dicat: *sacrificamus, pro salute Imperatoris*, videtur tamen verbū sacrificandi latius sumpsisse pro eo quod fit in Missa, qualis est tota Catechumenorum Missa. Nā idem quoque Tertul. ad Scapulam c. 30. *Inuocamus*, inquit, *Deum æternum pro Imperatoribus*: & superiore illo, quem protulimus loco, postquam dixerat: *sacrificamus pro salute Imperatoris*: subiungit: id præcepit Dominus pura prece.

Ad ea verò, quæ sunt initio obiecta, respondeo Christum obtulisse sacrificiū, hoc est, seipsum in Cruce pro omnibus in vniuersum: nam erat sacrificiū eius ad redimendos omnes; at sacrificiū Missæ incruentum offert Ecclesia tāquam commune totius Societatis fidelium sacrificiū, ac Symbolum, ac proinde illud fidelium Missam appellat. De secundo, non negamus, Ecclesiam saluti omnium intendere: sed id partim facit precationibus suis, partim sacrificijs oblationibus: his quidem pro fidelibus, illis verò pro omni-

bus in vniuersum, etiā Gentilibus. De tertio verò, in die Parafceus orat Ecclesia pro Paganis, & pro Iudæis, vt prædixi: vnde negari nō potest, quin eadem Ecclesia olim, & nunc precetur sæpè Deum generatim pro omnibus, imò etiam preciatim pro Gētib⁹, & Iudæis: sed in die Parafceus hostiam non consecrat, sacrificiū non offert, tantum sumit hostiam pridè consecratam.

Secundò Queritur, An liceat Sacerdoti Missam offerre pro Catechumenis nondum per Baptismum renatis? Hæc inde existit quæstio, quòd Ecclesia sacrificat pro omnibus fidelibus viuus, & mortuis: at Catechumeni Christi fide, imò etiā aliquando charitate sunt prædici. Pro altera verò parte facit, quòd Catechumeni nondum sunt Sacramentorum particeps, ergo nec Missæ sacrificij: Deinde, olim Catechumenis solum fas erat in templo adesse, dum eorum Missa celebrabatur: qua finita, publica voce Diaconi, idem excluderentur à templo. Sunt qui sentiūt, Ecclesiam pro Catechumenis olim sacrificare solitā fuisse: quòd nituntur ex Chrysostrono, & Cælestino *locis supra citatis* confirmare, dicentibus Sacerdotes publicè orare pro Catechumenis; & ex Clemente, qui testatur Apostolos docuisse, vt pro Catechumenis in sacrificio Eucharistiae preces funderentur: & ex libello, qui dicitur Ordo Romanus, vbi describitur scrutiniū tertium, quòd agitur feria quarta post quartam Dominicam in Quadragesima, & instituitur Missa propria pro Catechumenis. Deinde, in ea parte Missæ, quæ dicitur: *Intra actionem*, in illis verbis: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ*, expressim additur, eam pro Catechumenis offerri.

Alijs tamen probabilius videtur, Missam, quæ olim vocari solebat fidelium, & quæ constat consecratione, & oblatione, & sumptione corporis, & sanguinis Domini, nunquam vlti, & more Ecclesiæ pro Catechumenis oblatam fuisse. Nam appellatione fidelium in ea Missa, intelliguntur ij, qui sunt ad Christum per Baptismum adiuncti, Catechumeni verò nondum Baptismo initiati, intra Ecclesiæ gremium non continentur.

Ad id verò, quòd ex Patrib⁹, & ordine Romano adferebatur, respōdeo, eos tātummodo loqui de Missa Catechumenorum, & de ijs, quæ in ea celebrabantur, quales erant precationes multæ publicæ. Et in altera parte Missæ, sic dicta, *intra actionem*, nequaquam dicit Ecclesia se sacrificiū offerre pro Catechumenis nondum Baptismo, & Christianæ Religionis professione initiatis, sed pro ijs, inquit, quos regenerare dignatus ex aqua, & Spiritu sancto: ergo pro Catechumenis iam per Baptismum renatis.

Tertio Queritur, An fas sit Sacerdoti Missam offerre pro Schismaticis, Hæreticis, & ijs Catholicis, qui Excommunicationis maioris vinculo tenentur obstricti, & sunt nominatim denunciati, vel notorij Clerici percussores: nam olim Ecclesia videtur etiam pro hisce hominibus orasse, sacrificasseq; . S. Clemens loco citato ait, Apostolos id docuisse, videlicet, vt in sacrificio Missæ precaremur pro ijs reducendis ad Fidem, qui in errore versantur: & in Liturgia S. Iacobi Apostoli expressim oratur pro extirpatione hæresum: in Liturgijs item S. Basilij, & S. Chrysostromi offeruntur

preces

nominatim pro erratibus, vt à suis erroribus reuocentur; & alibi Chrylostomus, loco etiam supra citato, docet Sacerdotes publicè precari pro Hæreticis, & Schismaticis. Id quoque perspicuè testatur Cælestinus Papa: vt supra dixi. Respondeo, ex cap. Sacris, & cap. A vobis secundo, de sentent. excomm. apertè colligi, non licere Sacerdotibus Missam offerre, aut in ea publicè pro huiusmodi excommunicatis orare, quoniam eos Ecclesia suis communibus precibus, ac suffragijs priuat, & arcet ab omni confortio, & conuictu piorum. Olim, quidam inquit, fortassis Hæretici, & Schismatici ipso iure, maioris excommunicationis poena affecti, & damnati non erant, ac proinde mirum non est, quòd in Patrum Liturgijs publicè pro ipsis preces funderentur: præsertim cum huiusmodi preces, eo tenderent, vt ipsi resipiscerent, & suis erroribus depositis, & abiectis, ad Fidei veritatem reducerentur. Cæterum, licet olim essent etiam excommunicationis maioris vinculo obstricti, poterat Ecclesia pro illis orare, qua etiam ratione nunc in die Parafceus publicè pro Hæreticis, & Schismaticis orat.

Quæstio tamen est, an in lethale peccatum incurrat, qui pro ijs, qui sunt maioris excommunicationis vinculo obstricti, & denunciati, Missæ sacrificium offert, non quidem publicè, id enim omnino est interdictum, sed priuatim, ita vt Sacerdos animo tantum, & voluntate, cum eis Missæ sacrificium cõmunicet? Negat Ledesmi. 4. q. 23. ar. 1. Sed alij probabilius affirmant: quonia Ecclesiæ præceptum, quo verat, ne quis pro ipsis sacrificet, datum est de re graui. Sed quid dicendum, si Sacerdos, dum generatim pro omnibus fidelibus sacrificium facit, & offert, voluntatem suam ad excommunicatos fideles extendat. Silu. excommunicatio. 1. nu. 2. ait id esse licitum facere, sic Tabie. excommunicatio. 1. nu. 5. Armil. excommunicatio. 1. nu. 9. ex S. Thoma.

Quæres, an si excommunicatus per veram cordis poenitentiam resipuerit, & nondum sit ab excommunicationis vinculo absolutus, liceat pro eo sacrificiũ offerre? Ledesmi in 4. q. 23. ar. 1. opinatur, peccare quidem Sacerdotem pro eo offerentem, sed sacrificium oblatum esse ei fructuosum, cum ille iam sit gratiæ Diuinæ restitutus. Sed contra alij opinati sunt, ei sacrificium, vt satisfactorium nõ prodesse ad remissionem poenarum, quæ peccatis debentur: Nam etsi in Dei gratiam redierit, adhuc tamen est excommunicatione diuinctus, in qua quamdiu persistit, communium Ecclesiæ fructuum, & bonorum capax non est. Ita Sotus, in 4. d. 22. q. 1. ar. 1. Attamen alij quibusdam prima opinio visa est probabilior, quæ ante Ledesinam videtur fuisse quoq; Ricardi in 4. dist. 18. ar. 2. q. 2. & Antonini. 3. p. sit. 24. cap. 76. quam etiam sequitur Nau. de orat. cap. 19. num. 68. & in Manua. cap. 27. num. 36. & à qua Couar. in cap. Alma mater. p. 1. §. 6. num. 4. minimè discessit. putant enim isti auctores nequaquam Ecclesiæ mentem esse, vt excommunicatus, qui est per idoneum peccati dolorem Deo reconciliatus, communium Ecclesiæ bonorũ participes non sit, quamdiu per ipsum non fiat, quominus excommunicationis vinculo soluat. Et certè hæc sententia est valde probabilis, vt quæ mitior, & benignior est. Oppones id, quod habetur in cap. A vobis secundo, de sent. ex-

comm. videlicet excommunicatum, quamuis per poenitentiam de suo peccato dolentem, nondum tamen ab excommunicatione solutum, à confortio, & conuictu piorum remotum esse: quia quibus, inquit Pontifex, viuus non communicamus, nec mortuis communicare debemus. Respondet, in eo cap. solum significari, talem excommunicatum Ecclesiæ absolutione indigere: nihil verò ibi dici, sit capax, nec ne bonorum, & fructuum Ecclesiæ.

Si quæras, an Sacerdoti liceat offerre Missæ sacrificium speciatim quidem, sed secreto pro huiusmodi excommunicato. Nauarrus, & Couarruias locis citatis sentiunt licere Sacerdoti id facere, quia Ecclesia verisimiliter creditur id non prohibuisse, dummodo publicè non fiat, nec expressim, & nominatim pro eo excommunicato offeratur sacrificium Missæ. Sotus, & Ledesmius negant licitum esse, id facere: primum est probabilius. Quæres quoque, an Sacerdos in Canone Missæ, dum submissa voce occultam cõmemorationem facit amicorum, tuto absque villo peccato queat etiam excommunicati meminisse, & pro eo Deum precari? Id quidam opinantur Sacerdoti minimè licere facere, sic docent Sotus, & Ledesmius locis supra citatis, inde permoti, quod tota eiusmodi viuorum commemoratio fiat nomine Ecclesiæ.

Si illis obijcias Sacerdotem tuto posse priuatim suo nomine pro excommunicato precari. Respondent illi, Ecclesiã non prohibere, ne quis pro excommunicatis priuatim oret; sed iure præcipere, ne id præstet in Missa; aut saltem, ne dum viuorum mentionem facit, pro quibus sacrificiũ offert, excommunicatos cõmemoret, aut pro ipsis preces effundat. Alij tamen probabilius, & verius esse oppositum arbitrantur: quoniam eiusmodi precatio fit priuato nomine, & auctoritate Sacerdotis; & Ecclesia solum vetat Missam, aut publicas preces, & quæ nomine ipsius funduntur, offerri pro excommunicatis; nunquam tamen imperat ne in Missa priuato suo nomine Sacerdos pro excommunicato precetur. Sic Angelus in verbo. Missa. nu. 51. Silu. excommunicatio. 1. nu. 2. & in verbo. Missa. 1. nu. 5. Tabie. excommunicatio. 1. num. 5. Nauar. de oration. cap. 19. nu. 71. & Couar. in cap. Alma mater. p. 1. §. 6. num. 4. & Maiol. de irregularitate lib. 3. cap. 25. num. 3. quorum ego sententiæ libètius quoq; subscribo. Neque enim id vnquã prohibuit Ecclesia. Si quæras vltimo, an fas sit Sacerdoti sacrificium offerre pro excommunicato occulto, qui non est denunciatus, nec est notorius Clerici percussor. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 36. videtur insinuare fas esse: quia huiusmodi excommunicatum vitare non cogimur. Sed videtur aliud esse, hoc est, excommunicatum non esse vitandum, aliud esse pro illo orandum, vel sacrificandum: nam primum conceditur ob commune bonum aliorum, qui non sunt excommunicati, sed secundum est in bonum ipsorum excommunicatorũ, & Ecclesia videtur eos huiusmodi bono, & cõmodo excludere: quare dubia in hac parte videtur esse sententia Nauarri.

Quartò Quæritur, An pro mortuis sacrificiũ Missæ sit offerendum? Negant Hæretici; quamuis fateantur, vsum, & morem Ecclesiæ fuisse, vt in

Missâ fiat mortuorum commemoratio, qua supplicatur Deo, vt mortuos, Sanctorum cœtui in æterna felicitate coniungat. At verò constans est, & firma, ac certa Catholicorum sententia, non solum pro mortuis preces offerri, sed etiâ ipsum sacrificium, idque contra Hæreticos sacrum Cœcilium Tridentinum, definit *sess. 22. c. 2.* & censetur hæc esse Apostolorum traditio, vt ex veteribus Ecclesiæ patribus colligitur. Dionysio Areopag. Cypriano, Athanasio, Tertulliano, Nysseno, Chrysostomo, Ambrosio, Epiphano, Augustino, & alijs, & in Liturgijs sanctorum Patrum, Iacobi Apostoli, Basilij, Chrysostomi satis aperte legimus commemorari in Missâ defunctos, & Deo pro ipsis supplicari, & sacrificium, & oblatione fieri. Sed cum multa sint mortuorum genera, disputandum est, pro quibus mortuis fas sit Sacerdotibus Missâ sacrificium offerre, quod sequentibus quæstionibus explicabo.

Quintò Quæritur, An pro sanctis cœlestis patriæ ciuibus, qui æterna felicitate potiuntur, sacrificari iure possit? Exploratum est omnibus, pro ijs minime sacrificium offerri ad delictorum expiationem, aut pœnarum remissionem, aut gratiæ, vel sempiternæ felicitatis, & gloriæ incrementum. Hoc sensu verum est illud, quod passim in ore fidelium versatur: Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. Deinde, pro certo, & comperto habetur, in Missâ fieri Sanctorum mentionem, vt eorum exemplo, & imitatione, viui ad bonam vitæ frugem excitentur, & vt Deus viuos cum illis in patria cœlesti, consociet. Nec non illud est certum, eos commemorari, vt pro eorum victoria, & rebus præclare, & feliciter gestis Deo gratias agamus, ac vt ipsi de hac gratiarum actione lætentur: atque hoc ipsum dicitur cedere in eorū gloriam, aduentitiâ scilicet, & extrinsecam. Id postremò ab omnibus conceditur, Sanctis ciuibus in cœlo regnantibus sacrificium minime offerri, sed soli Deo. Ergo illud tantum in præsentia discutendum nobis est, An sancti commemorentur in Missâ, vt inuocentur, honorentur, & colantur à nobis: hoc enim Hæretici pernegant, & Catholicos calumniantur, quod Sanctos in Missâ inuocent, colant, & venerentur.

Ceterum perpetuò semper in Ecclesia receptum est, vt hæc ratione Sancti commemorentur in Missâ. Etenim S. Basilij in Liturgia, post consecrationem meminit Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum: vt assiduas, inquit, tibi pro nobis preces offerant: vt quando nobis ipsi parum fidimus, memoria, & legatione illorum protecti, per eos ad te audeamus accedere. Et Cyrillus in Catechesi V. Mytagogica: *Cum sacrificium, ait, offerimus, mentionem facimus eorum, qui dormierunt Sanctorum, vt Deus illorum orationibus preces nostras suscipiat.* Chrysostomus item in Liturgia: *Sanctorum, inquit, Apostolorum, & Sancti huius, cuius memoriam facimus, & omnium Sanctorum tuorum supplicationibus respice nos Deus.* Augustinus: *Ideo ad ipsam mensam non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt videlicet pro ijs oremus, sed magis, vt ipsi pro nobis presententur.* Obijcies, Cyprianū dicentem sic, lib. 3. Epist. 62. & lib. 4. Epist. 5. *Laurētius, & Ignatius in castris & ipsi quondam secularibus militantes, sed veri, & spirituales Dei milites, dum Diabolū Christa confes-*

sione prosternunt, palmas à Domino, & coronas illius passione meruerunt: sacrificia pro eis semper, vt ministri, offerimus, quoties Martyrū passiones, & dies anniuersaria commemoratione celebramus. Græcorū quoque Liturgia sic habet: *etiam offerimus tibi pro omnibus qui a seculo tibi placuerunt Sanctis.* Respondent quidam in hunc modum. Cum Cyprianus dicit se pro eis sacrificia offerre, nihil aliud significare videtur nisi, pro eorum patrocinio inuocando sacrificiū se facere, & offerre, vel, pro eis, id est, pro eorum victoria gratias agendo, siue pro eorum cultu, & honore. Ceterū alij rectius, meo quidem iudicio respondent, Cyprianū mentem esse, pro eis, id est, pro eorum commemoratione: nā in alia Epistola scribit ad Presbyteros, & Diaconos fratres, vt ei significet, quinam ad immortalitatem glorioso mortis exitu transeunt: vt celebrentur, inquit, hic à nobis orationes, & sacrificia ob commemorationes eorum. Cyrillus quoque Hierosolymitanus in Catechesi, verba illa in Missâ Græcorum: *Etiā offerimus tibi pro omnibus, qui a seculo tibi placuerunt sanctis, sic interpretatur: Hoc sacrificiū tibi offerimus, vt memores simus primum eorum, qui dormierunt Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrū, vt Deus orationibus, & intercessionibus eorum nostram precationem suscipiat.*

Obijcies insuper, hostiam, quæ offertur in Missâ, per se sufficere ad omnia bona impetranda, ergo non est, quod sanctorum Martyrum patrocinium imploremus in Missâ. Respondet, per se quidem hostiam sufficere, cum sit corpus, & sanguis Domini; at nihilominus Sanctorum patrocinium inuocamus, quia voluit ipse Christus Dominus, vt Sancti honorarentur, & colerentur, & inuocarentur à nobis.

Sextò Quæritur, An Missâ pro mortuis apud inferos perpetuò supplicio damnatis? Fuit veterum quorundam sententia, illis prodesse hostiam illam salutarem, non quidem ad pœnæ remissionem, quæ est in perpetuum duratura; sed ad eam pœnam ex maiori patientia sustinendam, ac vt tolerabilior sit eorum damnatio. Sed vna est omnium Theologorum sententia, hostiam illis planè fructuosam non esse, nec fas esse eam pro illis offerre.

Duo tamen, aut tria nobis obijci possunt. Primum ex Augustino dicente in *Enchir. c. 109.* Ecclesiæ sacrificijs & suffragijs mortuos iuari, vt vel plena sit eorū remissio, vel tolerabilior eorum damnatio. Idem alibi ait, videlicet lib. 1. de *Origine anime. c. 9. & 10. & lib. de cura pro mortuis agenda. c. 1.* sacrificiū esse pro omnibus baptizatis, mortuis, & oblationes sacrificiorum quibusdam prodesse defunctis, vt illorum tolerabilior fiat damnatio. Sanctus quoque Gregorius in *Dialogis lib. 4. c. 55.* refert, fuisse quendam religiosum, qui contra votū Paupertatis factum, furto pecunias abstrulerat, quod cū Gregorius resciuisset, imperauit Fratribus, vt illū mortuum vna cū pecunijs in sterquilinio sepelirent, dicentes, Pecunia tua tecum sit in perditionem: & tamen elapsis triginta diebus, eisdem fratribus præcepit, vt per alios triginta dies continuos pro eo sacrificia faceret, quibus exactis, Gregorio est diuinitus patefactū, eiusmodi mortuorum sacrificiorū subsidio liberatum fuisse. Respondet, in primis quicquid dicat Glossa in c.

Quos citat Durā. lib. 2. de ritib. Eccl. cath. c. 43.

In cap. cū Mattha. de celebr. Missarū.

In 4. d. 40.

Tempus.

Tempus. 13. 7. 2. Augustinum, damnationis nomine tantum intellexisse ignis purgatorij pœnâ: sic enim vñtato more dicimus fontes dâri ad carcerem, ad metalla, ad bestias, ad exiliû; quamuis alioqui condemnatio perpetua nō sit. Deinde ad id, quod ex Gregorio refertur, respōdeo eū Monachum ad vitæ exitum de suo peccato doluisse, idque Gregorium cognouisse: iussisse tamen eum in sterquilino sepeliri, ad aliorum exemplum, & terrorem: quam sepulturam Gregorius voluit, vt perditionem vocarent, quamuis ad tempus tantummodo futuram; & ideo præcepit, vt pro eo sacrificaretur: nouerat enim eum purgatorias pœnas sustinentem, fore sacrificiorum merito liberandum. Deinde obijciunt id, quod Ecclesia in Missa funebri pro mortuis precari solet; videlicet, vt mortui liberentur de profundo lacu, de pœnis Inferni; & de ore leonis, ne absorbeat eos Tartarus, ne cadant in obscurum tenebrarum: sed signifer Sanctus Michaël representet eos in lucē sanctam, & in sinu Abrahæ: hæc enim nequeunt intelligi commode de his, quorū leues noxæ igne purgatorio expiantur, & maiorum criminū pœnæ remittuntur: intelliguntur ergo de ijs, qui dântur ad Inferos perpetuò cruciâdi. Respōdeo, ea Ecclesiæ verba posse multipliciter explicari, vt statim apparebit. Illud in præsentia dixisse sufficiat, eiusmodi non habere locum in ijs, qui sunt perpetuis iam supplicij condemnati.

Tertiò obijciunt id, quod habetur 2. Machabæorum 12. vbi narratur iussu Iudæ Machabæi, oblata fuisse sacrificia pro ijs, qui in bello ceciderant, & tamen ibidem dicitur, eos ob sua peccata ab hostibus fuisse prostratos: Inuenerunt, ait Scriptura, sub tunicis interfectorum, de donarijs idolorum, que apud Iamnam fuerant, à quibus lex prohibet Idolos. Omnibus ergo manifestum factum est, ob hæc causam eos corruisse: & omnes intellexerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta, ergo erant perpetuò apud Inferos damnati. Respondeo, eos ob sua quidem peccata in bello deuictos perijisse; sed in vitæ fine de suis illi peccatis doluerunt, ac proinde pro illis sacrificatum est ad pœnarum, non autem culpam remissionem.

Septimò Queritur, An Missarū sacrificia profint paruulis, cum solo originali peccato deudentibus? Quæstionem hanc mouet id, quod tradit Augustinus locis superiori quæstione citatis: Mortuos alios esse valde malos, alios valde bonos: alios nec valde malos, nec valde bonos: Et prima duo genera mortuorum, sacrificijs non iuari tertium autem genus multū iuari. At huiusmodi paruuli videtur esse ij, qui nec valde mali, nec valde boni sunt, cum nec inter eos numerentur, qui ad cælestem iam patriam peruenerūt, nec inter eos, qui perpetuò damnantur apud Inferos, eo quod nullā culpam sua voluntate ad miserunt, ac proinde sunt mediocriter boni. Constans est Theologorū in 4. d. 45. opinio, nihil eiusmodi paruulis sacrificia prodesse, eo quod eū originali peccato hac vita functi in tenebris iaceat sempiternis. Eos verò, qui purgatorio igne mundantur, August. appellauit, nec valde bonos, nec valde malos quasi diceret, nec perpetuā superi felicitatē adeptos, nec ad supplicia inferorū æterna dântos.

Octauò Queritur, An Missa profint ijs, qui pœnas purgatorias sustinent? Cōmunis est omnium Theologorū doctrina, in 4. d. 45. huiusmodi Mortuos intelligi, quando Ecclesia pro ijs, qui obiere sacrificat: nam eorum leues, & veniales culpæ, quæ nondum in hoc sæculo condonatæ fuerunt, post hanc vitam remittuntur, & pœnæ etiam temporales grauiorum criminum abolerentur: quare tales mortui, & Ecclesiæ precibus, & sacrificijs in vtroque iuuantur. Porro Mortuis prodesse Missarum sacrificia, doctrina est Patrum omnium, & Conciliorum, quorum testimonia, & decreta citat Durandus lib. de ritibus Ecclesiæ, Cathol. 2. ca. 43. Obijciens, vñm Ecclesiæ Deo supplicatis pro mortuis, vt eos de profundo lacu liberet, ac de pœnis inferni, &c. quæ locum non habent in ijs, qui pœnas purgatorias persoluunt. Deinde, Ecclesia certissime nouit animas corporibus exutas, & igne purgatorio detentas, tandem cælestes sedes consecuturas: quomodo ergo Deum precatur, vt eas Sanctus Michaël representet in lucem sanctam, & in sinu Abrahæ, & vt mortui ad vitam reuocati, Sanctorum consortio aggregentur? Quidam Catholici fatentur hæc, & alia huiusmodi in Officijs Ecclesiasticis, dici non tam proprie, & verè, quam piè, & Religiose, quibus quāuis parum cum veritate congruentibus Ecclesia suum in mortuos quem gerit, piū affectū ostendit. In his ergo non tā id, quod dicitur, quā animus dicentis expenditur. Sed certè non est, quod dicamus aliquid in Ecclesia piè solum, & nō verè dici; neque enim Ecclesia falsi aliquid per errorē decepta publicè decantat, aut tradit, absit hoc ab ea, quam Apostolus appellat columnam, & firmamētum veritatis. Longè verius ergo est, quod alij tradiderunt, prædicta verba, aut per metaphoram accipi, vt solent plurima in scripturis contenta, aut in Missis, quas Ecclesia pro ijs, qui decesserunt è vita, offert, Deo supplicari generatim, nō solum pro ijs, qui iam ex hac vita migrarunt, sed etiam pro ijs, qui in extremo vitæ periculo constituti iam iam morte obituri videtur. Orat igitur Ecclesia Deum, vt Missarum sacrificijs placatus liberet eas animas, quarū pœnæ igne purgatorio exoluuntur. Expendamus singula verba, & breuiter explicemus. *A pœnis, inquit, inferni, id est, A purgatorio igne, qui idem prorsus esse perhibetur, atque ignis Inferni. Et à profundo lacu, A carcere nimirum sub terram abdito, vbi detentæ expurgantur animæ piorum. Ne absorbeat eas Tartarus, Hoc significat: ne amplius, & diutius eas profundi illius carceris caueant, & vincula remorentur, nec inferni pœnæ tanquam fauces quædam belluæ immanis, sæuæ, ac truculentæ detineant. Ignem purgatorium, cum sit idem, qui ignis Inferni, appellat Ecclesia Tartarū. Nec cadant in obscurum. Vult dicere: Ne post hoc sacrificium factum, & oblatum permittas adhuc eas in obscuris terræ carceribus cruciari, & quasi denudò in purgatorias pœnas incurrere. Sed signifer Sanctus Michael representet eas in lucem sanctam. Sensus est: Fac, vt per hoc sacrificium pœnas debitas in totum exoluant; ac proinde eas plenè mundatas Michael sistat in patria cælesti, quæ finis Abrahæ vocat Ecclesia, id est locum, vbi iusti post huius vitæ finem excipiuntur. Vel eiusmodi verba*

dicuntur de ijs, qui in extremum vitæ periculum deueniunt, quibus singula verba iam hæcenus exposita non ineptè conueniunt.

Nonò *Queritur*, An Missa pro parulis, qui cum baptismo ex hac vita exceſſerunt, nondum rationis vſum confeſſi? *Reſpondeo*, nequaquã, cum pro certo, & indubitato habeamus, eorum animas corporum vinculis ſolutas ſtatim ad cæleſtem patriam euolare. *Quæres*, an Miſſarum ſacrificia faciendâ ſint cum hi paruli ſepeliuntur? *Reſpondeo*, eſſe faciendâ: non ita tamè, vt pro illis offerantur: nec item in Miſſa præcationses vllæ pro ijs fundantur: ſed ſacrificia ſunt, pro omnibus mortuis, quorum peccata adhuc expiantur: ergo ſunt, hæc ſacrificia ad aliorum mortuorum ſubſidium, & viuorum ſolacium, qui vident Eccleſiam ſollicitè ſuis votis, precibus, ſuffragijs, & ſacrificijs eos qui ſunt morte delecti, iuuare. Hæc ex S. Thoma, in 4. d. 45. q. 2. art. 2. Pa. lu. 4. d. 45. q. 1. art. 2. & Naua. de orat. c. 19. nu. 65.

Decimò *Queritur*, An Miſſarum ſacrificia mortuis, pro quibus ſunt, certa, ac firma lege profint? *Sotus* in 4. d. 19. q. 2. ar. 4. videtur negare ſic mortuis ſacrificia prodeſſe, ſed liberali duntaxat Dei voluntate, ita vt miſericorditer ea Deus accepta, & grata habeat, non autem vllius à ſe latæ legis neceſſitate. Nam mortui, inquit, non amplius ſunt in diſtione, & poteſtate Eccleſiæ, ergo eas iuuare non poteſt abſoluendo, ſed ſuffragando, ſuffragia autem profunt, ſi Deus, ea accepta ſibi habere dignetur. At in 4. d. 21. q. 2. art. 3. ait magis pium eſſe oppoſitum ſentire. Quare probabilius mihi videtur, quod alij docuere, videlicet Couar. cum alijs in c. Alma mater. p. 1. §. 5. num. 11. certa, & firma lege Dei ſacrificia prodeſſe ijs, qui iam obiere: quoniam tum Eccleſia, quæ pro illis ſacrificat, tum ipſi mortui, pro quibus ſacrificia offeruntur, Dei gratia, & charitate præditi ſunt: ergo nihil eſt, vnde ſacrificij fructus impediatur: & hæc opinio, cum ſit magis pia, & rationi conſentanea eſt amplectenda. *Dices*, eos mortuos extra ditionem Eccleſiæ iam eſſe conſtitutos. *Reſpondeo*, in de colligi, eos per Eccleſiam à peccatis non ſolui, quemadmodum viui abſoluantur: nam in hos Eccleſia ius, & auctoritatem habet, qua eos ligat, ac ſoluit: at verò mortuos iuuat, nõ quòd eos à peccatis abſoluat, ſed quòd ſua ope, & auxilio ſubleuet, cuius tamè ſubſidia voluit Deus ſua certa, quam ſtatuit lege grata habere, & accepta. Hoc autem inde colligimus, quia Diuina eſt traditio Apoſtolorum ſermonibus nunciata, vt pro mortuis precemur, & ſacrificia offeramus, ergo Chriſtus Dominus, qui hoc tradidit, & qui hoc nobis nunciari iuſſit, eo ipſo, voluit huiusmodi ſuffragia pro mortuis tanquã grata, & accepta ſibi offerri.

Caput XXIII.

De Idoneo ac legitimo Miſſæ ſacrificij miniſtro.

Hoc loco quædam tanquam certæ, & exploratæ veritatis poni oportet: quæ cū de Euchariftia, vt eſt Sacramentum, agatur, ſiſus oſtenditur. Ea autem ſunt huius ſacrificij miniſtros eſſe Sacerdotes, auctoritate Eccleſiæ ritè, & legitime

Sacris Ordinibus initiatos. Deinde eos miniſtros eſſe ad conſecrandum corpus, & ſanguinè Domini, & offerendum, & ſumendū, & alijs impertiendum. Denique, miniſtrum, vt legitime iure, & ritè abſque peccato cõſecret, offerat, & det alijs, oportere liberum eſſe, & ſolum ab omni excommunicatione, ſuſpenſione, interdico, irregularitate, & cæteris luris Canonici, vel Diuini pœnis, vel impedimentis. Pari ratione in præſentia non eſt diſputandum, an plures Sacerdotes poſſint ſimul eundem panem, vel vinum conſecrare: nec item, quæ mens, & voluntas in Sacerdote ad ſacrificandum exigatur.

His poſitis, primò *queritur*, an quemadmodum ſolus Sacerdos iure diuino eſt legitimus miniſter Euchariftiæ conſecrandæ, offerendæque, ita ſolus quoque ipſe ſit eodem iure Diuino miniſter in ea alijs cõferenda. Nam Luc. 22. ſolis Apoſtoliſ, & Diſcipuliſ præcepit Chriſtus. Hoc facite, id eſt, conſecrate, & offerete; & eiſdem videtur quoque dictum: Alijs Euchariftiam miniſtrate: quæ tria ipſe præſtiterat: nam, & conſecratur, & obtulerat, ac dederat. At verò ex altera parte olim Diaconi corpus Domini à Sacerdotibus conſecratum de more alijs impertiebant. *Reſpondeo* in hunc modum, ratione muneris, & officij ordinaria poteſtate ſolus Sacerdos iure Diuino alijs Euchariftiam conſert; Diaconus verò mandata ſibi, & commiſſa poteſtate ius, & auctoritatem habere poteſt Euchariftiam à Sacerdote cõſecratam alijs dandi. Olim in Eccleſia eam Diaconi ad abſentes, & ægrotos deferrebant, vt conſtat ex Luſtin. in Apolog. Cypria. ſerm. de lapſis. Clem. lib. 8. cõſ. Apoſt. c. 28. & in Concilio Carthaginenſi. 4. Can. 38. habetur: vt Diaconus præſente Presbytero Euchariftiam corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, iuſſus erogat. Et c. Diaconus Diſtinct. 93. ex Pelagio reſertur: Diaconi Sacri corporis erogationeſ ſub conſpectu Episcoporum, ſeu Presbyterorum, niſi hiſ abſentibus, ius non habent exercendi. Vbi Gloſſa, annotauit: Vbi neceſſitas exigat, & Presbyter eſt abſens, poteſt Diaconus ritè iure ſuo baptizare, & corpus Chriſti dare inſirmis, ſi conſecratum eſt, ſed in Eccleſia, præſente Presbytero, non poteſt, etiam ſi neceſſitas exigat, niſi iuſſus à Presbytero; & quia, cum multi ſunt, qui indigent Baptiſmo, & Presbyter nequit omnibus ſufficere: ſimiliter cum multi ſunt, qui volunt Chriſti corpus accipere, nec Presbyter omnibus ſufficit. Hæc Gloſſa. Concilium verò Nicenũ. Can. 14. & habetur c. Pervenit. 1. Diſt. 93. ſic ait: Pervenit ad Sanctũ Conciliũ, quod in loco quibusdam, & Ciuitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconis porrigant; quod neque regula, neque conſuetudo iradidit vt ij, qui offerendũ ſacrificij non habent poteſtatem, ijs qui offerunt corpus Chriſti porrigant. Et ac ergo omnia auerentur, & accipiant per ordinem, poſt Presbyteros ab Episcopo, vel Presbytero Sacram Communionem. Quod ſi non fuerit in præſenti, vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipſi præſentia, & edant. Hæc Concilium. Irreperat abuſus talis, nempe, cū Episcopus rem Diuinã faciebat, Presbyteri, ac cæteri Eccleſiæ miniſtri de manu eius Euchariftiam de more accipiebant: & quia Episcopus aliquando defatigabatur, cõcedebat Diacono, vt corpus Domini cæteris Clericis porrigeret. Vnde factum eſt, vt conuenientibus, vel diſſimulantibus Episcopis, Diaconi Euchariftiam Presbyteris etiam miniſtrarent: quem abuſum tollendum eſt medio Concilium curauit, quòd

hinc

hinc Diaconi in solentiores effecti sese audebant Presbyteris antepone. Procedente vero tempore, Diaconis abrogata est facultas corpus Domini ceteris, etiam laicis porrigendi, quamvis sit illis potestas relicta distribuendi sanguinem: hic enim cum ministraretur in calice, necesse non erat, ut à Diacono tangeretur, ut necesse erat corpus Dominicum ab eo tangi, cum illud cæteris præbebat.

In Concilio Arelatenſi 2. *Can. 15.* habetur: *In ſecretario Diaconis inter Presbyteros ſedere non liceat; vel corpus Chriſti præſente Presbytero tradere Diaconi ne præſentant: quod ſi fecerint, ab omni officio Diaconatus abſcedant.* Ex dictis cernere licet, Diaconum Eucharistiæ conſecrandæ, vel offerendæ nullam facultatem habere poſſe, ſive ordinariam, ſive mandata, atque commiſſam; & offerendæ vero alijs ſubminiſtrandi, auctoritatē commiſſam habere poſſe, ordinariā non item, quoniam hæc ſolis Sacerdotibꝫ ratione ſui muneris, & officij cōuenit.

Secundo *Quæritur*, An ſicut omnis Sacerdos Eucharistiæ conſecrandæ, & offerendæ iure Diuini non habet potestatem, ſic etiam habeat eandem Eucharistiā alijs distribuendi? *Reſpondeo*, hoc eſſe diſcrimen inter potestatem conſecrandi, offerendique, & inter potestatem dandi Communionis Sacramentum; quod illa eſt facultas aliquid obeundi circa ipſum Chriſti corpus, hæc vero eſt potestas conferendi alijs Sacramenta, quod eſt proprium paſtoris penſum, & mūnus: ac proinde non eo ipſo quod quis in Sacerdotem creatus potestatem habet conſecrandi, & offerendi, habet ius dandi alijs Eucharistiā: ad hoc enim iuriſdictio requiritur, ad illa verò non item. Nulli igitur Sacerdoti ſimplici omnis iuriſdictionis experti licitum eſt Eucharistiā alijs miniſtrare. *Quæres*, an ſas illi ſit eam dare per ſolam à Parocho conſecram facultatem. *Reſpondeo*, ſas eſſe, quia cum ſit Sacerdos, & ſola ei deſit iuriſdictio, eam accipit Parochi conſeſu: Parochus enim, quemadmodum cum ſibi ſubiectis miniſtrat Eucharistiā, ut iure ſuo, ſic eandem per alium conferre, iure ſuo, & auctoritate poteſt. Nym ad Eucharistiā porrigendam alijs, non requiritur ultra ordinationem in Sacerdote vlla Episcopii approbatio, ut neceſſaria eſt, ad conſeſiones penitentium audiendas, vel ad Diuinum verbum annunciandum.

Caput XXIV.

Quibus diebus ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium immolare ſacerdotes iure poſſunt, & debeant.

Primo Quæritur, An ſimplex Sacerdos, cui nulla eſt animarū cura commiſſa, nec Beneficium Eccleſiaſticum collatum, Miſſæ ſacrificiū aliquando offerre, iure, & lege cogatur? *Duo ſunt Theologorum ſententiæ: vna docet*, in nullū lethale peccatum incurrere eiſmodi Sacerdotē, ſi nunquam ſacrificet: ſic Alexander 4. p. 9. q. 1. m. 2. Bonau. 4. d. 12. p. 2. ar. 2. q. 2. Gab. in Cano. Miſſæ. leſt. 87. Viſto. in ſum. de Sacram. nu. 94. Cai. p. 3. q. 82. ar. 12. Leſm. 4. p. 1. q. 23. ar. 10. Palacius 2. d. 13. diſput. 2. H; & quidam alij ſentiunt eiſmodi Sacerdotem,

etiam ſi abſque cauſa iuſta à ſacrificando abſtineat perpetuū, minimè lethale peccatū admittere: quandoquidem nullus extat Canon, quo ad illud faciendum adigatur: fatentur quidem peccare, ſed ſolum cum contemnit, vel cum alijs offenſionis cauſam præbet. *Iuniores quidam putant opinionem hanc eſſe probabilem, eam multis verbis tuetur Roſella. Eucharistiæ 3. nu. 33.* quamvis ſolum contendere videatur huiſmodi Sacerdotem nō peccare lethaliter. De quodam Sancto Presbytero hitorix commemorant, nunquam eū religionis, & humilitatis cauſa ſacrificare voluiſſe.

Altera opinio contrarium omnino docet: S. Thom. 3. p. 9. q. 82. ar. 10. primam ſententiam ait eſſe irrationabilem: idem videtur dicere 4. d. 13. q. 1. ar. 2. q. 1. ad 2. Plures opinantur delinquere eiſmodi Sacerdotem, ſi citra cauſam legitimā ſe à ſacrificando, aut ſemper, aut toto anno contineat: Ita Ricard. in 4. d. 13. ar. 2. q. 2. Dur. 4. d. 13. q. 2. & Palud. 4. d. 13. q. 2. Maior. d. 12. q. 5. Antonin. p. 3. tit. 13. c. 16. f. 12. Angel. Miſſa n. 44. Silueſt. Miſſa 1. q. 7. Soc. 4. d. 13. q. 1. ar. 10. & Tabien. Communicare. q. 12. Armil. cōmanio. n. 14. Nauar. in c. 25. nu. 88. & ſanè, qui Sacerdos creatur, conſecraturq; ad rem diuinam faciendam, & nunquā ſacrificiū facit, & offert, videtur diuini muneris, & officij contemptor, ſi abſq; vllō impedimento, & cauſa iuſta, & legitima id prætermittat, cū eo ſuperſedeat, quod præſtare alioqui deberet. Et Paulus 2. Cor. 6. *Horiamur*, inquit, *ne in vacuum gratiam Dei recipiamus*; Petrus quoque 1. Pet. 4. *Vniſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes*; & Greg. homil. 9. in Euangelia, *Dum creſcunt, ait, dona, rationes etiā creſcunt donorū*: Matth. 25. & Luc. 19. Seruus ille, qui talentū abſcondit, in tenebras mittitur extiores, & alter, qui minā reſpoſuit in ſudario, illa ipſa, cum acri etiam reprehentione ſpoliatur. Deinde, otioſa eſt facultas, & potestas, quæ nunquam operatur. *Postremo malè audiunt Sacerdotes, qui nunquam ſacrificant: quare ſecundo Machabæo. quarto, reprehenduntur quidam Sacerdotes, quod iam non circa altaris officia dediti erant contempto templo, & ſacrificijs neglectis.* Et in cap. Si quotieſcunque. De conſecratione, Diſtinctione ſecunda, ex Ambroſio dicitur. *Si quotieſcunque ſanguis Chriſti effunditur, in remiſſionem peccatorum effunditur, deſeo meritò ſemper accipere, ut peccata mihi ſemper dimittantur: qui ſemper pecco, ſemper deſeo accipere medicinam, & ex Hilario in capite. Si non ſunt. De conſecratione Diſtinctione ſecunda. Si non ſunt tanta peccata, ut excommunicetur qui, non ſe debet à medicina corporis, & ſanguinis Domini ſeparare.* Hæc illi Patres.

Mihi ſanè vera, & certa videtur hæc opinio, præſertim ſi de eo Sacerdote loquamur, qui ſemper à ſacrificio abſque vlla iuſta, & debita cauſa ceſſat: de hoc enim auctores primæ opinionis loquuntur, quorum argumeta parui ſunt ponderis, & momenti.

Si quæras, An lethaliter peccet huiſmodi Sacerdos? Ricardus, Paludanus, Maior. Nauarr. & multi alij generatim aiunt eum peccare, Durandus dicit, grauiter peccare. Angelus, Silueſter, Sotus, & alij ſentiunt eum lethaliter peccare. Armilla verò, *nolo*, inquit, *præcipitare ſententiam.* Ego licet probabile putem huiſmodi Sacerdotē leuiter, non grauiter peccare, ſed multo pro-

habilius existimo, eum grauius peccare, nec absoluerem eum, qui statueret nunquam per totum anni cursum, Missæ sacrificium facere. Nec excusarem eum, qui nunquam per annum sacrificat ob impedimentum, quod ex ipsius voluntate existit, ac pendet. Nec item eum, qui ideo nunquam per annum sacrificat, quia frequenter peccare solet: peccatum enim est voluntarium, & proinde id cedere, & cuitare debet, vt dignè Missæ sacrificium facere, & offerre queat. Nec etiam eum, qui cum commodè ab excommunicatione absoluit, vel ab irregularitate, qua tenetur siue impeditur, liberari possit, id non curat, siue nullam in eo diligentiam ponit.

QUÆRES itidem, quoties per annum talis Sacerdos sacrificare debeat? Sanctus Thomas, Siluester, Antoninus, & Angelus loci citatis, generatim asserunt eum debere in diebus festis præcipuis, ijs præsertim, quibus laici solent sacram communionem accipere: sed non explicant quanam sint dies illi festi præcipui. Paludanus numerat quinque; Natalem Domini, Paschæ, Pentecosten, & diem B. Virginii in cælum assumptæ, & diem Sanctis omnibus Sacrum. Sotus solum commemorat Natalem Domini, Paschæ, & Pentecosten. Maior ijs, quos Paludanus recenset, adiungit alium diem, eum nempe, quò anni uersaria Corporis Domini celebras recolitur. Quidam addunt etiam diem Beatissimæ Virginii, & Sanctis Apostolis sacros. In cap. Dolentes. De celebratione Missarum, videtur Concilium grauius eos reprehendere, qui vix quater singulis annis Missæ sacrificium offerebant. Synodus Trident. Sessio 22. cap. 1. ex Lucæ verbis 22. hoc facite, colligit, Christum Dominum præcepisse Sacerdotibus, vt offerant. Et sess. 23. cap. 14. de reformat. ait, Curet Episcopus, vt presbyteri saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus, Missas celebrent. Ego non condemnarem eum, vt lethalis peccati reum, qui ter ad annum sacrificat, siue continuato, siue interrupto tempore, si id sit, sine scandalo, & contemptu.

Secundò Queritur, quoties in anno Sacerdos, qui est curæ animarum præfectus, iure debeat sacrificare? Communis est sententia, eum per se, vel per alterum facere sacrificium oportere in omnibus diebus, quibus populus sibi commissus rem diuinam audire debet. Rogabis an cæteris etiam diebus iure, & præcepto compellatur ad operandum sacris? Sotus censet eum ad id adstringi pro ratione decimarum, aut beneficii, quod possidet, & pro ratione plebis piæ, & religiosè rem diuinam frequentantis. Satis probabiliter meo iudicio loquitur. In Ecclesijs, quæ Cathedrales dicuntur, vel Collegiatae, vel Conuentuales, curare debet Episcopus, aut Collegij, Conuentusue Præfectus, vt quotidie duo Missarum sacrificia fiant, vnum pro Mortuis, alterum pro viuus diei festo, aut profesto conueniens. Nam in c. V. sum. De consecratione distinct. prima statuitur, vt quotidie in Missis pro mortuis preces fundantur: & in cap. Iteratur de consec. d. 2. Simpliciter decernitur, vt quotidie immoletur, & in cap. Creatura de celebratione Missarum, præcipit Pontifex, vt pro vniuersarijs mortuorum, & pro festo, vel Feria, secundum temporum congruentiam, Missarum

solemnia Conventionaliter celebrentur, & id docent passim Doctores in eam creatura de celebratione Missarum. Addit Sotus, etiam in Ecclesijs, quæ parochiales vocantur, iussu operauit Episcopi, quotidie esse immolandum, si populus sit numerosus, & frequens. In Synodo Trident. Sessio 23. cap. de reformat. legitur, curet Episcopus, vt presbyteri saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.

Tertio Queritur, An liceat Sacerdotibus quotidie sacrificium facere? Hoc ideo in dubium vocatur, quia in c. V. sum. De consecratione distinct. 1. ex Concilio Cabilonenfi dicitur: Sic nulla dies existit, quæ non pro viuentibus, & pro quibuslibet necessitatibus Dominum Ecclesia precetur, ita nulla dies excipi debet, in qua pro animabus fidelium preces Domino, in Missarum solemnibus non fundantur. Et in cap. Iteratur, De consecratione distinctio secunda, ex Paschasio refertur: Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel fuerit passus in carne. Ex altera parte in c. Sabbato, de consecratione, distinctio tertia, Ex Innocentio asseritur: Traditio Ecclesie habet, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari. Et loquitur de biduo, quod proximè Pascha antecedit, videlicet, de die Parasceues, & Sabbato Sæcto.

Ricardus Paludanus, & Maior loci supra citati expressim testantur, fas esse Sacerdotibus quotidie facere sacrificium, præterquam in die Parasceues. Sotus docet 4. dist. 13. q. 2. art. 2. lethale peccatum admittere Sacerdotem sacrificantem in die Parasceues: quia generale torius Ecclesie consuetudinem quæ est habenda pro lege, perfringit: Sed in die cœnæ Domini, & in sabbato item sancto licitum, inquit, esse Sacerdotibus priuatim Missæ sacrificium offerre, præsertim superioris concessu. At his omnibus aduersari videtur Innocentius, dicens, Traditionem esse Ecclesie, vt biduo ante Pascha Sacramenta penitus non celebrentur: Et ex altero capite videtur cum Innocentio pugnare mos, & vsus in Ecclesia receptus. Etenim in Sabbato sancto publicum, ac solemne fit vnum Missæ sacrificium. Quomodo igitur hæc inter se coherent? Respondeo in hunc modum: illud vnum solemne sacrificium, quod in singulis Ecclesijs sabbato sancto fit, & offertur, olim fieri solebat appetere iam nocte Paschatis, propterea quod Ecclesiastica officia eo die ferè ad noctem vsque produci solebat; quibus expletis, publicum succedebat Missæ sacrificium. Hoc enim dicitur in libello, qui vocatur, ordo Romanus, in Rubrica de ordine in nocte, & in die sabbati sancti. Et idem legitur apud Alcuinum in libello de offic. diuinis, cap. de sabbato sancto, & apud Amalar. lib. 4. de Eccles. offic. cap. 4. Raban. de Institutione Clericorum lib. 2. cap. 38. Rupert. lib. 2. in Exod. cap. 21. & colligitur ex cap. quod à patribus distinct. 75. Et idcirco dicitur in Missa, Deus, qui hæc sacrificium uiderem: quare verum est, quod ait Innocentius, in illo die sacrificia non fieri: Procedente verò tempore introductus est mos, quo publicum sacrificium hora sexta, aut paulò ante meridiam celebratur. Deinde consuetudine videtur esse receptum vbiq; ne præter illud vnicum solemne sacrificium, quod diximus, priuatim aliud fiat. Sed quia hoc Canones, & iura non prohibent.

bent; ideo Ricardus, Paludanus, Maior, & alij generatim docent quotidie fas esse Sacerdotibus sacrificare, præterquam in die Parasceus; quod negari non potest, tum quia in sabbato sancto singulæ Ecclesiæ prædictum Missæ sacrificium celebrant: tum quia iure cautum non est, ne priuatim eo die sacrificetur. siquidem, vt dixi, illud sacrificium ad sacram Paschatis noctem spectat, quamuis illud consuetudo ad meridiem traxerit.

Quarto Queritur, An sabbato sancto liceat cuique Sacerdoti priuatim Missæ sacrificium facere? Nauarr. in Manual. capite vigesimo quinto, num. 88. & Francolinus tractatu de horis Canonicis, capite trigesimo, numero secundo, & nono, negant fas esse Sacerdoti, eo die priuatim sacrificium offerre. Quia vsu receptum non est, nisi vt vnum tantum sacrificium eo die fiat in singulis Ecclesijs publicum, & solemne. Item, quia nullus est ad Missam priuatam introitus, cum tamen in perigilio Pentecostes, hoc est, in Sabbato, quod Pentecosten proximè præcedit, sit peculiaris ad Missam priuatam introitus. Sotus quarto distinct. 13. questio, secunda, artic. 2. scripsit, eo die ius esse Sacerdotibus priuatim immolandi: quia sicut vsu introductum est, vt fiat sacrificium publicum, & solemne, sic etiam tuta cōscientia Sacerdos potest priuatim sacrificare. Hanc sententiam sequuntur viri, & pij, & docti hoc tempore. Alijs tamen opinio Soti, non ita generatim probatur, sed ea conditione, & lege, vt Sacerdos priuatim immolet superioris concessu, & auctoritate. Quod temperamentum ipse quoque Sotus adhibuit. Mihi tamen hæc Soti sententia non placet: est enim consuetudo moribus vtentium comprobata, ne eo die Sacerdotes priuatim sacrificent. Et cap. Sabbato de consecrat. distinct. 3. habetur traditionem esse Ecclesiæ, vt biduo Sacramenta penitus non celebrantur. Sed consuetudo introduxit, vt in singulis Ecclesijs vnum tantum Missæ sacrificium publicum, & solemne fiat, ergo priuatim sacrificia fieri non debent: nam seruandum ius est ex ea parte, qua non est abrogatum. Insuper, non est, cur vnus Sacerdos non consentiat cum alijs qui à sacrificando cessant; non est cur consuetudinem receptam non seruet: non est, cur alios offendar.

SI QVAERAS, an saltem si iusta sub sit causa, liberū sit Sacerdoti priuatim immolare. Respondeo, si iusta causa sub sit, videlicet, quia multi sunt, qui commodè eo die sacrificio publico, & solemni interesse non possunt, potest superior facultatem cōcedere, vt vnus Sacerdos priuatim sacrificet in aliquo Sacello secreto: secus fas non est Sacerdoti priuata auctoritate id facere. Si ROGES, quid sit dicendum, quando in Sabbatū Sanctum incidit dies festus, & facer Annuntiationis B. Virginis, vt sæpe contingit: & populus commodè non potest, vni tantum publico & solemni sacrificio interesse, cum sit numerosus, & ex altera parte rem diuinam in die festo audire debet. Respondeo, etiam eo die fas non esse priuatim immolare, sine Superioris consensu, cuius est videre, an expediat id concedere. Cum ait Sotus, licitum esse cuique eo die priuatim sacrificium offerre, id locum non haber, vbi est consuetu-

do recepta, ne quis priuatim sacrificet, quod certe, vt dixi, videtur esse vsu, & moribus vbiq; introductum: præsertim cum immolandum non sit eo die ante sacrificium publicum, ac solemne, aut ex toto absolutum, & perfectum; aut magna ex parte iam factum: nam ante illud, adhuc Ecclesia in Iustu, & mœnore versatur.

Quinto Queritur, An fas sit cui libet Sacerdoti priuatim Missæ sacrificiū facere Feria quinta, quæ dicitur in cœna Domini. Sotus, & Nauarrus locis citatis ingenuè testantur, eo die sacro Cœnæ Dominicæ, negandum non esse, quin liceat Sacerdotibus priuatim sacrificare: nihil enim de hoc Canones, & Iura constituerunt: nisi quod alicubi est vsu receptum, ne Sacerdotes priuatim rem Diuinam faciant, præsertim in Monachorum, ac Religiosorum Collegijs atque conuentibus, eo quod soleat omnes à superiore eo die Sacram Communionem accipere, exemplo Apostolorum, quibus suum corpus proprijs manibus Dominus impertit. Idem quoque sentit Angles in Floribus de Eucharist. sacram. quest. 8. de valore Missæ. difficultate 4. conclusione tertia, idem etiam censent multi viri huius ætatis, tum pietate, tum doctrina clari. Francolin. loco citato, contendit non esse licitum Sacerdotibus id facere, quia vsu, & consuetudine receptum est, vt in singulis Ecclesijs vnum tantum publicum, & solemne sacrificium fiat, in quo omnes presbyteri, Diaconi, & Clerici Communionem Sacram accipiunt: cuius consuetudinis meminerunt Ordo Romanus in capite de Cœna Domini, & Alcuinus in lib. de Diuin. Offic. capite de Cœna Domini. Certe vbi ea est consuetudo recepta, seruari debet, nec permittendum, vt Sacerdotes priuatim immolent. oportet enim consuetudines moribus vtentium comprobatas obseruare, nec est, cur dicamus eas per errorem, vel ignorantiam esse introductas, aut piè tantum, non in modum legis esse seruandas.

Octaudo Queritur, liceatne Sacerdoti amplius quàm semel in eodem die sacrificare? Respondeo; in cap. sufficit de consecrat. distinct. prima, ex Alexandro refert Gratianum, hæc verba. Sufficit Sacerdoti vnam Missam in die celebrare: quia Christus semel passus est. Non modica res est vnam Missam facere: & valde felix est, qui vnam dignè celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit. Qui verò pro pecunijs, vel adulationibus secularium vna die plures facere Missas præsumunt, non existimo euadere damnationem. Sic ibi. Item, in capite Consulisti, de celebrat. Missæ. ita legimus. Excepto die Natiuitatis Dominicæ, & nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die vnam Missam solummodo celebrare. Idè habetur, in cap. referent. de celebrat. Missarum. VValfridus in lib. de reb. Ecclesiast. cap. 21. scribit: Fidelium relatione virorum in nostram vsque peruenit noitiam, Leonè Papam, sicut ipse fatebatur, vna die septies, vel nouies Missarum solemnias sapius celebrasse: Bonifacium verò Archiepiscopum, & martyrem semel tantum per diem Missas fecisse. Hæc ille. Durandus in Ration. Diuin. Offic. lib. 4. c. 1. Legimus, inquit, Leonem Papam septies, & nouies aliquando in eadem die sacrificasse.

Excipiunt tamen auctores, Palud. in 4. distinct. 12. quest. 1. artic. 4. Antonin. 3. parte tit. 13. capite 6. §. 4. Durand. in Rationali, Diuin. Offic. libro 4. cap. 1.

Turrecrem. in cap. sufficit, de consecrat. dist. 1. Siluest. in verbo Missa. 1. quest. septima. Sot. in 4. dist. 13. quest. 2. artic. 2. Nauarr. in Man. cap. 25. num. 87. septem, vel octo tempora, in quibus amplius, quam semel licet Sacerdotibus immolare, videlicet Natalem Domini, quo die Telesphori decreto, ter Missæ sacrificium fit, cap. Nocte. De consecrat. dist. 1. Deinde ad sepeliendum mortuum, qui post sacrificium expletum repente defertur in templum, in quo mortuus, sine Missæ sacrificio de more minimè sepelitur. Item, cum opus est ægroto sacrum viaticum porrigere, quia Eucharistia consecrata non extat. Deinde, ad peregrinos excipiendos, quos rem diuinam audire oportet, cùm in diebus festis aduenerint, & ad nuptias solemniter in templo sacrandas, qui ritus sine Missæ sacrificio non fit. Addunt etiam, Siluester, & Angelus ex Abbate in cap. consuluisti. de celeb. Missæ. quando insignis, & illustris vir aliquis ad ædem sacram accedit, qualis est Episcopus, Rex, vel alius Princeps, quem quotidie rem diuinam audire decet. Sed certè hoc nullo canone, aut iure probatur. Postremò cum duabus Ecclesijs parochialibus, quæ vicinæ, & pauperes sunt, ob paucitatem Sacerdotum vnus tantum Presbyter præficatur, qui Vicarium habere non potest, & opus est in vtraque, vt Missæ sacrificium fiat, vt colligitur ex cap. qui plures. 21. c. prima. cap. vnio. 10. questio. 3. cap. dudum de elect. Sed vt Sotus annotauit, hæc olim erant vsu recepta, cum pauci, ac rari essent Sacerdotes: modo verò in desuetudinem abiit ob multitudinè, & copiam Sacerdotum. Primum tamen, & vltimum adhuc vsu retinètur. Et vbi pauci Presbyteri adessent, possent etiam cætera seruari, præsertim Episcopi consilio. Sed est animaduertendum, in prædictis casibus non licere Sacerdoti, bis in eodem die sacrificium Missæ facere, nisi post primum ieiunus sit: imò si in primo vinum perfusionis acceperit, & biberit, secundum sacrificium facere iure nõ potest, c. ex parte, de celebrat. Missarum.

Quæres, An vbi nunc rari sunt Sacerdotes, liceat Presbytero bis in eodem die sacrificare, vt in Anglia, vbi vix Sacerdotes Catholicos reperias. Respondeo, cum Nauarro licere. Nam in cap. consuluisti. De Celebratione Missarum, excipitur Necessitas, sed hæc merito iudicatur raritas Sacerdotum, & Glossa ibidem ait, necessitatem, esse vtilitatem non solum sacrificium facientis, sed etiam personarum rem diuinam audiètiarum. Abbas item ibi docet, necessitatem boni viri arbitrio iudicandam: & quando aliquid absolute, & simpliciter, & non certò, ac definitè Canones, vel leges, & iura constituunt, definitio arbitrio boni viri relinquatur, l. 1. ff. de iur. delib. c. capite. De causis. de offic. indi. delega. Deinde si quæras, an licitum sit alicui in eodem die Eucharistiam sæpius, quam semel sumere? Respondeo, nulli vnquam licere amplius quam semel in eodem die sacram Communionem accipere. Palud. & Siluest. & alij in locis supra citatis. Quoniam contra, aut saltem præter consuetudinem Ecclesiæ generalem faceret, qui bis eodem die etiam in Natali Dominico sacrum Domini corpus susciperet.

Septimò Quæritur, An Sacerdos, qui ratione

Cappellanæ, vel Ecclesiastici beneficij ad quod est electus, quotidie sacrificare debet, id non faciendo, peccet? Vno ore omnes fateantur, vt Abbas in capite significatum de præben. Angel. Missa. questione 45. Siluest. Missa. 1. quest. 7. versic. 5. & Imol. in capite significatum de præben. Alijque testantur, huiusmodi institutionem Cappellanæ siue Beneficij intelligi, seruata Sacerdotis honestate, & debita deuotione, vt datur expressè c. significatum, de præben. hoc est, salua conscientia, & honore ipsius Sacerdotis, & saluo cultu, & ueneratione, quæ ipsi Sacramento debetur. Is enim si fuerit legitime impeditus, aut commode, diligenter, & religiosè rem diuinam facere nequeat, iure non cogitur quotidie sacrificium offerre. At verò si commode quotidie sceleris operari queat, & absque iusta, & legitima causa non operetur, grauitèr peccat, tum quia pacta, & conuentia non seruat, tum quia mortuos defraudat, & debito Missæ fructu, & suffragio priuat. **Quæres**, an eadem ratio sit, quando Cappellanæ institutio sic habet: Sacerdos ad Cappellaniam electus, quotidie, vel per seipsum, vel per alterum rem diuinam faciat. Respondeo, nequaquam: nam quod hæcenus diximus, tantummodo locum habet, quado ratione Cappellanæ instituitur Sacerdos quotidie per seipsum sacrificare compellitur: instam enim excusationem habet, si legitime impediatur, nec per alterum tunc Sacerdotem sacrificare compellitur. Quando verò talis est beneficij institutio, vt per seipsum, vel per alterum quotidie debeat rem diuinam facere, tunc si legitime impediatur, debet alterum suo loco substituere, qui sacris operetur. **Quæres**, ex quibus verbis colligi possit, institutionem Cappellanæ talem esse, vt Sacerdos quotidie Missæ sacrificium facere debeat? Respondeo, id colligi quando verbis perspicuis exprimitur, aut quando ex adiunctis, antecedentibus, aut consequentibus aperte significatur. V. G. si Cappellanæ fundator dixerit: Volo, vt quotidie res diuina fiat in certo templo, oratorio, Sacello, vel altari, Sacerdos huic Cappellanæ præfectus quotidie sacrificare non cogitur: sed si nolit, aut non possit, debet alteri subrogare, qui id faciat, eiusque vicem expleat: nam prædictis verbis electus est locus ad sacrificium, non ipsa persona Sacerdotis: voluit enim institutor vt locus à se designatus quotidie frequentaretur, & coleretur. Si verò dixerit, volo, vt Presbyter ad hanc Cappellaniam electus sacris operetur quotidie, tunc persona Sacerdotis, non locus eligitur.

Octauò Quæritur, An Cappellanus institutus ad sacrum faciendum in certo Templo, Oratorio, Sacello, vel altari quibusdã diebus, satisfaciatur fundatori, si alibi diuinam rem faciat? Respondeo, ex communi sententia nequaquam satisfaciatur, ob causam quia electus est locus, quæ Cappellanæ fundator voluit frequentari, religiosè honorari, & coli, & proinde menti eius, & voluntati satisfactum non est. Nauar. de orat. c. 5. num. 2. c. 12. ex Baldo, & alijs. Silu. Missa. 1. q. 10. ad finem.

Quæres, An si in designato loco ob impedimentum sacrificari non possit, debeat Sacerdos eo die alibi sacrificare? Respondeo, debere, quia vero similiter credimus talè fuisse fundatoris vo-

Junctam,

Iuratam, ac mentem, vt si locus impediretur, alibi pro se, vel suis sacrificium offeratur: nam sic plus ipsi, vel suis prodest, si simpliciter sacrificetur, quam si in totum sacrificium omittatur, ob loci designati impedimenta. **ROGABIS**, num si alibi Cappellanus rem diuinam faciat, cum in loco designato id commodè facere possit, aliquid sit fundatori restituendum? **Respondent** quidam, nihil planè, quoniam sacrificare nõ desit, ac proinde eum nullo fructu sacrificij priuauit: peccauit tamen alibi sacrificium faciendo. Quia tamè accidere potest, vt mortuis subsidij aliquid subtraxerit, id alijs precibus compensare debet, vt alij opinantur, meo iudicio non malè: nam eo ipso, quod certo die in designato, & constituto loco rem diuinam non fecit, aliqui eum locum deseruerunt alio se conferentes, qui si eo conuenerent, ibi preces pro mortuis funderent, & Missæ sacrificium offerrent. **SI QVAERAS**, an lethaliter peccet, qui in loco certo designato Missæ sacrificium non facit, & id omittit, vel in alio loco id facit sine iusta, & legitima causa. **Nauiar. in Manua. cap. 25. num. 134.** ait lethaliter peccare, quia pactum, & promissum, in re graui, non seruat.

Non nõ quæritur, An Cappellani, qui certis diebus sacrificare ratione sui muneris debent, nisi id præstiterint, iure mulctentur? solent aditui iussu Episcopi, Abbatis, alteriusue Præfæcti in tabella, vbi sunt Cappellani descripti, qui certis Hebdomadæ diebus rem diuinam facere debent, punctis quibusdam notare, quinam suo muneri, & officio desint, vt poena aliqua mulctentur; & ideo quæritur, quod id iure fiat, quoniam vt diximus, non cogitur Cappellanus sacrificare quotidie. **Respondet** id meritò fieri ad deuittandas quorundam Sacerdotum fraudes, qui fordida quadam lucri cupiditate alio se conferunt ad sacrum faciendum, ob pinguiorem elemosynam, cuius rei gratia, conducuntur interdum. Quæ duo incommoda, & impedimèta sacrificandi, si absint, Cappellani certe poena affici seu mulctari minimè debent, cum iusta, & debita causa à sacrificando desistunt, quoniam vbi culpa non est, poena non debetur.

Decimò quæritur, An laudabilius faciat, qui piè ac religiose, vt par est, sacrificat quotidie, quàm qui à sacrificando abstinet se, pia etiam quadam in sacrosanctam Eucharistiam religione, & reuerentia retardatus: tractat hanc quæstionem **Gab. super Canon. Missæ lect. 87. dub. 5.** Ratio quæstionis est, quia aliquando quis sibi à sacrificio temperat eo in alium diem dilato, quò deinde religiosus, feruentius, & dignius multo sacrificet; **Alter** verò quotidie, aut saltem frequenter immolat, ne in ipso charitatis seruator tepescat paulatim, & deficiat. Quæstio igitur est vter eorum laudabilius faciat: vt exemplo rem explicem: **Zachæus** gaudens Dominum excepit in domo suarum Centurio Domini maiestatem reueritus dixit: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, ambo Salutorem honorarunt, & coluerunt, sed non eodem modo: hic Domini magnitudinem, & potentiam, & suam paruitatem agnoscebat; ille Domini clementiam, ac bonitatem, & suam in illum charitatem considerabat. **Respondet**, per se quidem absolue, & simpliciter laudabilius facere,

qui frequentius sacrificat, quoniam sacrificijs viui, & mortui iuantur, Angeli, & reliqui cælites exhilarantur, Ecclesiæ res promouetur, diuinus cultus augetur, plenior, & vberior gratiæ fructus suscipitur. **Sanctus Augustinus de verbis Domini sermo. 28.** **Sanctus Ambrosius, libro de Sacramentis quarto, capite sexto,** qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Panis iste quotidianus est: accipe quotidie, vt quotidie tibi profit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. **Callius Episcopus Narnensis** quotidie, teste **Gregorio homilia decima quarta in Euangelia, & libro quarto dialogor. capit. 56.** Missæ sacrificium faciebat: & per visionem est illi diuinitus dictum: Age, quod agis, operare, quod operaris. **Bonifacius** quoque martyr, & **Germanorum Apostolus**, quotidie immolabat, vt refert **Walfridus, libro de rebus Ecclesiasticis, capite 21.**

Adde quod ipse frequentiori sacrificandi vsu digniores efficiuntur; canit enim Ecclesia, & orat Deum, vt cum frequentatione mysterij crescat nostræ salutis effectus, & **Qui non est hodie,** (vt dixit ille) cras mihi aptus erit. **Beda,** quem citat **Gabriel in Canone Missæ. Lessione 87.** ait: Sacerdos non legitime impeditur celebrare omittens, quantum in eo est, priuata Sanctam Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio, & gratia exsistentes in purgatorio refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio, seipsum medicina, & remedio. Nihilominus tamen ex accidenti nonnunquam laudabilius facit, qui abstinet se: nam ad sacrificandum non modica sanè, nec vulgaris animi præparatio requiritur, quam non semper in se experitur quis: Deinde, hoc ipso, quod quis se pietatis, & Religionis studio abstinet vno die, solet alio die religiosus, & ardentius ad sacrificandum accedere.

Cap. XXV.

Quota diei hora sit Missæ sacrificium faciendum.

QVAERTUR à qua, siue in quam diei hora Missarum sacrificia fieri debeant? **Respondet**, publicum quidem, & solenne Missæ sacrificium in diebus festis fieri debere ab hora tertia, per soluto officio Primæ, & Tertie. **ca. Noctæ. de consecrat. dist. 1.** post Missam verò fit officium Sextæ, & Nonæ: In diebus porò quibus ieiunia communia seruatur, & Clerici ordinibus initiantur, olim Missæ sacrificij fieri solebat ad horam Nonam, de consecrat. d. 1. cap. solent & cap. quod à paribus, & cap. Ordinationes dist. 75. in cæteris diebus profestis, ad horam Sextam: in diebus ieiunij quadragesimæ, quod proximè ante Pascha suscipitur, post horam Nonam appetente vespera. Priuata verò sacrificia fieri debent ab initio lucis diurnæ, & non ante eam lucem. Communis verò sententia recepta est, vt fiant ante solis ortum, ineunte auroa, quoniam ipsa aurora, ad diem ciuilem, quem vocant artificialem, pertinet. **S. Thom. par. 3. quæst. 83. ar. 2. Dur. 4. d. 13. q. 2. Palu. 4. d. 13. q. 2. ar. 2. Richar. 4. d. 13. ar. 2. q. 3. Sylu. Missa. 1. q. 6. Sot. 4. d. 13. q. 2. ar. 2.** **SI QVAERAS**, an lethaliter peccet, qui ante diem sacrificium facit. Communis est opinio, vt ait **Syluester loco citato, & Nauar. in Man. ca. 25. nu. 85. le-**

thraliter peccare, si sacrificando, lucem diurnam notabiliter præuenerit sine iusta, & legitima causa.

Secundò quæritur, An post meridiem ad Nonam horam, quis iure sacrificare possit? Communis est omnium sententia, id facere, iure, aut consuetudine esse prohibitum, eo quod incruentum sacrificium est cõmemoratio illius cruenti, quod est oblatum in Cruce, at Christus, vt ex Evangelica historia cõstat, ferè ad horam Nonam in Cruce spiritum emisit, & ad horam Sextam, est in Cruce sublatus. Deinde post horam Sextam, non nisi Romanorum Pontificum priuilegijs immolari solet; at si iure post meridiem ante horam Nonam, sacrificari liceret, vanum, & inane esse Pontificis priuilegium: non enim priuilegia dantur ad faciendum id, quod facere communi iure possumus. Contra communem omnium sententiam asserit Nauarrus in *Manua. c. 25. nu. 85. & tract. de oratio. d. 21. num. 31. & Miscell. de orat. 76.* sacrificium priuatum fieri iure posse toto eo tempore, quod inter horam Sextam, & Nonam intercedit, dummodo id fiat sine vlla aliorum offensione, & ex causa aliqua rationabili, nimirum ne in die festo, qui iter faciunt, Missa priuentur, vel si Missa differatur, ob funus principis, & fatetur se id sæpius fecisse in itinere, cum post horam Sextam, ad ea loca peruenisset, in quibus sacrificare commode poterat. Confirmat suam sententiam tripliciter; Primum, quia nullus extat in Iure Canon, quo prohibeamur post meridiem ad horam Nonam, sacris operari. Deinde, quia in diebus ieiuniorum olim sacrificia fiebant ad horam Nonam. Demum, quia priuilegia Pontificia, (inquit ille) solita concedi ad sacrificandum post meridiem, solum ad deponendos animi scrupulos valent. Hanc sententiam multis argumentis, & verbis confutat Francolin. in *tract. de temporib. Horar. Canon. ca. 41.* eo quod sit noua, & singularis hac in parte Nauarri sententia, & quia pugnet cum communi omnium opinione, & cum generali totius Ecclesie consuetudine: nec, quod profert, suum exemplum, in hoc imitandum esse videatur. Et quia Priuilegia Pontificia non rellè Nauarrus interpretetur: nõ enim ad sedandos, aut remouendos tantum scrupulos conceduntur, sed etiam, vt iuri communi, aut consuetudini generali, quæ vim legis habet, Pontificia auctoritate derogetur. Nam frustra precibus impetratur, quod iure communi conceditur *l. i. c. de iheros. lib. 10.* & priuilegium principis semper ita interpretari debemus, vt aliquid contineat vltra commune ius. *cap. si Papa de priuileg.* Est igitur, inquit Francolinus, opinio communis tenenda, nec ab ea recedendum: quam Richardus, Paludanus, Durandus, Maior, Sorus, in *4. d. 13.* Antoninus in *3. par. sit. 13. cap. 6. s. 4.* Angelus, Syluester, Rosella, Pitana, Tabienfis in *verbo Missa.* Hostiensis, Antonius, Abbas, Ioann. Andreas, Cardinalis, & ceteri omnes in *c. 1. de celebrat. Missarum,* complexati sunt. Sed hæc omnia fatetur Nauarrus: quia solum ipse contendit in primis, iure communi, non prohiberi Sacerdotes post meridiem sacrificare, sed solum generali consuetudine recepta. Deinde contra consuetudinem: non peccare eum, qui post meridiem quidem, sed vsque ad horam Nonam sacrificat, ex rationabili aliqua causa, & remoto scandalo: vt si quis iter faciens ad oppidum

post meridiem ante horam Nonam perueniret, & Missæ sacrificium faceret: aut si Concio sacra, vel publica populi processio duraret vsque ad meridiem. Certè non admodum improbabilis est opinio Nauarri, sed mihi non placet.

Tertiò quæritur, Quo modo Pontificum priuilegium interpretari debeamus, quando conceditur absolute, & simpliciter, vt post meridiem sacrificare Sacerdoti liceat? Respondeo, nequam esse intelligendum totum tempus post meridiem: nec enim voluntas creditur esse Pontificis, vt ad vesperam, vel post horam Nonam sacrificemus. Meo igitur iudicio solum facultas conceditur, vt post vnam horam a meridie tunc sacrificari possit; tum quia hanc ipsam horam solent aliquando Pontifices exprimere; tum etiam quia Principis priuilegium, quod communi iuri, & consuetudini derogat, ita interpretari debemus, vt quàm minimum illi derogat: ergo huiusmodi priuilegium de quo loquimur in præsentia, ita conuenit interpretari. Priuilegium summi Pontificis concessum esse, ait Nicolaus Aurifcus in *oposulo de ceremonijs Missæ cap. 11. ad finem,* vt Venetis in templo S. Marci prima Missa in die Natali Domini celebratur prima hora illius noctis. Et eodem teste Senis in templo fratrum ordinis Seruorum, singulis annis, hora, qua vespertinæ preces decantari solent, Missa in sabbato Sancto, concessu Romani Pontificis, celebratur. Sed hæc priuilegia abregata sunt auctoritate Pij Quinti, in *constit. one, quæ habetur quinto loco inter constitutiones eius: ita Francol. de tempor. horar. canon. capite 29. numero 11. & 14.*

Quintò quæritur, Quo sensu accipiendum sit Pontificis priuilegium, quo conceditur, vt ante diem sacrificare possimus? Respondeo, illud nos ita interpretari debere, vt nõ trahamus ad totum illud tempus, quod inter mediam noctem, & solis ortum interiectum est: non enim talis videtur esse Pontificis voluntas: sed solum, vt hora vna ante auroram sacrificium fieri tuta conscientia possit: Sic Francolin. *tract. de tempor. horar. Canon. ca. 39. num. 21.* id enim sæpe solent Pontifices exprimere: aliquando verò alijs verbis id ipsum expriment, videlicet, vt duabus horis ante solis ortum liceat sacrificare: nam perinde est, ac si diceretur, vna hora ante auroram, & altera ab hac ipsa aurora vsque ad solis ortum. Nam vt docent Sor. *4. d. 13. q. 2. art. 2.* Gabr. in *Can. Missæ l. 14.* & Rosella in *verbo Missa. nu. 2.* aurora continet vnam horam, & quintam partem horæ ante solis ortum. Fratres Medicantes, ac ceteri Religiosi, & Monachi fere omnes priuilegium Pontificum impetrarunt, vt Sacerdotes Superiorum consensu, sacrificare tunc queant vna hora ante auroram, & vna item post meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causa. Sixtus Quartus concessit facultatè, vt Fratres Minor. Obseruan. causa necessitatis possint ante, & post horam statutam ab Ecclesia, Missas celebrare. Innocentius Octauus, cõcessit Fratribus instituti Augustiniani, vt expleto Matutinali officio, etiam ante auroram possint Missarum sacrificia facere. Leo Decimus, concessit Fratribus Minor. Obseruant. vt consensu Superiorum, quos uõ conscientijs remittit, quomodo Fratres debeant vti hoc priuilegio,

possint

possint celebrare statim post Matutinum officium, & post Meridiem, præsertim diebus, quando est de audienda Missa præceptum, quando Fratres debent iter facere, siue quando ex itinere veniunt, & non possunt ante meridiem ad locum pervenire, ubi possint commodè celebrare, vel audire Missam. Hæc omnia habentur in Compendio privilegiorum, quæ sunt Mendicantibus concessa. Eugenius Quartus concessit Cisterciensibus Congregationis in Hispania, vt causa legitima subsistente, possint Missam in Monasterijs, & extra Monasteria dum iter faciunt ante diem, & vsque ad horam Nonam celebrare, vt habetur in Compendio privilegiorum, Congregation. regularium obseruan. Sancti Bernardi. Cisterciens. ordinis in Hispania. verbo Missæ. Sed Nauar. in *Manua. ca. 25. n. 85. ait. Videtur privilegia Sixti III. Innocentij VIII. & Leonis X. de dicenda Missa ante horam legitimam sublatam per decretum Conc. Tridentini. quod secl. 22. ca. de obseruan. & enit. in celebrat. Missæ, prohibet ne Sacerdotes alijs horis quam debitis Missas celebrent. Idè dicit F. Manuel. in *Explicat. Bullæ Crucis. §. 9. num. 31. & §. 13. numer. S. Pius V. in Constitutione. n. 8. in Bullario, quæ incipit. Quo primum tempore. Sic ait. Nene præules, administratores, Canonici, Cappellani, & alij quocunque nomine nuncupati presbyteri seculares, aut regulares cuiusvis ordinis, ad Missam aliter quam à nobis statutum est, celebrandam teneantur. Declaratio Cardinalium secl. 22. super Decretum Concilij Triden. de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ sic habet. Ante diem, & horis indebitis celebrare nulli licet, etiam vigore privilegiorum à Sede Apostolica ante Concilium Tridentinum concessorum, placuit confirmari facultatem Florentie concessam S. Francis, & S. Mariae Magdalene, celebrandi Missam ante lucem, sed ita, vt Missa non incipiat nisi duobus horis ante solis ortum. Sic ibi. In compendio privilegiorum Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium, & nō Mendicantium Collectore Hieronymo à Sorbo Prædicatore ordinis Cappuccinorum in verbo Missæ, post recitata privilegia circa sacrificium Missæ faciendum in loco, tempore, & modo non debito ponitur Annotatio, quæ sic habet. Omnia supradicta privilegia dicendi Missam quoad modum, locum, et tempus sunt iam per Concilium Tridentinum sublata, & præcipue illa Sixti III. Innocentij VIII. & Leonis X. quoad tempus, sed celebrari debet secundum Rubricas Missalis noui iuxta constitutionem n. 8. Pij V. in Bullario. Ibidem, tamè subiungit Collector, hæc verba Greg. XIII. anno II. concessit Congregationi S. Iustine, vt dum in itinere fuerint constituti, possint Missam celebrare ante auroram, & post mediam noctem, vt refertur in Compendio privilegiorum S. Hieron. fol. 50. Postea subiicit idem Collector, Pius V. concessit Societati Iesu, vt refertur in Compendio privilegiorum eiusdem Societatis in verbo. Missæ. §. 3. eandem facultatem pleniorè, vt possint celebrare per horam ante auroram, & infra horam post meridiem causa itineris, vel alterius legitimi impedimenti. Sic ille.**

SI QVAERAS, an si Episcopus, dum iter facit, velit rem diuinam audire, vel facere, tuta conscientia queat audire, vel facere ante auroram, vel post meridiem. Respondet Glossa in cap. vlt. de priuil. in c. tuò id posse facere. Sic etiam Sylu. verb. Missæ. q. 6. decet enim Episcopum quotidie rem diuinam audire: nec est, cur iter eis impediatur, aut retardetur.

Sextò quæritur, Quota pars temporis sit notabilis, vel ante auroram, vel post meridiem; ita, vt si eam partem anteponat, vel postponat Sacerdos sine causa iusta, dum Missæ sacrificium facit, peccet lethaliter. Nam si paulò ante auroram, vel paulò post meridiem sacrificet, lethale peccatū non admittit, vt annotauit Sor. 4. diff. 14. q. 2. art. 2. eo, quod in moribus, parum pro nihilo habetur. Meo iudicio tertia pars horæ habetur, vt notabilis pars: & ideo si quis scienter & sine iusta, & debita causa, tertia parte horæ ante auroram, vel post meridiem Missæ sacrificium faceret, lethaliter peccaret.

Septimò quæritur, num ante auroram tuta conscientia Sacerdos sacrificet ob viaticum ægroto iam iam morituro dandum, ubi Eucharistia consecrata non extat? Respondeo cum Palu. 4. dist. 13. quæst. 2. artic. ult. Antonino. 3. part. tit. 13. cap. 6. §. 4. Syluest. Missæ. 1. quæst. 6. & Nauar. in *Manua. ca. 25. numer. 85. id esse licitum facere, Superioris tamen consensu, ubi præfens fuerit; alioqui eo absente id simpliciter licet facere. Id verò etiam est intelligendum, ne multo tempore ante auroram sacrificium fiat.*

Octauò quæritur, An post meridiem sacram communionem accipere iure, vel consuetudine prohibeamur? Respondeo, cum Angelo, in verbo. Eucharistia. 3. mune. 35. & Syluest. Eucharistia. 3. quæst. 15. versicul. 5. non esse: neque enim est idem iuris de percipienda Eucharistia, quod de sacrificio faciendo: vt in Missa, quæ ante meridiem coepta, post meridiem continuatur, laicis fas est Eucharistiam sumere, & in illa ritidem, quam Sacerdos privilegio sibi concessa, vna hora à meridie inchoauit: ergo qualibet diei hora potest, qui rem diuinam non facit, Eucharistiam suscipere si ieiunus sit: quia nullo Canone, aut iure sumere prohibetur.

Cap. XXVI.

Quibus in locis sit Missæ sacrificium faciendum.

PRIMO quæritur, An iure prohibeatur Sacerdos sacrificium facere in alijs locis, præterquam in locis Episcopi auctoritate consecratis? Respondeo, esse prohibitum iure, vt constat ex cap. Sicut. De consec. dist. 1. ubi ex Felice Papa habetur. Sicut non alijs, quam sacraui Deo Sacerdotes, debent Missas celebrare: sic nō in alijs quam in Domino consecratis locis, id est, in tabernaculis diuinis precibus à Pontificibus delibuit Missas cantare ad sacrificia offerenda, licet, nisi summa coegerit necessitas. Idem habetur in ca. Missarum ex Concilio Triburiensi, & cap. Hic ergo, ex Clemente, & cap. Presbyter ex Sylu. De consec. dist. 1.

Secundò quæritur, An Episcopi concessu Missæ sacrificium fieri possit in domibus priuatis, aut in locis, videlicet Oratorijs, sacellis, quæ nō sunt ab Episcopo consecrata, nec ad Diuinum cultum dedicata, dummodo tamen fiat sacrificium in altari sacro, quod dicitur portatile, sicut habetur in cap. concedimus de consec. dist. 1. Respondeo, in hunc modum; Nil seuiente cōtra Ecclesiam persecutione, sacrificia fiebant in cypis, speluncis, & in ædibus priuatis, quoniam his in locis, vt persecutionū, Sacerdotes immolare cogebantur:

postea iure communi constitutum est, nõ esse sacrificandũ, nisi in locis auctoritate Episcopi consecratis dedicatis: præterquam tempore necessitatis. Et nihilominus ante Concilium Tridentinum, concessu Episcopi poterat Sacerdos sacrificare in locis, quæ sacrata non essent. Sic Io. And. Ancharanus, Francus, Geminianus in *ca. vlt. de privilegiis*, in 6.

Tertio queritur, An Episcopi permisso absque ullo peccato, sic etiam in priuatis domibus, quæ sacræ non sint, Sacerdos immolare queat? Respondeo, ante Concilium Tridentinum id Sacerdoti consensu Episcopi licuisse facere super altari sacro portatili: nam in *c. Clericos. De consecr. dist. 1.* illud ex Sexta Synodo adfertur: *Clericos, qui ministrant in Oratorijs, que intra domos sunt, cum consensu Episcopi loci illius, hoc sacra. eue. precipimus. Et in c. Missarum. De consecr. dist. 1.* ex Conc. Triburienfi habetur: *Missarum solennia non vbiq; sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda: Et in cap. Hic ergo De conc. dist. 1. In alijs locis sacrificari, & Missas celebrari non licet, nisi in ijs, in quibus Episcopus iusserit, aut que fuerint ab Episcopo consecrata.* Nunc verò post Conc. Trident. vt docet Nauar. in *Manua. c. 25. n. 81.* Solus Romanus Pontifex id cõcedere potest. Nam *seff. 23. in Decreto De obseruandis, & euandis in celebratione Missæ, cautũ est, ne Episcopi patiantur in priuatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Diuinum cultum tantum dedicata Oratoria ab eisdem ordinarijs designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium à Secularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi. Sic Concilium. Et Cardinales, ad Declarationem Concilij Tridentini deputati, declararunt, huiusmodi facultatem Episcopos dare non posse.*

Quarto queritur, An Synodus Tridentina, in eo quod proxime retulim⁹ Decreto deroget priuilegio Episcoporum, quod habetur in *ca. Quoniam De Priuilegijs in Sexto*, videlicet vt Episcopi, cum diuersis à suis Ecclesijs absint, nec semper commodè accedere queunt ad sacras ædes, ad rē diuinam audiendam, vel faciendam, possint altare portatile deferre, & in eo celebrare per se, vel per alios, vbiq; voluerint, vel celebrare, vel audire diuinam? Congregatio Cardinaliũ anno 1586. declarauit, non esse derogatum: quia Concilij decretũ editum fuit ad extirpandos abusus; at in Episcopis nequaquam est abusus, si quotidie rem diuinam faciant, vel audiant extra sacras ædes, cum legitima causa absint à suis Ecclesijs, nec ad templa citra incommodum accedunt.

Quinto queritur, An Episcopi prædicto priuilegio uti possint, quando ob incommodam valeditudinem domo exire nequeunt? Eadem Cardinalium Congregatio primum insinuat posse: quia ratio, & causa iuneris, & incommoda valetudo æquiparari videntur: quamuis altero die eadem Congregatio oppositum definisse videatur. Certè ante Concilium Tridentinum id Episcopis licebat, præsertim ex *cap. Concedimus, & cap. Missarum. De consecr. dist. 1.*

Sexto queritur, An post Concilium Tridentinum, Missæ sacrificium absque peccato fiat extra loca consecrata, tempore necessitatis, Episcopi consensu, vbi commodè id peti, & impetrari potest, aut etiam sine eo, vbi commodè peti non po-

test? Respondeo, cum Soto in *4. dist. 13. quest. 2. artic. 3. & Durant. libr. de ritib. Eccles. Cathol. 2. cap. 6. numer. 8. & Nauarro in Manua. cap. 25. numer. 82.* posse: quia Concilium Tridentinum solum voluit abusus è medio tollere: at non est abusus, si ob necessitatem in locis, quæ consecrata non sunt, immoletur: siquidem in *cap. sicut. De consecr. dist. 1. n. 1.* id permittitur, & in *cap. Concedimus De consecr. dist. 1. n. 1.* ex Concilio Triburienfi eadem facultas conceditur. Quo fit, vt liceat in bello rem diuinam facere sub tentorijs, aut subdio, in altari tamē portatili consecrato, quod in *cap. concedimus citato* dicitur tabula altaris consecrata, & alicubi vocatur ara sacra, vt Christiani milites rem diuinam audiant, vel Eucharistiam sumant, & se ad pugnam seruētius, & ardentius præparent. Item, quando celebrantur solennes, & publicæ populis supplicationes, & itur ad aliqua parua Oratoria siue sacella, quæ totum populum non capiunt, tanta conscientia, sit sacrificium ante fores. Sic Sotus, & Nauarrus. Quando item Sacerdotes aliqui solent primas hostias immolare, & adeo magna populū multitudinem confluat ad sacram ædem, vt eam capere non possint, tunc fit sacrificium præforibus Sacræ ædis. Ita Nauarrus. Sic etiam cum Christianorum exercitus, aut classis ad multum temporis spaciū rem diuinam nõ audiuit, quia non potuit, & ad locum appulit, vbi subdio posset commodè rem sacram audire, at in mari, aut in flumine fas nunquam est sacrificium Missæ facere ob periculum effusionis sanguinis, vt est cõmunis omnium opinio.

Septimo queritur, Vtrum per Concilium Tridentinum, sint sublata Priuilegia Fratrum Franciscanorum, & Dominicanorum, quibus indulgebatur ante Concilium, vt sacrificare possent in quolibet loco priuato, mundo tamen, & religiose parato, etiam sine alia qualibet facultate, absque detrimento tamen parochialis iuris, & in altari portatili consecrato, *cap. In his, de Priuilegijs. Respondet Nauar. in Manua. cap. 25. numer. 82. esse sublata: nisi denuo concedantur, aut confirmentur, idem dicit Collector Priuilegiorum Mendicantium, & non Mendicantium, in verbo Missæ, in annotatione, & Durant. libr. 2. de ritib. Eccles. Cathol. cap. 6. numer. 8.*

Octaudo queritur, An lethale peccatum admittat Sacerdos, qui Sacris operatur in priuatis locis sine iusta, & legitima causa? Sotus *4. dist. 13. quest. 2. art. 3. negat, nisi adfit, vel contemptio legis, vel aliorum offensio. Sed probabilior est Nauarri sententia in Manua. cap. 25. numer. 81. eum lethaliter peccare, cui quidem idem facit grauis pœna, in iure constituta contra Sacerdotem aliter facientem: nam in *ca. Nullus de consecr. dist. 1.* legitur: *Nullus presbyter Missas celebrare presumat nisi in consecratis ab Episcopo locis, qui sui pariceps de cetero voluerit esse Sacerdotij. Et in concil. 6. generali. can. 31. videtur constitui, vt qui extra Ecclesiam ministrat, vel baptizat ab officio amoueat, Et habetur in *c. Cler. de cas. d. 1.***

Nondò queritur, An Generales Regulariũ Præfecti tuta conscientia queant Oratoria, Sacella, vel ædes ad Diuinum cultum, & Missæ sacrificiũ deputare? Respondeo, auctoritate Pontificia Generalibus, & Provincialibus ordinum Regulariũ Præpositis concedi, vt propria templa erigant,

ædificent,

edificent, & ad Diuinas preces, & sacrificia dedicent, & Oratoria in proprijs ipsorum Ordinum conuentibus, & collegijs designent, & destinent. Nonnulli verò Religiosi quamuis possint, nolunt tamen hoc Priuilegio simpliciter vti, nisi vbi, & quando Episcopus presens non est, & adeo longè abest, vt commodè conueniri non possit, & vbi Episcopi difficiles se præbent ad id concedendum.

Decimò queritur, à quonam consecrari Ecclesia debeat? Respondeo, à solo Episcopo, c. Nemo Ecclesiam De consecr. dist. 1. & debet esse proprius Episcopus, aut saltem consecrari Ecclesia sine eius consensu non debet. ca. Tua fraternitas, de consecr. Ecclesie, vel altaris. Romani Pontificis auctoritate potest committi simplici Sacerdoti Ecclesie consecratio. Innocentius, Glossa, & Doctores in c. Aqua, de consecr. Ecclesie. Ad id tamen non sufficit sola ab Episcopo demandata facultas: Episcopus enim nequit simplici Presbytero mandare, aut committere, quæ sunt Pontificij ordinis propria, nec si committat, & mandat, rata, & firma consecratio est. Nec enim Ecclesia censetur consecrata, si mandato Episcopi tam simplex Sacerdos consecrauerit, licet ea, quæ ad iurisdictionem spectant, Episcopus delegare possit, cap. Aqua, de consecr. Ecclesie. Et ibi Glossa, & Doct.

Vndecimò queritur, Quo tempore fieri iure debeat Ecclesie consecratio? Respondeo, quolibet die, siue festo, siue profesto, c. Tua fraternitas, de consecr. Ecclesie. **QVAERES**, vnde nam consistere possit Ecclesiam aliquam esse consecratam? Respondeo ex literis scriptis, quæ in dotationis instrumento, vel ipsius Ecclesie libris habentur. Deinde ex signis consecrationis, quæ in ipsius Ecclesie columnis, aut parietibus imprimuntur. Item, si id ita esse testes affirmant. c. Solemnitates, de consecr. dist. 1. Insuper si consecratio testimonio vnus probetur, qui testetur eius rei veritatem, eo quòd viderit, vel certè audiuerit ita se rem habere: in his enim, & similibus, in quibus nemini damnum inferitur, sufficit vnus testis ad faciendam fidem, vt docet Innocentius, cuius sententia communi consensu, teste Abbate in Rubrica de consecr. est comprobata.

Duodecimò queritur, quando nam Ecclesia aliqua sit denuò consecranda, aut quia violata, & polluta fuerit, aut quia consecrata non sit? Respondeo, consecrandam esse, quando nescitur, ambiguntur sit consecrata, nec ne, nec appareat vllum consecrationis indicium siue argumentum, ca. Solemnitates de consecr. dist. 1. Deinde, cum Ecclesie parietes, aut ex toto, aut maiori ex parte igni exulti sint in c. Ecclesie, dist. 68. & c. Ecclesie, de consecr. dist. 1. Item, si casu simul corruerint, vel alio modo, simul, non paulatim crusta amiserint: nam teste Abbate in c. Proposui de consecr. Ecclesie. Consecrationis forma in crusta, & superficie imprimitur. Collapso autem recto, parietibus tamè integris, non est opus consecrationem repetere. c. Ligneis, de consecr. Ecclesie.

At in dubium vertitur, an si parietes paulatim decidant, aut crusta spolientur nudentur uè, ita tamen, vt paulatim quoque reficiantur, Ecclesia consecrationis formam amittat. Dux sunt opiniones; quarum prima negat, & fuit Hostiensis, Paludani, Antonii, summæ Confessorum, & Pitaræ quorum sententia: subscripti Syluester in

verbo consecratio. 2. quest. 4. vbi citat prædictos auctores. Nititur ea ratione hæc opinio, quòd eadem Ecclesia permanet, quemadmodum est eadem nauis, cum paulatim reficitur, eadem ciuitas, idem populus, idem fluius, alij, & alij hominibus & aquis sibi continenter succedentibus, vt constat ex l. Quod in rerum, ff. De legibus, & l. Proponebatur, ff. De Iudic. Secunda verò opinio affirmat, quæ Innocentio in Rubrica de consecr. Ecclesie, & Abbate in cap. proposui de consecr. Ecclesie, placuit, quam ita confirmant, quia in rebus spiritualibus potius rei veritas, quam iuris fictio consideratur. Cæterum probabilior est prima sententia: nam Ecclesia, quæ paulatim restauratur, ac reficitur, sicut etiam nauis, quæ reparatur, non solum iuris fictio, sed reuera eadem censetur, eo quòd partes sibi succedunt.

Decimotertiò queritur, Quot modis Ecclesia polluta, aut violata ipso iure habeatur ita, vt reconciliari debeat non denuò consecrari? Hanc questionem tractant Doctores in cap. proposui de consecr. Ecclesie. Summis in verbo consecr. Nau. in Man. cap. 27. m. 256. Respondeo, multis modis. Primo, quando in ea Ecclesia, sanguis humanus per iniuriam effunditur, c. Ecclesie, dist. 68. & c. Ecclesie, de consecr. dist. 1. c. Proposui de consecr. Ecclesie. Dicimus (effunditur) quoniam non sufficit paucarum guttarum sanguinis emissio. Effusionis enim nomine copia significatur, vt ait Abbas in cap. proposui de consecr. Ecclesie. quod si sanguis minimè fundatur, licet ossa, vel membra conterantur, aut frangantur, non idcirco polluitur Ecclesia. Per iniuriam: quoniam si aliter, vt potè naturali modo, aut casu aliquo, vel ad instam hominis defensionem sanguis fundatur, non ideo violatur Ecclesia, vt est omnium communis opinio, in c. Proposui de consecr. Ecclesie, & ca. Si Ecclesiam, de consecr. Ecclesie in Sexto. Et refert Syluester in verbo consecr. 2. q. 5. Nec item si ioco, aut ludo aliqui honesto, & iusto, vt ait Nauarrus, nec etiam si quis infans, aut quis per amentiam furorem uè, alienum sanguinem fundat, vt aiunt iidem Doctores.

QVAERES, An si effusionis sanguinis causa præbeatur, aut si quis absque vlla effusione sanguinis in Ecclesia occidatur, eo ipso illa violatur? Respondeo, violari: nam sufficit si quis in Ecclesia vulneretur, etiam si extra Ecclesiam exeat, antequam sanguis fundatur, vt Glossa, & alij annotarunt. Non tamen satis est, vt Ecclesia violatur, si quis extra illam vulnus accipiat, & in templum ingressus ibi sanguinem fundat, vt ait Glossa communi consensu approbata. Non etiam sufficit, si Iudex in Ecclesia mortis sententiam in aliquem ferat, dummodo nulla in ea sit sanguinis effusio. Satis item est ad Ecclesiam polluentem, si quis in illa suffocetur, aut quolibet alio modo interficiatur iniquè, siue iniuste, citra vllam sanguinis effusionem, vt docet Glossa in ca. Proposui, etiam si martyr pro fide, & religione Christi vulneretur, aut trucidetur, iuxta Glossam, & communem omnium sententiam, quam refert Syluester consecr. 2. q. 5. **QVAERES**, an satis sit ad Ecclesie violationem, si quis ex æde sacra aliquem extra Ecclesiam constitutum vulneret, aut perimat telo aliquo immisso? Respondeo, minimè, cum tamen contrarium sufficiat, si quis extra Ecclesiam

positus iaculum mittat in aliquem, qui in templo commoratur, ut eum necet, aut fauciet.

ROGABIS, An si quis vulneratur per iniuriam, aut occiditur in recto templi, aut in cauerna, & spelunca sub templo sita, eo ipso Ecclesia polluitur? *Respondeo*, minimè, vt Glossa docet, licet, si quis mentis compos, ira, vel odio seipsum in Ecclesia interficiat, vel vulneret, Ecclesia polluitur. *Sylu. consecrat. 2. q. 5. ex Geminiano.*

Secundo modo polluitur Ecclesia per voluntariam emissionem humani seminis in ipsa, & factis est, si semen emittitur etiam per conjugalem congressum, quamuis quidam è veteribus, quos sequitur Rosella, oppositum senserint, vt notant Glossa, & alij in c. *Ecclesijs. de consec. dist. 1. & Syluest. consec. 2. q. 5. in tertio casu.* Necesse tamen est, vt sit voluntaria seminis effusio: fallitur enim Angelus, vt ait Syluester, ratus Ecclesiam pollui, si semen per fomnum fundatur.

Tertio, quando in Ecclesia aliquis excommunicatus sepelitur, *cap. Consulisti. de consecratio. Eccles.* vbi statuitur, cæmeteria, in quibus excommunicati sepeliuntur, esse polluta. Ergo polluitur quoque Ecclesia, in qua excommunicatus sepelitur: & cadaver eius erui debet, si discerni queat, & extra Ecclesiam proijci, *capit. Sacris, de sepelitu.*

Quarto modo, quando in Ecclesia aliquis Paganus sepelitur, *cap. Ecclesiam, de consecrat. dist. 1. Si queras*, an tunc in his casibus aulso corpore parietes abradi debeant, & tigna? Ioannes Andreas concedit, in *cap. Proposui. de consecrat. Eccles.* & probat ex *cap. Ecclesiam 2. de consec. dist. 1.* vbi id aperte constituitur. Ait tamen Abbas in eodem cap. id fieri non oportere, quando Ecclesia est consecrata: nam consecrationis forma priuaretur, si parietes abraderentur. Quando verò non est consecrata, fieri debet, & ita intelligitur *cap. Ecclesiam, præcitatam.*

Quinto, quando Ecclesia per Episcopum excommunicatum publicè consecratur. Hic modus in iure expressim nõ cõtinetur: at in *ca. Consulisti. de consec. Eccl.* Ioan. Andree eum inter ceteros recenlet. Sic etiam Abbas, & alij Ioannem Andree secuti, **QUAERES**, an quando Ecclesia polluitur, Cæmeterium quoque polluat? *Respondeo*, pollui, si sit cum Ecclesia coniunctum: polluto tamen Cæmeterio, non violatur Ecclesia, etiam illi coniuncta: nec vno Cæmeterio polluto, polluitur alterum etiam illi coniunctum per medium parietem, *c. si Ecclesiam, de consec. Ecclesia in Sexto.* Porro Ecclesia polluta occultè, non indiget reconciliatione, quandiu latet. Abbas, & Nauar. & alij *locis citatis*: at quando incipit publica, & manifesta esse violatio, opus est, vt Ecclesia reconcilietur.

Decimoquarto queritur, An Ecclesia etiam ea, quæ nõ est consecrata, violetur, & polluat? *Respondeo*, si sit sacra, siue vt passim vocari solet benedicta, hoc est, sola Episcopi auctoritate consecratis Ecclesie precibus, & per solam sacre aque aspersionem ad rē diuinam destinata, etiam pollui eisdem modis, quibus Ecclesia consecrata, vt est communis opinio.

Decimoquinto queritur, Quo pacto Ecclesia, quæ est consecrata, aut per episcopum ad res di-

uinas deputata, quando polluitur, aut violatur, reconciliari iure debeatur? *Respondeo*, Ecclesiam consecratam reconciliandam esse per Episcopum proprium, vel alienum eo contentiente, & per aquam ab Episcopo sacratam: nec potest eiusmodi Ecclesiam reconciliare simplex Presbyter, nisi id Romanus Pontifex committat. Ecclesia verò, quæ non est consecrata, dicata tamen solitis precibus ad diuinos vsus per Episcopum, quæ vulgò dicitur benedicta, reconciliari potest per simplicem Sacerdotem. Deinde, consecratam Ecclesiam reconciliat Episcopus per aquam cum vino, & cinere sacratam, vt dicitur in *cap. Proposui. de consecrat. Eccles.* at in ecclesia, quæ non est consecrata, quæ benedicta vocatur, reconciliatur solius aque sacrate aspersione. Porro Ecclesia consecratur manu Episcopi; at ea, quæ benedicta dicitur, solis Episcopi precibus, & aque sacre aspersione ad diuinos vsus destinatur.

Decimosexto queritur, Quam poenam incurrat Sacerdos, qui sacrificat in Ecclesia polluta, & nondum reconciliata? *Sensit Hostiensis in c. vii. de consecrat. Eccl.* eum irregularitatem contrahere. Sed oppositum est in iure decretum: nam in c. *Is qui, de sentent. excomm. in sexto*, habetur: *Is qui in Ecclesia, quæ est sanguinis, aut seminis effusione polluta, sciens celebrare presumpsit, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen cum id non sit expressum in iure, laqueum non incurrit.* Hæc ibi. At verò, vt Angelus, & Syluest. in verbis, *susceptio. q. 6. vers. 23. ex Archidia. Ioann. Andree, & Geminiano*, docet, tali Sacerdoti interdicitur ingressus in Ecclesiam, vt colligi videtur ex *ca. Episcoporum de prim. in sexto.* Et locum habet in Sacerdote, siue laicali, siue regulari cuiuslibet ordinis. An verò solum comprehendat eos, qui sunt ab Ordinarij potestate exempti, dubia quæstio est. Nam Syluester, & alij aiunt, comprehendere, cum exemptos, tum etiam alios: alij dicunt comprehendere solum exemptos, de qua re dicam alibi. Quare, si cum sit ab ingressu in Ecclesiam prohibitus, sacrificium fecerit in ecclesia, irregularitatem contrahit. Nam in *ca. Is cui, de sent. excomm. in sexto*, aperte dicitur: *Is cui est Ecclesie interdictum ingressus, irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi auium in ea se ingerat suo officio fungens, vt prim.* Sic ibi.

Decimoseptimo queritur, Quia poena afficiatur Sacerdos, qui sacrificat in Ecclesia interdicto subiecta? *Respondeo* in c. *Is qui, de sent. excomm. in sexto*, sic haberi. *Is qui sciens in loco celebrat supposito interdicto, irregularitatem incurrit.*

Cap. XXVII.

De Altari, in quo Sacrosanctum Missæ sacrificium iure fieri debet.

Queritur primo, in quonam altari sit sacrificandum? *Respondeo*, in altari auctoritate Episcopi consecrato, *c. Altaria, de consecrat. d. 1.* Altare autem est duplex. Vnum, quod Portatile vocatur, eo quod a loco in locum mutari, & transferri queat. In iure, viaticum appellatur, in *cap. vlt. de prim. in c. Et in c. Concedimus, de consecrat. dist. 1.* vocatur tabula altaris consecrata: alicubi dicitur, ara sacra. Alterum stabile, quod a loco non mouetur: hoc autem altare aliquando est consecra-

tum, &

tum, & tunc in eo sine altari portatili consecrato superposito iure, sacrificium fit. Aliquando verò non est consecratum, in quo sine portatili altari Missæ sacrificium offerri non potest. Portatile altare semper solet esse consecratum.

Secundò queritur, Ex qua materia constare debeat Altare consecratum? Respondeo, oportere esse lapideum iure communi, nõ terreum, aut ligneum, *cap. Altare, de consecrat. dist. 1.* Si verò consecratum non sit, confici potest ex terra, & lignis. Quo fit, vt portatile, altare sit necessariò lapideum; quia, vt dixi, est consecratum: nihilominus tamen potest esse inclusum, vel superpositum in tabula lignea, vel in aliqua alia materia.

Tertiò queritur, à quonam altare debeat consecrari? Respondeo, ab Episcopo, *ca. Nullus Presbyter 2. c. Concedimus, de consecr. dist. 1.*

Quartò queritur, An Episcopus possit simplici Presbytero committere, & delegare consecrationem altaris? Respondeo, Romani Pontificis auctoritate id posse committi, quoniam altarium consecratio solum est iure Canonico instituta. At verò Episcopus id non potest, cum in ius commune Canonikum auctoritatem non habeat. Ius autem commune altarium consecrationem Episcopi reservat, *cap. Quamuis, dist. 68.* & quæ sunt Ordinis, nequit Episcopus simplici Presbytero delegare, licet possit, quæ sunt iurisdictionis, *in c. Aqua, de consecr. Ecclesie.*

Quintò queritur, An simplex Sacerdos consuetudine, vel præscriptione, ius, & potestatem possit acquirere altaria consecrandi? Vna est omnium sententia non posse; quia, quæ ad Ordinem proprium Episcoporum spectant, ea nec Episcopus committere Presbytero, nec Presbyter vllò præscriptionis iure sibi vnquã acquirere potest: quæ verò ad iurisdictionem, vel dignitatem pertinent, & potest Episcopus delegare Presbytero, & Presbyter potest consuetudine, vel præscriptione obtinere. Sic Ioan. Andreas, Abbas, Cardinalis, Angelus, Rosella, Syluester, Tabienfis, Armilla *in c. 1. de consecr. Ecclesie, in verbo, Altare.*

Dubiæ tamen questionis est, an ius altaria consecrandi conveniat Episcopis ratione Ordinis, an verò ratione iurisdictionis, aut dignitatis? E quidem convenire illis ratione Ordinis, insinuat in *cap. Quamuis, dist. 68.* vbi ex Leone I. habetur, Episcoporum esse, Presbyteros, Diaconos, & Virgines consecrare, altare construere, sacrare, & vngere. Et animadvertendum est ad Ordinem Episcoporum quædam iure diuino pertinere; cuiusmodi sunt Sacramentum Confirmationis conferre, & ad Ordines promouere. Alia verò iure Canonico, vt Virgines, tẽpla, altaria, vasa, vestes consecrare: quorũ nullũ, potest simplex sibi Sacerdos vlla consuetudine, vel præscriptione acquirere.

Obijcies, ea, quæ spectant ad Episcoporum Ordinem, iure tantum Canonico, si a simplici Sacerdote fiant, malè quidem fieri, sed valere. Respondeo, quæ conveniunt alicui non ratione quidem sui muneris, & officij, sed alterius commissione, & mandato, nequaquam valere, quandocunque absq; legitima commissione, & mandato fiunt.

QVÆRES, quidnam sit, Altaris consecrationem a simplici Sacerdote factam nõ valere? Respondeo, hoc solum, quod huiusmodi altare tale

habetur, & tale censetur, ac si consecratum non esset, quia illud, vt profanum altare habet Ecclesia; ac proinde, qui in eo sacrificiũ faceret, in pœnas iuris incurreret cõstitutis in eos, qui Missam celebrant in altari, quod consecratum non est. Idem iuris est de consecratione templi, calicis, & vestium, quod est de Altaris consecratione: Et enim Episcopi auctoritate consecrari debent, nec potest ea Presbyter cõsecrare Episcopi mandato.

Sextò queritur, Quisnam possit altare cõstruere, destruere item, ac demoliri? Respondeo, in Ecclesijs, quæ consecratæ non sunt, quilibet Presbyter potest erigere, & destruere altare stabile, quod consecratum non est: in Ecclesijs verò consecratis nullum altare potest erigere, & cõstruere sine Episcopi consensu. *In cap. Nullus Presbyter, de consecr. dist. 1.* ita statuitur: *Nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci fuerit sanctificatum, vel permissum; vt sit discretio inter sacrum, & non sacrum, & in cap. Quamuis, dist. 68.* habetur: *Presbyteris nec erigere altare, nec Ecclesias consecrare licitum est.* Vbi Glossa communi consensu approbata sic annotat: *In Ecclesia consecrata non est licitum Presbyteris erigere altaria: nam ante consecrationem licebat.* Eodem modo absque consensu Episcopi in Ecclesia consecrata nullus potest altaria destruere, *cap. Ecclesie, & cap. Placuit, de consecr. d. 1.* In Ecclesia, quæ consecrata non est, quilibet suo iure potest altaria, quæ sacra non sunt, demoliri. Glossa *In cap. Quamuis, dist. 68.*

Septimò queritur, Quantæ magnitudinis debeat esse altare portatile? Respondeo, tantæ, vt possit capere pedem calicis, & hostiam consecratam. Ita communis opinio. Quod sic debet intelligi, vt ista commodè capiat maiori ex parte; nimirum, vt hostia, & calix maiori ex parte sint in altari; deinde, vt ista duo secundum maiore partem in altari sint tempore, quo fit eorum consecratio; ita vt Sacerdos verè dicatur conficere in altari consecrationem hostiæ. Hæc Syluester *in verbo, Altare, nu. 1. ex Paludano.* Hinc est, vt altare portatile, quamuis paruum sit, capax esse possit consecrationis vtriusque, cum sit: quia si modicus sit pes calicis, & hostia quoque modica, commodè vtrunque capiet altare alioqui paruum. Vt enim quidam alij meritò annotarunt, ad consecrationem corporis, & sanguinis Domini, dum fit; requiritur altare consecratum, & corporale iridem consecratum: sed ad Eucharistiã iam consecratam excipiendam, retinendam, & asservandam, non requiritur, vt cõsecratum sit vasculum, quod excipit ipsam, ac retinet: in pixide enim; quæ non est consecrata Eucharistia reponi, & asservuari potest, ac solet.

Octavò queritur, An ad substantiam consecrationis altaris pertineat, ne ea fiat sine reliquijs Sanctorum? Duplex est opinio, Vna dicentium præcipere quidem Ecclesiam ne fiat altaris consecratio sine reliquijs Sanctorum; attamen si fieret consecratio, valeret. Sic Hugo, Altensis, & Angelus. Id probant ex *cap. Concedimus, de consecr. dist. 1. c. ex eo,* quod in Codicibus Ecclesiasticis antiquis Missarum ordinem, & formulam continentibus annotatur in hæc verba: *Si Reliquia non fuerint in altari, omittatur illa particula Orationis, quæ dicitur post cõfessionem, scilicet: Oramus te Domine per merita San-*

Teste Sylu. Altare q. 1

Forum tuorum, quorum reliquie hic sunt, &c. Idem videtur sentire Sor. in 4. dist. 13. qu. 2. art. 3. ubi ait, *Canones Ecclesie, quibus precipitur ne altaria sine sacris reliquijs consecrentur nunc non esse seruandos, nisi ubi sacre reliquie haberi possunt.* Altera est opinio, non solum Ecclesie precepto oportere in consecratione altaris reliquias poni, sed etiam ad substantiam eiusdem consecrationis pertinere: ita ut altare sine reliquijs consecratum, pro altari profano, quod consecratum non sit, haberi debeat. Huius fuere sententia, Syluester, Tabienfis, & alij plerique, qui aiunt, hanc communem esse sententiam: quae sane est probabilior, magisque cum ipso iure conueniens. Etenim in cap. *Placuit, de consecrat. dist. 1.* ex Concilio Africano habetur: *Placuit ut altaria, que passim per agros, & per villas tanquam memoria Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, & reliquie Martyris condite probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis praesunt, si fieri potest, euertantur, & in cap. de Fabrica, de consecrat. dist. 1. decernitur, Ecclesiam, si diruta fuerit, instaurandam: & si in eo loco consecrationis solennitas debet iterari, in quo sanctuarium non fuerint; nihil iudicamus officere, cum in ea fuerit Missarum solennitas celebrata. Quod perinde est, ac si diceretur, consecrationem Ecclesie sine reliquijs Sanctorum non fieri; quamuis Ecclesia diruta instaurari sine ipsis queat, eo quod ipsarum loco, sint Missae ante ibidem celebratae. Porro ubi sacre reliquie haberi non possent, altaria consecranda non essent, nisi Romani Pontificis consensu.*

QVAERES, an si in certo aliquo loco Reliquiae Martyris collocatae sint iure sine alijs Reliquijs, possit altare multo altius superpositum constructum? Respondeo, esse distinguendum: aut altare superponitur, ita ut aliqua ex parte coniungatur loco, in quo sunt Reliquiae repositae, & tunc non est necesse alias Reliquias in altaris consecratione reponere: quia eo ipso, quod superpositum altare cum loco Reliquiarum aliqua ex parte cohaeret, vnum cum eo iure censetur: ut si ex loco Reliquiarum columna erigatur, quibus altare superponitur: aut altare nulla ex parte cum loco Reliquiarum coniungitur; & tunc sine alijs Reliquijs consecrari iure non potest, quia est omnino a loco Reliquiarum seiunctum.

Nono quaeritur, An loco Reliquiarum in altari, quod consecratur, licitum sit corpus Dominicum collocare, quando nihil est omnino Reliquiarum? Glossa cum Ioanne in cap. *Placuit, de consecrat. dist. 1.* id iure fieri affirmat, quod ipsum etiam Abbas, & ante eum docuerat Ioannes Andreas in cap. 1. de consecratio. *Eccles.* Hostiensis autem in sum. iii. de consecrat. *Eccles.* testatur se de hac re Innocentium consuluisse, & responsum accepisse, id nequam esse faciendum. Cuius rei Ioannes Andreas hanc reddit rationem: quia corpus, inquit, Christi vnitur tanquam cibus animae, & conseruatur, ut egrotantibus tanquam viaticum detur; ac proinde ad alios vltus adhiberi non debet. Sic etiam Abbas, & post eos Angelus, Syluester, Tabienfis, & ceteri in verbo, *Altare, tradidere.* Incertum est autem, quod de Leone proditum memoriae est, dedisse eum scilicet partem Eucharistiae ad consecrationem altaris: & quamuis id verum esse fateamur, nunc faciendum non est.

Decimo quaeritur, An liceat Presbytero in al-

tari sacrificare, in quo Episcopus eodem die rem diuinam fecerit. Ratio dubitandi est, quia in cap. *In altari, de consecrat. dist. 2.* habetur: *In altari, in quo Episcopus Missas cantauit, Presbyter eodem die aliam celebrare non praesumat.* Vbi Glossa testatur, hoc esse constitutum ob honorem, qui Episcopo debetur, & intelligi eodem die sacrificare non debere Presbyterum absque Episcopi consensu, vel absque graui necessitate, ut si Episcopus Missae sacrificium non perfecerit. Huius quoque sententiae fuere Angelus, Syluester, Tabienfis, & Armilla in verbo, *Altare.* Verum hic canon videtur desuetudine alicubi abrogatus, & forte olim locum habebat, quando Episcopus in proprijs Ecclesijs, & in sua Diocesi, & solenni caeremonia, & religione rem diuinam celebrabat.

Vndecimo quaeritur, An Sacerdos volens in alio loco certo altari sacrificium facere debeat prius inquirere sit ne altare consecratum, corporalia itidem, ac cetera lintreola, vestesque sacrae? Respondeo cum Sor. quod quando haec rei diuinae inferunt de more, nihil est inquirendum; quando item haec a proprio Parocho offeruntur.

Duodecimo quaeritur, Quot modis altare consecratum desinat esse sacrum? Respondeo, distinguendum esse: aut altare est stabile, aut portatile. Si stabile consecrationis formam amittit, si eius mensa, a stipite, vel columnis, quibus innititur, amoueatur, vel ita frangatur, ut ad vsus, ad quos est consecratum, redditum sit ineptum, vel inutile, aut nimium deforme: quod arbitrio Episcopi iudicari debet. Secus erit, si tantum modice frangatur, dummodo facta non sint duae partes, ubi facta est altaris consecratio. Deinde consecrationis forma priuatur, si sepulcri signum, & repositorium reliquiarum in quo reliquiae conduntur, remoueatur, frangatur, minuatur. Si vero portatile sit altare, consecratione spoliatur cum remouetur lapis a ligno, in quo est sepulcri signum, & ubi reliquiae reponuntur, aut cum est in ipso lapide signum, & auellitur ab eo: item si lapis ipse notabiliter frangatur. Non autem consecratione nudatur, quando lapis est in ligno, & sepulcrum in lapide, & amouetur lapis a ligno, ut recte tradidit Syluest. in verbo, *Altare q. 9. contra Panormitanum, & Angelum.*

Decimotercio quaeritur, An eodem die plura altaria eiusdem Ecclesiae iure consecrentur? Respondeo, iure consecrari, quia eodem die fas est plures Episcopos consecrare. cap. *Cum sis, de consecrat. Ecclesiae.*

Decimoquarto quaeritur, An polluta, & violata Ecclesia, altare quoque pro polluto, violatoque haberi debeat? Respondeo, quando cunque violatur Ecclesia, altare videlicet stabile, non portatile, in ea contentum, aut certe positum in loco, qui cum Ecclesia coniungitur, pollui, & violari, & e contrario. Nam si polluitur Ecclesia, violatur ex toto, non ex parte. Item si polluitur altare, quod est in Ecclesia, necesse est, ut Ecclesia ex toto violatur. Syluest. in verbo, *Altare, q. 11. ex Abbate in cap. Proposisti de consecrat. Ecclesiae.*

QVAERES, an idem iuris sit, quando Ecclesia amittit consecrationem? Respondeo, minime, quoniam Ecclesia amittit consecrationem eius parietibus dirutis, vel exustis, altari integro permanente: & e contrario, altare fractum, amplius consecra-

consecratum non est; nec tamen idcirco Ecclesia sua consecratione priuatur. Syluester, & Abbas loci citati.

Caput XXVIII.

De Calice, corporalibus, & ceteris vestibus sacris, quibus utitur Sacerdos, dum Missæ sacrificium facit, & offert.

Quæritur primò, An ad Missæ sacrificium calix consecratus, & patena similiter consecrata requirantur? Respondeo, requiri, & tum Calix, tum patena debent à proprio Episcopo consecrari, cap. V. *de consec. dist. 1.* Patena dicitur Latine patina: patinæ verò erant vasa, in quibus dapæ ad mensam afferebantur: vnde patinæ in Ecclesia, & altari sunt ad corpus Christi recipiendum, continendum, & ministrandum populo: sicut calices sunt vasa ad Christi sanguinem excipiendum. Patena, inquit Isidorus lib. 20. Etymolog. C. 4. *vasis genus à patendo dicitur, quod distans, patenibusque aris fit.* Patenarum meminit Columella lib. 12. c. 43. inde patellæ, de quibus apud Varronem, Festum, & Isidorum. Patenæ faciæ olim in Ecclesia magnæ erant ex auro, & argenteo, ponderis quindecim, & triginta librariû, vt patet in Pontificali ex Damaso; nunc verò sunt parvæ.

Quæritur, An calix, Episcopi mādato, à simplici Presbytero consecrari queat? Respondeo, minimè: quia consecrare vasa, ad Ordinem spectat Episcopi, & proinde consuetudine, vel præscriptione id Presbyteris non potest conuenire. Romanus tamè Pōtifex potest Presbyteris cōmittere, vt vasa, nempe calices, & patenas cōsecrarent.

Secundò quæritur, An Abbates, qui Pontificijs insignibus vtuntur, iure, vel consuetudine calices consecrent? Respondeo cum Glossa in cap. *Abbas, de priuileg. in 6.* id potestatis non habere vlla iuris auctoritate, vel vi consuetudinis, sed flor priuilegio. Sic etiam ibi Francus, & Ancharanus, Geminianus. Syluester tamen, Tabienfis, & Armilla in verb. *Calix, & in verbo, Benedictio, & in verbo, Abbas,* videntur asserere, id eos habere ex iure, vel consuetudine. Sed hi auctores facillè conciliantur, si dicamus eam habere facultatē Abbates priuilegio canonico, hoc est, quod in ipso iure expressum cōtinetur, ita vt rectè iuris priuilegium dicatur. Si quæras, quomodo Calicis, & Patenæ consecratio fieri debeat? Respondeo, tum Calicem, tum Patenam sacrari manū Episcopi per chrismatis vnctionem.

Tertiò quæritur, Ex qua materia debeat Calix, & Patena constare? Respondeo, in cap. *V. de consec. dist. 1.* scriptum esse: *Olim Sacerdotes non aureis, sed ligneis vasculis, & calicibus, & patenis vitreis vsos fuisse; nunc verò non nisi aureis, vel argenteis, & in cap. V. calix, de consec. dist. 1.* statuitur: *Vt calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino iansen ex argento fiat. Si autem tam pauper est (Sacerdos) saltem staneum calicē habeat. De are autē, vel auricalcho calix non fiat, ne ob vini virtutem æruginem faciat, & vomitum pronocet. Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præsumat Missam canere.* Hæc ibi Tertullianus lib. *de pudicitia.* Calices vitreos fuisse, & frangi faciles indicat. Hieronym. verò loquens

de Exuperio in epistol. 4. ad *Rasticum.* Nihil, inquit, illi diuini, qui corpus Domini vitineo castro, & sanguine portabat in vitro. Zepherinus instituit, vt calices id ex ligno, vt antea, sed ex vitro, vel ex auro, vel argento, vel stanno fierent, vt testatur Damasus in Pontificali. Walfrid. *de reb. Eccles. c. 24.* Radulphus, *de canon. obseruan. propos. vi.* Platina in vita eius. Tandem Zepherini cōstitutio antiquata est, & sancitum, vt nec ex vitro fierent propter fragilitatem; nec ex ligno ob raritatem, qua Sacramentum imbibitur; nec ex ære, ob tærum saporem; nec ex auricalcho, quia æruginem facit, & vomitum excitat. Sic ex Concilio Remensi, & Triburien. vt habetur in *c. V. de consec. dist. 1.* cap. *V. calix, supra citati.* Walfrid. testatur in lib. *de reb. Eccles. c. 24.* Bonifacium martyrem dicere solitum: *Olim aurei Sacerdotes ligneis calicibus utebantur; nunc lignei Sacerdotes aureis calicibus.* In vitis Pontificum Syluestri, Damasi, & Anastasij Bibliothecarij frequens mētio est calicū maiorū, minorū, & ministerialium, quos Pontifices, & Imperatores Ecclesie donabant. Ministeriales dicti sunt, quia in his sanguis Domini populo ministrabatur.

Quartò quæritur, Quandonam calix, cōsecrationis formam amittat? Respondeo: Si argenteus calix sit, & post consecrationem in auro, formam consecrationis amittit: quia in superficiem calicis forma consecrationis inducitur. Ita Syluester, Tabienfis, Armilla in verb. *Calix, ex Paludano.*

Quintò quæritur, An calix ex certis quibusdam ictibus qui solent ab aurifice infigi, vt de integro iure inaurari queat, amittat consecrationis formam? Respondeo, minimè: nam est consuetudine receptum, vt huiusmodi ictibus calix afficiatur, cum de nouo auro tegitur aurificis operibus; & tamen iterum consecrari non solet. Sic auctores supra citati.

Sextò quæritur, An calix formam consecrationis retineat, cum aurum, quo est inauratus, amittit? Exemplum appono; sic calix argenteus, & inauratus, & aurum decidat, an eo ipso consecratione spoliatur? Angelus, Syluester, Tabienfis, & Armilla in verbo, *Calix.* respondent: Vel calix aurum paulatim amittit ob vsum quotidianum, quo atteritur, & tunc consecratione non denudatur, quia antequam ex toto aurum decidat, reficitur, & instauratur; nam pars consecrata tanquam dignior trahit ad se partem auri non consecrati de nouo adiectam: Vel aurum ex toto simul decidit, & tunc calix sua cōsecratione priuatur: eo quod antequam pars auri accederet, totum aurum euannit.

Septimò quæritur, An calix amittat consecrationem, cum eius scyphus in totum à pede separatur, iterumque coniungitur? Respondeo, ex vnanimi omnium consensu, tunc amittere: quia nimium scyphus sine pede inferuire amplius non potest, in diuino vsu, ob quem est consecratus.

Sed dubie quæstionis est, An amittat consecrationem calix, quando ita est à principio arte elaboratus, vt scyphus à pede amoueri, & adaptari iterum, & coniungi pro arbitrio nostro facile queat? Respondeo cum Armilla, in verbo, *Calix, nu. 2.* huiusmodi calicem adhuc consecrationem retinere, quia est calix à principio ita factus, vt facilius, & cōmodius separatim ex loco in locū trahi ferri queat. Sic enim plerunq; sūt vestes, aut men-

se funiculis, fibulisque colligatur, & adstricta, quae si deinde sacrentur, non ideo consecrationis fient expertes, si annulis illis, funiculis, fibulisque solutis in partes seponerentur: talis enim partium diuisio mensam, aut vestem non scindit, sed vinculis, quibus est alligata, soluit. Idem planè est de calice iudicandum: aliquando enim cum separatur scyphus à pede, calix ipse verè dicitur scindi, & proinde consecratione priuari, aliquando verò separatur, quia nexu, & vinculo soluitur, quo cum pede cohaeret, & tunc non scinditur verè, & idcirco etiam seruat consecrationem.

Octauò quaeritur, Qualia debeant esse corporalia, & Pallae, quibus Sacerdotem in Missae sacrificio vti oportet? Respondeo, corporale dici panem, in quo sacrum Christi corpus reponitur, dum fit Missae sacrificium: quod quidem corporale iure debet esse ex lino, non serico, purpura, aut intincto panno. *In cap. Consulto, de consecr. dist. 1. ita statutum est. In altaris sacrificio, nemo in serico panno, aut intincto Missam celebrare presumet, sed in lino. Ibidem etiam habetur, huiusmodi corporale debere esse ab Episcopo consecratum. Quaestio est dubia, an corporalia esse possint ex cannabe: ratio dubitandi est, quia cannabis à lino specie distinguitur, ergo cum corporalia ex lino esse debeant, ex cannabe esse non possunt. Respondeo cum Tabien. verbo, Missa, qu. 9. & Armilla verbo, Missa, num. 6. Corporalia esse posse ex cannabe, & id vsu receptum est: nam parum, aut nihil refert, cannabis specie à lino differat, satis est id, quod est in vsu: nam sicut ex lino fiunt chordae, funes, retia, & vestes intimae albae, sic etiam fiunt ex cannabe lineae vestes intimae, & albae. Item haec vestes vsu ipso habentur pro vestibus lineis. SI QVAERAS, an corporalia esse queant ex Gossipio. Respondeo, Plinium testari lib. 19. c. 1. ex Gossipio fieri lina xyliana: quod si ex eo fiunt lineae vestes, hoc sufficit. Dicitur est corporale, quoniam in eo reponitur, & continetur corpus Domini, inde enim nomè accipit, quasi corporis Christi in altari indumentum. Et ideo lineum esse debet, ac mundum, *vi in c. Consulto dicitur*, quia refert Sindonem illam mundam, qua corpus Domini obvolutum sepulturae mandatum est.*

Porro quidam corporali etiam totum calicem tegunt; alij verò tantummodo ipsum corporale super altare, siue portatile, siue stabile extendunt. Sub corporali ponuntur, quae dicuntur Pallae, quae etiam lineae, & munda: & ab Episcopo consecratae esse debent. Palla, olim erat honesta mulieris vestimentum, sicut pallium dicebatur viri indumentum, quod tunicae superponi solebat. Dicitur est Palla, teste Varrone, eo quod sit vestimentum, quod palam, & foris est, ad vestigia vsque demissum. Corporale aliquando dicitur palla, quasi corporis Christi, vt ante iam dixi, in altari indumentum: passim verò dicitur palla altaris, quasi ipsius altaris vestimentum, *cap. Altaris, & cap. Nemo, de consecratione, dist. 1. & cap. Sacras, dist. in c. 24. Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Donatistas queritur, quod pallas altaris eripuerant, & quasi pollutas abluerant. Victor similiter lib. 1. de persecut. VVandal. conqueritur, quod Proculus quidam de pallis per nefas camillas sibi, & foemoralia fecerat: quem tamen breui frustatim sibi lin-*

quam comedentem turpissimè perijisse testatur. His pallis superponitur corporale.

QVAERES, quot debeant esse pallae? Angelus, & quidam alij, in verbo, Corporalia, exigunt tres ob honorem, & cultum Sanctae Trinitatis. Sed ipsemet Angelus, & communis omnium opinio censet sufficere duas praeter corporale. QVAERES etiam, an sufficiat vna sola aliquando? Respondeo cum Syluestro, & Rosella in verbo, Corporalia. Si talis, ac tanta sit, vt complicari possit, sufficere, quoniam perinde est, ac si duae reponerentur: immo quando haec etiam abesset, & necessitas faciendi sacrificij postularet, posset vna sufficere. Radulphus Tungrensis in libello de canon. obseruant. propos. vlt. & Duran. in rationali diuinorum offic. lib. 4. c. 29. ait Romanos, Italos, & Germanos vti solere duobus corporalibus, Gallos verò vno: Et Corporalia videntur intelligere Pallae, quibus corporale superponitur. Postremò quis roget, an aliquando fas sit vti in Missae sacrificio pallis minimè sacras? Respondeo Syluester in verbo, Benedictio, qu. 5. tempore necessitatis sufficere mappas, quas laici suis mensis imponunt, & quibus deinde ipsimet laici vti possint.

Nonò quaeritur, Quales esse iure debeant vestes, quibus in sacrificio Missae faciendò, Sacerdos induitur? Respondeo, huius generis vestes esse numero sex, quibus Latina Ecclesia vti consuevit, scilicet Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolum, & Casulam. Inter omnes conuenit, has vestes debere esse ab Episcopo sacras: quauis Scotus 4. dist. 13. quest. 2. Richard. 4. dist. 13. art. 3. q. 4. doceant cingulum alicubi non sacrum. Attamè communi vsu est receptum, vt sacretur ab Episcopo, vt ait Nauarr. in Manua. cap. 25. num. 84. Haec item vestes, tum consecrationis formam amittunt, cum ita scinduntur, aut rumpuntur, vt a pete amplius non sint ad eos vsus, ad quos sacrantur: alioqui formam consecrationis retinent, etiam si aliqua pars, quae sacra non est, vna cum filo profano non sacro affluatur.

Dubitabis, an Casula, Manipulus, & Stola seruire ab vtraque parte queant, etiam si vnica tantum consecratione ab Episcopo sacrentur? Respondeo cum Palud. 4. dist. 13. q. 2. & Syluest. Benedictio. q. 6. id tutò fieri posse, vt si gemino colore afficiantur ad varios dies festos Ecclesiae colendos: nam loco duarum haec vestes inferunt. Deinde, si Stola, Manipulus, Casula, Cingulum, dum sacrantur ab Episcopo, duplicata fuerint, consecrationis forma non priuantur; tamen si postea diuidantur, vt ex Paludano Syluest. loco citato, docet: nam vtraque pars sacra permanet: Et perinde est, ac si multae simul vestes consecrarentur. SI ROGES, an si ex Manipulo Stola fiat, & ex Stola Manipulus, hic sit denuò consecrandus? Respondeo cum Paludano, & Syluestro locis citatis, minimè, quoniam non differunt earum vestium consecrationes: nam longitudo, & breuitas vestis formam non mutat: si vestis apta sit ad eos diuinos vsus, propter quos sacra facta est. Stola item erat vestis muliebri ad talos vsque demissa; sicut Toga erat vestis virorum.

QVAERES, an vestes illustrum, ac nobilium foeminarum iure pro ijs, quas dixi, Altaris sacrificio vestibus inferuiat? Gloss. in c. Ad nuptiarum, de consecr. d. 1.

negat

negat omnino, eo quod ibi ita statutum sit: *Ad nu-
piat non ornatum divina ministeria non presertimur, ne dum
comprobatur tactus, vel pompa secularis luxurie polluantur,
ad officium sacri mysterij videatur indigna. Quam Glos-
sam sequuntur Archidiaconus, Zabarella, Imola,
Rosella, & Abbas, ut refert Syluest. in verbo, corpora-
ralia. q. 3. qui etiam addit oppositum de more ser-
uari, & male. Angelus tamen, & Syluester in ver-
bo, Corporalia, Glossam, & hanc item opinionem im-
probant, quia consuetudo contrarium indicat.*
Deinde Ecclesia Idolorum templa in sacras ædes
Christianorum conuertit, ergo profanas foemi-
narum vestes potest in sacras mutare: nam sicut
profana templa, Episcopi consecratione religio-
sa, & sacra redduntur, aptaque diuinis vñibus, at-
que ministerijs; ita profanæ etiam vestes ab Epi-
scopo sacrate. Sed cur dicta est Casula? Respon-
deo: quia instar exiguæ casæ totum hominẽ con-
tegit. Olim enim hoc indumentum erat ex toto
confutum, & vñdique clausum, ad talos vsque de-
missum sine manicis: Sacerdos verò ex vtraque
parte sinistra, & dextra ipsum cõplicabat, vt ma-
nus, & brachia extraheret, & extenderet, cum o-
pus esset. Dicitur quoq; Planeta Græcè ab errore:
propterea q̄ olim vestis erat sine manicis omni
ex parte errabunda, & totum hominẽ circumbar.

Decimò quæritur, An nomine Orarij in iure,
stola accipitur? Respondeo, accipi: nam in cap.
*Ministrum, dist. 23. ex Concilio Laodiceo dicitur:
Ministrum non oportet vti Orarijs, nec ostia derelinquere.*
Et in cap. sequenti: Non oportet Lectores, aut Ostia-
rios, aut Psalmistas orarijs vti, & sic legere, aut
psallere: & in Concilio Bracaren. i. can. 27. habetur:
*Vi Diaconi superposito scapula vñtantur Orario. Et in c. Vñum
Orarium, dist. 25. ex Concilio Toletano 4. refertur: Vñum
Orarium oportet Leuitam gestare in sinistro humero, propter
quod orat, hoc est, prædicat. Meminit Ambrosius Ora-
rij in oratione de obitu fratris sui Satiri. Quidam ve-
rò putant Orarium dici lineum vestimentũ, quo
Clerici profanis vestibus superinduntur: sed
cum ijs, quæ ex iure canonico citantur, non conueni-
t. Si QVAERAS vnde sit dictum Orarium. Al-
cuius lib. de diuin. officijs, cap. Quid significent vestimenta.
Raban. lib. 1. de institut. Clericor. cap. 19. & Beda in colle-
ctan. cap. 7. Amala. lib. 2. de Eccles. offic. ca. 20. testantur,
dici ab orando, hoc est, prædicando: Vnde Ora-
rij vsus solum cõceditur ijs Clericis, quibus præ-
dicandi Evangelij munus committitur, vt Sacer-
dotibus, & Diaconis.*

Vndecimò quæritur, Quidnam significetur in
cap. Monacho, dist. 27. quærit. i. quo loco dicitur:
*Monacho Orarium in Monasterio, vel zonas habere non li-
cet. Quidam existimant lectionem esse corrup-
tam, & loco, Orarij, legendum, autum, ita vt sensus
sit: Non licet Monacho in Monasterio, aurũ, hoc
est, pecuniam, aut zonas, hoc est, crumenas, siue
marsupia habere: nam zonas, hoc est, cingulis ves-
tem stringentibus, & lumbos, fas est Monachis
vbique, & semper vti, non tamen zonas, hoc est,
crumenas in Monasterio, quoniam extra Mona-
sterium, dum iter faciunt, licet vti.*

Duodecimò quæritur, An liceat Sacerdoti Eu-
charistiam sumere sine stola ad collum super hu-
meros pendenti, quando Missæ sacrificium non
facit? In Concilio Bracaren. 3. cano. 3. idque habetur
dist. 23. cap. Ecclesiastica, aperte statuitur, vt cū Sacer-

dos ad solennia Missarum accedit, aut per se Deo
sacrificium oblaturus, aut Sacramentum corpo-
ris, & sanguinis Domini sumpturus, nõ aliter ac-
cedat, quam oratio vtroq; humero circumseptus,
sicut tempore suæ ordinationis dignoscitur con-
secratus. Vbi Glossa docet: *Si in ægritudine sumit Sa-
cerdos Eucharistiam, circumdabit stola vtrumq; humerum.*
Vnde quæstionis est dubiæ, an peccet Sacerdos,
siue sanus, siue ægrotus, cū sine stola humeris su-
perposita Eucharistiam sumit? Respondeo cum
Turcremata in c. Ecclesiastica, dist. 23. non peccare:
nam decretum Concilij Bracaren. nis vsu, & con-
suetudine videtur abrogatum, cū Sacerdotes, tum
regulares, tum seculares stola vti desierint.

Decimotertiò quæritur, Quidnam præcipiatur
in ca. Nullus 21. quæst. 4. ex Synodo S. cum dicitur: *Nullus
eorum, qui conuenerunt in Clero, vestimentum inde-
cens habeat, siue in ciuitate degens, siue in itinere ambulans,
sed stolis vñatur, quæ concessæ sunt Clericis, & ex Concilio Tri-
burien. in c. Vñ presbyteri. 17. q. 4. statutum est, vt Pres-
byteri non vadant sine stola, aut orario induti?*
Glossa respondet, ijs locis nomine stolæ intelli-
gi vestem Clericorum ad talos vsque demissam:
aut fortassis olim Sacerdotes semper stolam hu-
meris superpositam deferebant, quod in defueru-
dinem abiit.

Decimoquartò quæritur, An vestes, aut vasa
sacrata in vsus profanos conuertiri queant? Res-
pondeo, minime: quoniam quod semel dicatum
est Deo, non est ad vsus humanos trãserendum,
c. Semel Deo, de regul. iuris in sexto, & c. p̄se semel. 19. quæ-
stion. 3. & c. Vestimenta, de consecrat. d. 1. QVAERES,
quid fiet de vestibus sacris, quæ sunt vetustate cõ-
sumptæ, aut ita scissæ, & disruptæ, vt in diuinis v-
sibus amplius inferri nequeant? Respondeo ex
c. Altaris, de consecr. dist. 1. quo loco dicitur: *Altaris
palla, candelabrum, & vñum si fuerint vetustate consumi-
pta, incendio demur: quia non licet ea, quæ in sacra ordo fue-
rim, malè trãitari, sed incendio vñnera tradantur: cin-
eres quoque eorum in Baptisterium inferantur, vbi nullus
transitum habeat: aut in pariete, aut in fossis pauperum
iactentur, ne transeuntium pedibus inquinentur. Sic ibi: Et
candelabra intelligit, quibus vñtur in altari,
dum rebus diuinis operam damus. Vela, accipit
cortinas, quæ pendunt, & expanduntur supra, aut
ante altare, vt ait Glossa communi consensu re-
cepta. Vñ iam obtinuit vti Sacerdotes, & Epi-
scopi vestibus sacris induti sepeliantur: alioqui
eæ vestes sacræ esse non deberent, vt annotat ex
Paludano Syluester in verbo, Benedictio. qu. 7. Cali-
ces etiam, & alia sacra vasa confracta, aut dimi-
nuta in vsus profanos conuerti nõ debent, sed in
Ecclesijs seruari ad aliqua earum ministeria.*

Decimoquintò quæritur, An ad Missæ sacrifi-
cium, lumen iure communi requiratur? Respon-
deo ex communi omnium sententia requiri: nam
in c. Ad iheras, de celebr. Missæ, reprehenditur quidam
Presbyter, qui sine igne, id est, lumine sacrifica-
bat. Quamuis reuera in eo capite ob alia etiã cri-
mina puniatur; videlicet, quod aliquando in pa-
ne fermentato, & calice ligneo, & absque aqua
vino permista, immolare consueuerat.

QVAERES insuper, an lumen debeat esse ex
cera, an sufficiat si sit ex oleo, aut si sit candela se-
bacea? Respondeo, nihil hac de re in iure fuisse
constitutum: vsus tamen communis obtinuit,

vt sit ex cera: tempore autem necessitatis sufficit lumen sebaceum. **SI QVÆRAS**, an duæ candelæ, siue cerei requirantur, an verò tantum vna sufficiat? Respondeo, nihil etiam de hoc iura meminisse: ferè tamen omnes duabus vtuntur, quamuis vna sufficeret.

Decimosexto quæritur, An Sacerdos nudo capite sacrificare iure debeat? Quidam insinuant, nihil in iure de hoc fuisse definitum, nisi generaliter, quatenus scilicet omnia diuina mysteria piè, ac religiosè celebrare oportet, quod etiam sentit Nauar. de celebrat. Missarum consil. 4. nu. 1. Cæterum in c. Nullus Episcopus, de consecr. dist. 1. perspicuè factis habetur: Nullus Episcopus, aut Presbyter, seu Diaconus ad Missarum solemniam celebranda presumat cum baculo introire, aut velato capite ad altare Deo assistere. Quare peccaret Sacerdos, qui sine iusta, & debita causa, tecto capite sacrificaret.

QVÆRES, an liceat Sacerdoti minus bene valenti rem facere diuinam capite certo aliquo panniculo, vel pileolo ob debilitatem capitis, & frigus in cõmodum velato? Respondeo ex Turrecremata in c. Nullus Episcopus, citato, & Nauarro in consilio prædicto num. 1. & 2. licere, dummodo id faciat in priuato Oratorio, vel sacello absque offensione aliorum. **QVÆRAT** aliquis, an fas sit Sacerdoti Missam celebrare capite amictu tecto? Idem Nauarrus consilio citato affirmat licere Sacerdoti id facere, quia olim, inquit, Sacerdos sacrificabat capite amictu operto, & vsus obtinuit, vt amictus ad collum obuoluatur: quare, inquit ille, licitum est antiquum vsum reuocare. Sed certè vsus in Ecclesia iam introductus est retinendus, & idcirco non licet caput amictu tegere, nisi valetudinis incommodè gratia.

Decimoseptimo quæritur, An liceat Sacerdoti sacrum facere Matutinis precibus nondum peroratis? Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2. ad finem. & lib. 10. de iust. quæst. 5. artic. 4. concludit, 2. cenet lethale peccatum non admittere Sacerdotem sic sacrificantem, etiã sine causa iusta, & debita; quod probat, quia nullus, inquit, extat iuris Canon, quo præcipiatur, vt Matutinæ preces ante sacrificium recitentur. Deinde, quia Missæ sacrificium, & preces, quæ quotidie singulis horis Ecclesiæ lege funduntur, nullo iuris communis nexu inter se coherant. Quòd si illi opponas communem consuetudinem; ait ille, non omnem consuetudinem vim legis habere: nec item omnem consuetudinem ita stricte, & arctè cõscientias tenere, vt nisi seruetur, lethale peccatum contrahatur. Syluester verò in verbo, Missa. 1. quæst. 6. vers. 4. quamuis non ita generaliter doceat; sentit tamen iusta, & legitima de causa fas esse Sacerdotibus aliquando Matutinis precibus non perolutis sacrum facere; vt si subita necessitas occurrat, verbi gratia, accedit illustris, vel magnus Princeps rei diuinæ gratia audiendæ, nec adest vilius tunc Sacerdos, qui sacrificet, nisi qui preces nondum Matutinas recitauit: adest etiam populus in die festo sacrum auditurus. Item si superior præcipiat, vt sacrum facias. Si præterea necesse sit, vt sacrificium fiat ob mortuum subito delatum in templo sepelientium, vbi de more vita defuncti sine Missæ sacrificio non sepeliuntur. Opinionem Soti pugnaciter confutat Francolinus in tract. de temporibus Horarum

Canon. c. 42. Sanè Sotus in hac cõtrouersia cõmuni omnium opinioni se opponit. Omnes enim, ad vnum, Canonici iuris interpretes, & Theologi, & Summi scilicet cenent lethale peccatum committere Sacerdotè, qui ante preces Matutinas sacrificat, nisi id iusta causa fecerit. Sic Hostiensis, Paludanus, Gabriel, Antoninus, Gabriel, Summa Confessorum, Aftenfis, Angelus, Rosella, Pisana, Tabienfis, Armilla: vt cæteros taceam. Quos omnes citat Francolinus loco prædicto. Quæ opinio longè est tutior, ac multò probabilior. Nam præter quæ, quod est cõmuni cõsensu recepta, mirificè cum ipsa Ecclesiæ consuetudine congruit, & cum ipsius Officij Ecclesiastici præceptionibus, & regulis, quibus præscribitur, vt Matutinarum precum perolutio pensio, Sacerdos paratus ad sacrificandum accedat. Nec est, quòd Sotus pro se Syluestrum citet, quoniam (vt vidimus) hic auctor solùm docet, aliquando licere Sacerdoti iusta de causa ante Matutinas preces sacrificare: in presentia quæstio non est, an id liceat quando adest causa legitima, neque enim id cõmuni opinio diffidetur; sed, An lethali ter peccet Sacerdos, qui sine iusta causa ante Matutinas preces sacris operatur. Item alicubi Pontifices solent constitutiones edere, quibus pœnas irrogant Sacerdotibus, qui Matutinis precibus non peroratis immolant. Mihi sententia Soti non placet, quamuis quidam viri docti, & pij eam, & sequantur, & tuesantur. Neque enim est, cur opinionem cõmuni testimonio, & auctoritate approbatæ suo loco moueantur, nec cur consuetudines moribus vtentium receptas faciliè deseramus.

Decimooctauo quæritur, An Sacerdos, qui ob incommodam valetudinem est immunis, & liber à Matutinis precibus recitandis, tuta cõscientia sacrum faciat, tamen si eo die preces Matutinas, aut alias non sit recitaturus? Concedit Sotus loco citato, quoniam accidere potest, vt infirma valetudo iustam det excusationem Officij Matutini committendi; & nihil tamen impediatur, quo minus Sacerdos sacrum faciat. Plus enim aliquando male valenti nocere potest, si preces Canonicas recitet, quàm si Missæ sacrificium faciat; & sicut Sacerdos absque sacra peccatorum cõfessione, cum debito tamen, & iusto peccatorum dolore, iure aliquando sacrificat, quia non est, cui possit sua peccata commodè confiteri: sic etiam qui per corporis ægritudinem preces Canonicas perolueret nequit, potest aliunde ritè preparatus ad sacrum faciendum accedere.

Decimonono quæritur, An fas sit ante laudes Matutinas Missam celebrare? Sotus similiter cõcedit. Mihi videtur, si iustæ aliquid causæ adsit, id posse tuta cõscientia fieri: secus non item: Certè in nocte Natalis dominici de more id facit Ecclesia: nam integro Matutino officio absoluto ante Laudes, primum eius diei sacrum decantat: aliqua item idonea, & legitima se causa offerente, à Matutinis precibus Laudes tutò distinguimus, vt supra dixi in hoc libro.

Vigesimo quæritur, An peccet Sacerdos lethali ter, qui Primæ officio nondum soluto sacrum facit? Respondeo, minimè: id enim pij viri, ac docti faciunt, & in multis Ecclesijs, etiam in illis, quæ Cathedrales, aut Collegiatæ vocantur, solent

Missæ

Missæ priuata celebrari antequam Primæ officium in choro sit factum, cum tamen publica, & solennis Missa ante Primam horam celebrari non possit. Sic Nauar. de Orat. cap. 3. num. 70. Syluest. Missa. l. quest. 6. nisi hoc sit contra præceptum superioris, vel statutum, vel consuetudinem alicuius receptam. Angel. Miss. nu. 42.

Cap. XXIX.

Aliæ quæstiones ad eandem rem atinentes soluantur.

Primo queritur, An ad Missæ sacrificium requirantur duo vt minimum, qui præsententur, & respondere queant? Quæstio hæc mouetur propter id, quod habetur in cap. Hoc quoque, de consecr. dist. 1. Vbi ex Sothere Pontifice statutum est: Nullus presbyterorum Missarum solennia celebrare presumat, nisi duobus presentibus, sibi que respondentibus, & ipse tertius habeatur. Quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, & illud in secretis, Orate fratres, aptissime conuenit, vt ipse salutationi respondeatur. Hugo eiuſmodi Decreto permotus, duos sensus oportere præsentem adesse in Missæ sacrificio. At Hostiensis, Glossa, & communis opinio Theologorum, & Canonici iuris interpretum, & Summistarum docet vnum sufficere præsentem, qui respondere queat, & hoc iam vltus comprobauit. Nam Sacerdos non raro aliquando sacrificat vno tantum ministro adstante. Ad Sothereis verò Pontificis decretum variè respondent auctores. S. Thomas 3. part. quest. 83. art. 3. ad 12. putat illud intelligi de Missa publica, & solenni, non priuata. Innocentius III. lib. 2. de Myſterijs Missæ, cap. 25. Aliud est, inquit, necessitatis articulus, & aliud religionis contemptus, hoc est, ex Decr. Sothereis: nullus n. ex contemptu celebrare debet vno tantum adstante: at dum vrget necessitas, Sacerdos ministro vno præsentem celebrare potest.

Alexander verò 4. p. q. 36. m. 5. Quædam ait antiquitas statuta erant ob reuerentiam tanti mysterij, quæ postea ob utilitatem, vel necessitatem antiquata sunt. In hac specie, aucto Presbyterorum numero, ne libertas celebrandi minuat, necessum fuit, & vtile, Missæ sacrum vno adstante celebrare. Glossa probat à simili ducto argumento, vnum præsentem ministrum sufficere: quia in cap. Quæstio, de verborum signific. Alexander responder. Sacerdotem vno tantum Clerico præsentem posse Sacramentum Extreme vnctionis ministrare. Sed certè simplicius & facilius responderi potest. Sothereis decreto contrariam consuetudinem vsu receptam derogasse: præsertim cum Sacerdotum nullam plebem sibi subiectam habentium numerus auctus fuerit.

Cæterum adhuc vrget id, quod in decreto Sothereis dicitur: Ideo duos, vt minimum præsentem adesse oportere, vt aptè conueniant ea, quæ Sacerdos numero multitudinis dicit in Missa, Dominus vobiscum: Et, Orate fratres. Quare dubiæ est quæstio, an postquam introductus est vsus, vt Sacerdos vno tantum præsentem sacris operetur, retineantur aptè & commodè ea, quæ olim pluribus adstantibus aptissime dicebantur? Petrus Damianus de hac salutatione integrum librum edidit, quem inscripsit Dominus vobiscum: vbi

primùm ostendit, ea salutatione etiam vti debere eos, qui preces Canonicas soli recitant. Innocentius III. ait verè dici, Dominus vobiscum; eò quòd Angeli Dei adstant orantibus, iuxta illud Psalmi 137. In conspectu Angelorum psallam tibi. Quilibet item homo habet Angelum ad suam custodiam deputatum Acto. 12. & Match. 18. Illi igitur, inquit, habemus in oratione participes, quos habebimus in glorificatione confortes. Sic ille, At Alexander, & S. Thomas opinantur Sacerdotem ita loquentem, cum Ecclesia sermonem habere, cuius personam gerit minister ille, qui Sacerdoti sacrificanti interuenit. Sanè retenta sunt verba antiqua ob honorem, & venerationem antiquitatis: & cum ita loquimur, mentem aliò conuertimus ad priscum illum, & veterem Ecclesiæ morem, cuius memoriam reuocamus.

Secundò queritur, An minister, qui solus præsentis adest, debeat iure vir esse, an non? Respondeo, in cap. Inhibendum, de Cohabitat. Clericorum, ex Concilio Moguntino sic haberi. Inhibendum quoque est, vt nulla femina presumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut inter cancellos stare, siue sedere. Et cap. sacras, dist. 23. ex Sothere asertitur: sacras ad Deo feminas, vel Monachas sacra vasa, vel sacras pallas penes vos coningere, & incensu circa altaria deferre perlatu est ad Apostolicam Sedem, quæ omni reprehensione & vituperatione plena sunt. Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 5. ait: Forsan nec ob vllam necessitatem illud auderem citra dispensationem permittere propter indecentiam; citius auderem egomet mihi respondere, & ministrare, quam feminam ad id muneri admittere.

Tertiò queritur, Fasne sit sacerdoti aliquando sine vilo prorsus ministro sacrificare? Glossa in cap. Hoc quoque, de consecr. dist. 1. Inclusus aliquis, & putat Eremita, solus Missam celebrare potest. Sic etiam Paludanus in 4. dist. 13. quest. 2. art. 1. & Turrecrem. cap. Hoc quoque, de consecr. dist. 1. Id probant à simili, quia in cap. Quæstio, de verb. signific. dicitur: Sacerdos vno præsentem Clerico, & etiam solus potest infirmum vngeri. Sed tamen inquit Sotus 4. dist. 13. quest. 2. art. 5. non est firma collectio, à Sacramento Extreme vnctionis ad sacrificium Missæ. Quare nisi grauis esset necessitas, vt in festo, quando Sacerdos Missam audire nequit, nisi ipse solus celebret, nullatenus licet: immò forsàn, nisi magnus esset dies festus, & sacer, consultius erit non celebrare. At quia hæc sunt iuris scripti humani, citra dubium posset Eremita solus celebrare Romani Pontificis concessu. Hæc Sotus. Veritum est sacerdoti nullo adstante ministro Missæ sacrificium facere, vt patet Concilio Nannetensi, cap. 30. ad Brucardum lib. 3. Decreti, cap. 68. & apud Iuonem part. 3. cap. 70. & Concilio Moguntino, cap. 43. ac Basiliensi sess. 21. cap. 8. Vnde Alexander III. in cap. Proposuit, de filijs presbyteri, scribit: Non enim solus Presbyter Missarum solennia, vel alia Diuina Officia potest sine ministro celebrare. At propterea S. Laurentius, vt refert Ambrosius lib. 1. Officiorum, cap. 41. Sixto Pontifici, cum ad supplicium duceretur, dixit: Tu nunquam sacrificium sine ministro offerre consueueras. Sic ibi. Nihilominus tamen, si grauis necessitas premat, sacerdos sacrificare solus potest, vt Glossa communi consensu approbata tradidit in cap. Quæstio, de verborum signific. & in cap. Hoc quoque, de consecr. dist. 1. & Turrecrem, ibidem. Alexander 4. part. question.

37. de officio Missæ. §. 4. & Antonius Butrius in cap. 2. de vit. & honest. Cleric. nu. 11.

Quartò queritur, An Sacerdos sacrificans iure librum habere debeat in altari, qui Missarum ordinem, & formulam continet? Respondeo, nullum in iure communi hac de re extare decretum: Ratio tamè ipsa docet talè sacerdotem libro indigere; præsertim eo, qui Missæ Canonem contineat: Est enim hominis memoria admodum fragilis, & infirma. Quare communis opinio docet in lethale peccatum incurere eum sacerdotem, qui sine libro rem diuinam facere auderet, nam se graui periculo erroris obijceret. Hæc ex Beato Antonino part. 3. tit. 13. cap. 6. §. 6. Angel. Missæ. num. 37. Syluest. Missæ. 1. quæstion. 2. Tabien. Missæ. num. 11. Nauarro in Manual. cap. 25. num. 84. Sot. 4. dist. 13. q. 2. art. 4.

Quintò queritur, An sacerdos dum se vestibus sacris induit ad sacrificandum, iure debeat preces recitare Ecclesie more & instituto præscriptas, nam in præceptionibus, & regulis, siue Rubricis apertè statuitur, vti sacerdos Officij Ecclesiastici formulam seruet, at in ea præcipitur, vt eiusmodi preces sacerdos recitet, dum singulis se vestibus induit. Deinde vsu receptum est, vt huiusmodi preces recitentur. Respondeo, dubitandum non esse, quin adhiberi debeant. Sed quæstionis dubie est, an earum omisio sacerdotem lethali culpæ subijciat? Ait Nauarrus in Manuali cap. 25. num. 73. & sequentibus. Si omnes omitterentur, & absque iusta aliqua causa, lethale peccatum admitti; omni etiam contempione sublata; non tamen si vna earum vel altera, etiam si scienter, & sine causa omitteretur. Alij tamen tam seueram non audent ferre sententiam de hac re, nisi earum precum despectio subesset. Sed certè probabilis est sententia Nauarri in hac parte.

Sextò queritur, An sacerdos in sacro faciendo præceptiones & regulas, quas Rubricas appellant, seruare necessario debeat? Respondeo, debere, & qui per contemptum omitteret, lethale sine dubio peccaret: qui verò iustam ob causam eas non seruaret aliquando, liber culpa à foret; vt si per ignorantiam, vel obliuionem, aut necessariam aliquam festinationem omitteret.

Sed dubiam id habet quæstionem, an lethale peccatum incurrat is, qui eas sine causa iusta, & probabili prætermittit scienter? quod est querere, an tantam vim habeant, vt eum, qui non seruat, lethalis peccati reum faciant? Quidam affirmant, alij verò negant. Nihil certi ex ipsis Regulis colligi potest. Sed probabilior est prima sententia.

Cap. XXX.

De Missæ sacrificio in vino, & aqua, & per Sacerdotem ieiunium facienda.

Primò queritur, An vino aquam miscere in calicis consecratione debeat sacerdos? Triahic queruntur: Primum, An si aqua vino non miscetur, valeat vini consecratio? Alterum, An

lege, & iure cogatur sacerdos vino aquam adiungere? Tertium, An aqua ante consecrationem in vinum nondum conuersa, in sanguinem Christi, vna cum vino mutetur? Primam quæstionem mouet id, quod habetur. cap. 1. de consecrat. dist. 2. ex Alexandro I. Non debet in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum, quia vtrumque ex latere eius in passione sua legitur profusus. Et in c. Sicur, eadem dist. 3. Cyprianus ait: In sacrificando calicem Domini, offerri aqua sola minime potest, quoniam nec vinum solum potest. Nā si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine Christo: quando enim vtrumque miscetur, & adunatione confusa sibi inuicem copulantur, tunc Sacramentum, & spirituale, & carnesse efficitur. Et statim subiicit: Si verò calix Domini non est aqua sola, & vinum solum, nisi vtrumque miscetur; quomodo nec corpus Domini potest esse sola farina, nisi vtrumque miscetur, & copulatum, & panis vnius compage solidationem. Et tandem docet, vinum absque aqua iuxta Christi traditionem non consecrari. Ex quibus omnibus hæc argumenta ducuntur. B. Cyprianus dicit, ex aqua sola sanguinem Christi non posse confici, nec ex vino solo. Similiter ait ex farina sola sine aspersione aquæ non posse Christi corpus consecrari, igitur nec sanguis ex vino sine aqua. Ait autem sanctus Cyprianus, iuxta traditionem Domini vinum esse aqua diluendum, ergo significat materiam calicis esse vtrumque, vino scilicet aqua mixtam. Et in capite. Cetero omnes, de consecrat. dist. 2. Ex Iulio I. adfertur: Non potest calix Domini aqua sola esse, aut vinum solum, nisi vtrumque miscetur. Nam cum in calice vino aqua miscetur, Christi populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur. Quod si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. In capite Non oportet, eadem distinctione ex Martino I. dicitur: Non oportet aliud aliquid in Sacramento offerri præter vinum & aquam, & panem, que in typo Christi benedicuntur; quia dum in Cruce Christus penderet, de corpore eius effusus sanguis, & aqua.

Constans est Theologorum opinio, vini consecrationem valere etiam sine aqua. Sic Magister ac Theologi in quarto distinctione 11. Ad id verò, quod obijciatur ex sanctis Patribus; respondeo, eos dixisse, sic nos posse confici sanguinem Christi sine aqua; quia quod iure fieri non debet, sæpe dicitur fieri non posse, nam id possumus, quod in re possumus. Deinde familia illa, quibus aiunt: Sicut panis non fit ex sola farina, nec sanguis Domini fit ex vino solo sine aqua; accipiuntur perinde, ac si diceretur, non fieri legitime.

Alterà quæstio erat, An sacerdos præceptum habeat aquam vino miscendi? Negant hæretici oportere vinum aqua temperari in consecratione calicis: at verò Ecclesia aquam vino apponi debere docet. In Liturgia Iacobi Apostoli clarè habetur: Postquam canamus accipientes calicem, & permiscens ex aqua & vino, & benedicens dedit. Idè etiam testantur sanctus Iustinus Martyr in Apologia secunda ad Antoninum Imperatorem, & sanctus Irenæus libro quarto, capite quadragesimo septimo vbi ait: Dominus tempore ameno calicis sui sanguinem consecrauit. Et libro 5. calicem mixtum vocat. Cyprianus item totus est in vna integra epistola libro 2. epistola 3. ad probandum, nec calicem cum aqua sine vino rectè offerri, nec cum vino solo absque aqua. Basilus

& Theodoretus calicem mixtum appellant. Hieronymus, Epiphanius, Ambrosius, Augustinus, Isidorus, Beda, Nyssenus, Chrysostomus, Theophylactus, Damascenus, quorum testimonia citat Durandus *libr. de ritib. Ecclie. Catholice 2. cap. 27.* aperte docent vinum, & aquam in calice, esse miscenda; quia sic Christus suum sanguinem consecrauit. Idem definiunt Concilium Bracarense 3. *canon. 1.* Triburienſe, *canon. 19.* & Trullanum, *canon. 31.* Vnde quod Innocentius III. & quidam alij dixerunt, Græcos in eo esse errore, vt credant, in solo vino sine aqua calicem consecrandum: accipiendum est non de veris Græcis, sed de Orientalibus; aliqui enim sunt, qui Orientales improprie Græcos appellant: in hoc enim errore Armeni verfabantur, non Græci. Quocirca in Concilio Florentino sub Eugenio IV. in quo Græci, & Latini conuenerunt, data est Armenis formula Sacramentorum conferendorum, & imperatum est illis, vt deinceps in calice vinum aqua diluerent, quoniam omnes alie Ecclesie Latino-rum, & Græcorum ita semper fecerunt. Et in Concilio Trullano is error Armenis tribuitur. In Concilio Tridentino *Sessio. 22. canon. 9.* contra Hæreticos definitum est: *Si quis dixerit aquam non esse vino miscendam in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.* SI ROGES, an aqua in calice vino miscatur Christi præcepto, an vero Ecclesie institutione: Quidam opinantur esse Christi præceptum, vt vinum aqua temperemus, eod quod beatus Cyprianus dixerit esse Christi Domini traditionem. Sed alij probabilius existimant esse Ecclesie institutionem. Et sanè Synodus Tridentina *Sessio. vigesima secunda, capit. 7.* ait: *Monet sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miscant.* Hæc ibi. Id vero quod Beatus Cyprianus ait esse traditionem Christi, videtur ita intelligendum; quod Christus Dominus ita fecerit, & in calicem aquam infuderit; ac proinde suo exemplo, & factu docuerit vinum aqua permixtum esse consecrandum; non autem quod id verbo, & lege præceperit. Deinde videtur S. Cyprianus alluisse ad id, quod alij patres, & Concilia tradiderunt; vino scilicet aquam addendam: quia ex latere Christi aqua, & sanguis fluxerunt. Et præterea, quod aqua in Apocalypsi Beati Ioannis populi dicantur, ideo aqua, & vini mixtionem repræsentatur, vt Concilium Tridentinum vnâ cum Patribus docet, ipsius populi fidelis vnio cum suo capite Christo.

Tertia questio erat, An aqua in Christi sanguinem conuertatur? Communis est Theologorum opinio in 4. *distinctione. vndecima.* non quidem conuerti per seipsam proximè; sed prius mutari in vinum, & deinde vinum in sanguinem conuerti. Nam cum parum admodum aqua infundatur in vinum, afficitur ipsius vini qualitatis potentioribus; ac proinde propriam formam amittit, & mutatur in vinum: Sicut etiam si minimam vini guttam in magnam aqua copiam iniicias, statim mutatur in aquam. Ex quo fit, vt modica aqua vino permisceri debeat, vt citius in vinum conuerti queat, & deinde totum in sanguinem: & eod minus aqua est infundendum, quo vinum est debilius; & quo potentius

est vinum, eo melius fit permixtio. Vt merito proinde cautè facere videantur, qui aquam vino permiscunt, vel in ipso statim Missæ principio, vel certè ante Euangelij lectionem. Sed querat aliquis quantum aqua fit in calicem infundendum? Concilium Florentinum in *Armeniorum instructione*, modicissimum aqua admonet esse vino adiungendum. In Concilio Triburienſi *canone 19.* permittitur Sacerdoti, vt duæ partes sint vini, & tertia sit aqua. In *capit. Perniciosus, de celebratione Missarum.* Honorius III. scribit: *Perniciosus in suis partibus abusus inoleuit; videlicet, quod in maiori quantitate de aqua ponitur in sacrificio, quam de vino; cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesie generalis plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum.* Hæc Pontifex.

QVAERES, An lethale peccatum admittat sacerdos, qui aquam in calicem non miserit? Resp. eum grauissimè peccare, si scienter id faciat, nam Ecclesie præceptum toties datum, ac repetitum expressim perfringit.

QVAERES IN SUPER, quid de aqua fiat, si propriam suam adhuc formam retineat, dum vinum consecratur? Resp. aquam minimè in sanguinem Christi conuerti, quia ante consecrationem non fuit in vinum mutata. Dices, inde fieri, vt sacerdos non ieiunus Christi sanguinem sumat, siquidem sumit aquam sua adhuc in forma permanentem. Resp. hoc nihil obesse, tum quia nescit Sacerdos fuerit aqua necne antea in vinum conuersa; tum etiam, quia sacerdos non sumit aquam ante speciem vini, sed simul vini speciem, & aquam. Si item opponas; si aqua in sua adhuc forma manet, populus cum Christi sanguinem supplex veneratur, aquam pariter suam formam retinentem venerabitur, quod est incommodum. Respondeo, populi mentem, & animum eod tantum spectare, vt colat, & veneretur, quicquid in calice est in sanguinem Christi conuersum.

Secundo queritur, An Missæ sacrificium iure fiat à sacerdote, qui ieiunus non est? Lutherani, & Caluiniani nos Catholicos irident, quod doceamus, ante omnem prorsus cibum corpus Domini esse sumendum, & lethaliter peccare, qui illud cum ieiunus non sit, sumit. At verò præceptum Ecclesie datum est sacerdotibus, vt non, nisi ieiuni corpus Domini consecrent, offerant, & sumant. In *capit. Sacramenta, de consecratione distinctione 1.* Concilio Carthaginensi 9. *canone 29.* & 48. decretum est, vt sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur. Idem repetitur in Concilio Africano *canone 8.* Idem statuitur in Concilio Matisconensi 2. *canone 6.* & Concilium Bracarense 2. *canone 10.* quæ duo Concilia penam constituunt non obtemperantibus; nimirum, vt ab officio suo, & munere amoveantur, & honoris dignitatem amittant. In Concilio Tolitano 7. *canone 1.* præcipitur, vt nullus post cibum, potumque quemlibet minimum sumptum, Missas facere præsumat, quod Concilij decretum refert Gratianus in *capite Nihil 7. question. 1.* Idem statuitur in Concilio Althodorenſi *canone 19.* In Concilio etiam Constantiensi *Sessio. 13.* decretum est in hæc verba: *Hinc est, quod hoc præsens Concilium sacrum generale in Spiritu sancto legitime congrega-*

tum saluti fidelium prouidere satagens, natura plurimorum Doctorum iam diuini, quam humani iuris prehabita deliberatione declaras, decernit, & definit, quod licet Christus post cenam instituerit, & suis Discipulis administrauerit sub utraque specie panis, & vini, hoc venerabile Sacramentum hoc tamen non obstante, sacrorum Canonum auctoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesia seruauit, & seruat, quod huiusmodi Sacramentum non debet confici post cenam, nec à fidelibus recipi non ieiunans, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à iure, vel Ecclesia concessi.

Cum his Concilij Patrum consentit auctoritas Tertullianus ad Vxorem libro secundo: Non sciat, inquit maritus, quid ante onnem cibum sumas. Hæc ille loquens de Eucharistia. Chrysostomus homilia vigesima septima in primam ad Corinthios: Tu, inquit, prius quam accipias, ieiunet, ut aliquo modo dignus communicatione uidearis. Et ad Cyriacum Episcopum scribit se accusatum, quod non ieiunans sacram Communionem dederit: & iurat se id non fecisse: Si id feci, inquit, abiciat me Christus à regno suo. Gregorius Turonensis libro de Gloria Martyrum, capite octo, & primo sexto, refert grauissimam poenam diuinitus inflictam cuidam Sacerdoti, qui in die Natali Domini non ieiunans sacrificium facere ausus fuit. In capite Liquido, de consecratione, distinctione secunda: ex Augustino epistola centesima decima octaua, capite sexto, assertur: Liquido apparet, quando primum acceperunt Discipuli corpus, & sanguinem Christi, non eos accepisse ieiunans: nunquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesie, quod à ieiunans semper accipitur. Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam ceteri cibum: nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim, quia Dominus post cibos dedit (Eucharistiam) propterea pransi, aut cenati fratres ad illud Sacramentum accipiendum conuenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis à se miscere. Nam que seruatur, quæ vehementius commendaret mysterij illius altitudinem, & vltimum hoc voluit insingere cordibus, & memoria Discipulorum, à quibus ad passionem adgressurus erat: & ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesia constitutus erat, seruaret hunc locum. Hactenus ex sancto Augustino. Vnde apparet primum, Dominum non præcepisse, ut hoc sacramentum post prandium, vel cenam sumeretur, quamuis ipse suis Apostolis post cenam suum corpus, & sanguinem dederit.

Deinde, Ecclesiam Spiritus sancti afflatu instituisse, ut non nisi à ieiunans sacrosancta Eucharistia sumeretur; idque in vniuerso terrarum orbe seruari ab omnibus Ecclesijs: & huius præcepti causam fuisse honorem, & venerationem, quæ tanto sacramento debetur: quod idem etiam ex Augustino tradiderunt Isidorus libro primo de Officijs diuinis, capite decimo octauo. Amalarius libro tertio de Officijs Ecclesiasticis, capite trigesimo quarto. Valfridus libro de rebus Ecclesiasticis, capite decimo nono. Hinc est, quod Innocentius III. in capite, Ex parte, de celebratione Missarum interrogatus responderet: Semper Sacerdos vinum persundere debet, postquam tantum acceperit Eucharistia Sacramentum; nisi eodem die aliam Missam debuerit celebrare, ne si forte vinum persusio- nis acciperet, aliam celebrationem impediret.

Obijcies id, quod habetur in Concilio Car-

thaginensi secundo, capite vigesimo nono. In die anni- uerario, in quo cœna Domini celebratur, licite sacramenta altaris à non ieiunans hominibus sumi. Respondeo, olim fuisse quarundam Ecclesiarum morem, in quibus fideles die cœnæ Dominicæ cœnabant, & post cenam facrum Christi corpus sumebant, exemplo, & imitatione Christi, qui eo die suum corpus, & sanguinem post cenam Discipulis imperpetuum quem deinde morem Corinthios retinuisse ferunt, & longo post tempore seruauerunt Ecclesie Alexandrinæ Aegypti, & Thebaidis. Et propterea Concilium Carthaginense præcipiens, ut à ieiunans corpus Domini sumeretur, excepit diem anniuersarium cœnæ Dominicæ: quod decretum Synodus Matisconensis secunda, Canone secundo postea comprobauit. Sed hanc exceptionem abrogauit Trullana Synodus Canone vigesimo quinto, reuocans Canonem quinquagesimum Concilij Laodiceni: eandemque exceptionem Synodus quoque Braecensis canon. 16. correxit, ac sustulit.

Quæret quispiam, quo pacto accipiendum sit ieiunium, quod Missæ sacrificio præmitti debet? Dicimus oportere esse ieiunium naturæ, ut nihil scilicet cibi, potusue, aut etiam medicamenti sumatur, ut est constans omnium opinio. Sic Sanctus Thomas par. 3. question. 80. artic. 8. ad 3. Scotus 4. distinction. 8. question. 3. Durandus 4. distinction. 8. question. 4. Gabr. 4. distinction. 8. question. 2. artic. 3. Antonin. p. 3. tit. 13. c. 6. §. 8. Palud. 4. dist. 8. q. 2. art. 1. Quare falsa omnino est opinio Godofredi, & quorundam aliorum ante Missæ sacrificium satis esse, si sacerdos seruet ieiunium non naturæ; sed Ecclesiasticum: quam sententiam refutat Paludanus expressè 4. distinction. 8. question. 2. art. 3. Deinde ieiunium huiusmodi seruari debet ab initio diei naturalis, in quo sacrificium fit, aut sumitur Sacramentum. Dies autem naturalis computatur à media nocte: itaque si post mediam noctem cibus vel potus, vel medicamentum capiatur, impedit quo minus sacrificet, vel Eucharistia suscipiat is, qui ceperit. ROGABIS, an qui ante mediam noctem aliquid ediderit, & postea aut non dormierit, aut si dormierit quidem, minime tamen cibum concoxerit, tuta conscientia eo die sacris operari queat? Glossa in cap. Ex parte, de celebr. Missæ, & alijs locis, id negat. Idem videtur docere in cap. Nihil, 7. q. 1. & cap. Si consuerit, de accusacionibus. Quis is ieiunans (inquit) non est, in quo cibus non est absumptus. Oppositum S. Thomas affirmat, hoc nihil alluens impedire.

QUÆRES etiam, An si quis mane os aqua, vel sale, & aceto abluens, casu aliquid aquæ deglutiat, abstinere debeat à sacrificio faciendo, vel Sacramento sumendo? Respondent quidam, aut pauxillum illud aquæ prius in saluam conuertitur, & deinde salua in stomachum transmittitur, & tunc nihil obest, quoniam non aqua, sed salua in ventrem illabitur: aut reuera aqua nondum in saluam mutata in ipsum stomachum traiecitur, & tunc reuera impedit. Sic docent Scotus dist. 12. quest. 1. art. 8. & Gabr. in Canonem Missæ, lect. 10. At Paludanus loco citato fatetur, nihil impedire, quia non sumitur ut potus. Idem quoque tradit Siluest. Eucharistia 3. question. 6. & hoc

est maxime probabile. Si **QVAERAS**, an in hoc locum habeat id, quod in alijs præceptis, & legibus dicere solemus, minimum, siue modicum non considerari? **Respondeo**, si cibis, vel potus sumptus fuerit, quamuis modicus, impedire, quo minus sacrificet quis, vel sacram Eucharistiam accipiat. Nec in hac parte locum id habet philosophi: *Paru pro nihilo reputatur*: quoniam Synod. Tolet. 7. can. 1. aperte definit nullum cibum, potumque, quamuis minimum esse ante sumendum. At vero reliquæ, quæ supersunt ex cibo ante mediam noctem sumpto nihil obstant, etiam si post mediam noctem, aut etiam mane delabantur in ventrem, quia in modum saluæ trahuntur, tum etiam, quia cibus ante illum diem est sumptus.

QVAERES, an absoluto sacrificio, sumptus Eucharistiæ sacramento, sit à cibo & potu ad certum tempus abstinendum? In cap. *Primo, de consecrat. dist. 11. n. 1.* Ex Clemente Romano habetur: *Qui refectio corporis Domini, que in sacramento relicta sunt, consumunt, non statim ad accipiendos communes cibos conueniunt, ne potius sanctæ portioni miscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur, si igitur mane dominica portio edatur, usque ad sextam ieiunium ministri, qui etiam consumpsissent, si tertia, vel quarta hora acceperint, ieiunent usque ad Vesperam.*

Sed et constat ex S. Thomæ, Antonino, Gabrielis, Siluestro, Sorò, alijsque locis supra citatis: hic Canon vlt. & consuetudine est abrogatus. Chrysostomus etiam *homilia 27. in caput 11. epistola 1. ad Corinthios docet*, post Dominicum corpus acceptum, etiam esse ieiunium seruandum, & preces ad Deum fundendas, & Hymnos decantandos.

At hoc consilium est, non præceptum. Si **ROGES** an liceat Presbytero pranso Eucharistiæ Sacramentum conficere, vt ægroto de vita periclitanti viaticum præbeat? **Affirmat** Maior in 4. *distinctione 9. questione 3. ad 5.* & probat, quia diuino iure mortis tempore est Eucharistia sumenda: ergo si panis consecratus non extat, consecrandus est, vt iamiam morituro porrigatur. Deinde, quia ægroto etiam pransus & cœnatis, vel potu refectis viaticum ministratur.

At vero Paludanus 4. *distinctione 8. questione 2. art. 1. Sotus 4. distinctione 12. questione 1. articulo 8. Victoria in Sum. num. 83. Nauarrus in Manuali, capite 21. num. 53. Gabriel 4. distinctione 8. questione 2. articulo 3.* negant fas esse Presbytero pranso Eucharistiam consecrare ad viaticum ægroto iamiam morituro præbendam: quoniam etsi diuini iuris præceptum esse fateamur, vt tunc temporis Eucharistia sumatur, id locum habet, quando sumi commode potest, alioqui minimè; & hoc ipsa consuetudo satis abundè declarat. Et ideo ægroto pranso, vel cœnato iure optimo Eucharistia iam ante consecrata datur: non est autem consecrandus, vt ei ministratur. Si **QVAERAS**, an saltem Episcopi auctoritate id facere queat? **Quidam** concedunt fieri posse. Sed falsum est, quia Episcopus non potest ius commune relaxare, nisi id habeat, vt consuetudinis receptæ, qualis in hac parte non est. Si **ROGES**, an si sacerdos pransus consecret, conficiat verè sacramentum? **Hugo** in capite *2. ad 2. Patribus, distinctione 75.* planè id negauit. **Ceterum** eius sententia communi consensione

refellitur, & Glossa ibi verè docet eum sacerdotem conficere sacramentum, sed conficiendo peccare.

Tertio quæritur, Quidnam facere debeat sacerdos, qui per errorem in calicem aquam infundit pro vino, & post Communionem id nouit? Deinde, si, cum sacris operatur, & panem consecrauit, meminit se non esse ieiunium? **Tertio**, si idem meminerit, postquam vtramque speciem consecrauit? **Respondeo** ad vtrumque ex communi omnium sententia, quam habet sanctus Thomas 3. parte, *questione 83. articulo 6. ad secundum*: eum oportere sacrificium in secundo casu perficere, quia arctioris est vinculi sacrificium inchoatum absoluerè; quam non ieiunium absumere sacramentum. Et ita in secundo illo casu debet sacerdos speciem vini consecrare: similiter in primo casu debet vinum consecrare, quamuis aquam pro vino per errorem biberit. Quemadmodum autem vinum sit denuo consecrandum, inferius ostendemus. In tertio casu idem iuris est: debet enim Communionem sacram sumere, ne imperfectum sacrificium relinquat. Secus verò esset, si recordatur sacerdos antequam vllam speciem consecret, tunc enim teste sancto Thomæ debet Missam inceptam relinquere: at hoc intelligitur, si id possit facere sine infamia, & scandalo.

Quarto quæritur, an liceat Presbytero, vnà cum vino, quod ad ablutionem sumi solet, suscipere particulas panis consecratas, quas in corporali, vel etiam Patena, vel Calice inuenerit? Vt enim venit, vt specie vini sumpta, particula panis consecrati, quæ est in Calicem iniecta, ipsi Calici adhærescat, aut in Patena aliqua particula remaneant. **Respondent** quidam non licere Presbytero eas particulas sumere: id probant auctoritate Paludani 4. *distinctione 9. questione 1. ad finem. Antonini parte 3. titulo 13. capite 6. §. 9. Rolei; Eucharistia 3. numer. 13. Sed verius est*, quod alij dicunt, id licere sacerdoti facere: & ita Caietanus in *summa, verbo, Missa, in opuscul. tom. 2. tractat. 33. de celebratione Missæ, questione 1. Siluester verbo, Eucharistia 3. numero 8. Sotus in 4. distinctione 12. questione 1. articulo 8. Victor. in sum. numero 83. Nauarrus in Manuali, capite 25. numero 89.* sentiunt tuta conscientia huiusmodi particulas sumi, quoniam sacrificium nondum perfectum esse censetur, quousque omnes particule insumantur: **Et in die Parasceues** particula panis consecrati, vnà cum vino, quod consecratum non est, sumitur. Nec impedit; quod vinum in ventrem citius influat, & permeet. Idem est iudicium de particula panis, quæ dentibus, lingua, vel palato adhæret: tunc enim tuto vini haustus sumitur, vt vnà cum ipsa ea particula in stomachum transeat, & penetret. Particula item, quæ solent in Patena remanere, frequenter sunt tenuissimæ, ac iure quoque sumuntur, vt sacrificium totum perficiatur. Et Paludanus, Antoninus, & Rosella non loquuntur de huiusmodi particulis, sed de ijs, quæ relicte sunt ab his, qui sacram Communionem sumpsissent.

Quinto quæritur, Quid sit sacerdoti faciendum, quando perfectò, & absoluto in totum sa-

crificio, & ablutione completa, particula panis consecrati, in Corporali, Altari, vel Patena inveniuntur in cap. Tribus, de consecratione, distinctione 2. Clemens præcipit, ut in Altari holocausta offerantur, quod populo sufficere debent: quod si remanserint, in crastinum non referuntur, sed cum timore, & tremore clericorum, & diligentia consumantur. Hæc ibi. Sotus 4. distinction. 12. quest. 1. art. 8. citat hunc Canonem, & ait in eo statui ut particula, quæ post sacram Communionem acceptam à populo super fuerint, referentur in pixide; cum tamen Clemens aperte præcipiat, ne referentur in crastinum, sed à Clericis absumantur. Clemens igitur eo loco solum loquitur de ijs particulis, quæ à Presbytero consecrabantur in populum distribuendæ. Hinc olim teste Euagrio libro 4. capite 35. Constantinopoli vetus fuit consuetudo, ut si quando multæ admodum particulae puri, & immaculati corporis Christi Dei nostri superessent, pueri impuberes, qui scholas frequentabant, accerferentur, & eas ederent. In Concilio etiam Matifconensi 2. canone 6. habetur: *Quæcumque reliquias sacrificiorum post peractam Missam in sacrario superfederint, quarta, vel sexta feria, innocentes ab illis, cuius interest, ad Ecclesiam adducantur: & indito eis ieiunio, easdem reliquias confertas vino percipiant.* Hæc eo loco. Cæterum, tum Canon Clementis, tum hæc consuetudines sunt apud nos abrogatæ.

Ad id igitur, quod quærebatur, respondet Sotus 4. distinction. 12. quest. 1. artic. 8. Aut particula, quæ in Altari, Corporali, vel Patena inveniuntur absoluto Missæ sacrificio, sunt alicuius momenti, ponderis, & quantitatis, & hæc referuntur in pixide, aut ab alio Presbytero sacrificante infumuntur: aut tales non sunt, cum ob tenuitatem vix in sensus incurant: & tunc tunc à Presbytero infumuntur, tanquam sacrificij portiuiculae exiguae. Sed certè cum sint particulae ex sacrificio relictae, parum, aut nihil referre videtur, sint parua, an magna, unde potest eas sacerdos sumere, quia sumit, ut reliquias, quæ ex sacrificio super sunt. Secus esset, si essent particulae ex alio sacrificio relictae. Si QUÆRAS, an sacerdos iure queat eas particulas sumere post notabile temporis intervallum exactum? Resp. minime, quia post intervallum temporis elapsum, censetur sacrificium absolutum; & proinde particulae non sumerentur, ut reliquias, quæ ex sacrificio super fuerunt, sed sumerentur per se, quod facere non licet: est enim sacrificium considerandum vt vna actio, quæ suo tempore finitur ac definit.

Cap. XXXI.

De munditia tum mentis, tum corporis ad Missæ sacrificium necessaria.

Quæritur primò, An ad missæ sacrificium dignè faciendum, non solum vera, & perfecta lethaliu criminu detestatio requiratur, sed etiam sacra eorundem confessio? Caietanus, qui ante Concilium Tridentinum scripsit, sentit nullo iure peccatorum confessio

nem requiri: quoniam ex Apostolo solum habetur, Vt ad dignè edendum corpus, & sanguinem Domini, quisque probet seipsum: sed idoneus est, inquit, probatio, vera ex animo lethaliu peccatorum detestatio, vt Chrysost. homil. 27. in eam locum. Apostoli, videtur docere. Deinde Ecclesia præcepit, vt in Paschate Eucharistia sumeretur, non autem, vt tunc temporis fieret peccatorum confessio, sed semel quotannis. Sic Caietan. part. 3. quest. 50. art. 5. & in commem. 1. Cor. 11. & in Sion, verbo, Communio, & post eum Armil. verbo, Communio, num. 1.

Cæterum hæc Caietani opinio, cum communi omnium Theologorum, Canonici iuris interpretum, & Summularum sententia pugnat, & cum generali etiam totius Ecclesie consuetudine: quare merito ab ijs, qui post ipsum scripsere refellitur, atque deseritur. Nimirum Soto 4. dist. 12. quest. 1. artic. 4. Cano de locis Theolog. lib. 5. cap. 5. Petro Sot. de Confess. lect. 12. Corduben. lib. 1. quest. 16. & Nauarro in Manuali, cap. 22. num. 10. Synodus Tridentina Sessio 13. Canone 11. decernit, vt sit excommunicatus eo ipso, si quis docuerit, prædicauerit, vel pertinaciter asseruerit, seu etiam publice disputando defendere præsumperit, illis, quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, non esse necessario præmittendam Confessionem sacramentalem ad dignè Eucharistia sacramentum recipiendum. Et capite septimo idem Concilium declarat illud præceptum Apostoli primæ ad Corinthios vndecimo. Probet autem seipsum homo, &c. intelligi de probatione non solum per contritionem, sed etiam per sacramentalem Confessionem, quando quis conscius est alicuius peccati mortalis, & Confessarij copiam habet. Sententia igitur Caietani decreto Concilij Tridentini est reiecta, & explosa. In Concilio Florentino Sessio 8. priuatiu cum Græci ad Pontificem Romanum Eugenium Quartum conuenissent, rogati sunt ab ipso Pontifice inter alia, cur non Pontifices, aut Presbyteri celebraturi peccata sua confiteri soleant? Illi nihil ad hoc responderunt, dicentes, se de hoc articulo in Concilio non disputuros.

Secundo quæritur, An iure diuino sacra peccatorum lethaliu Confessio ante Eucharistiam fieri debeat? An verò iure Canonico, an tantum vsu, & consuetudine? Medina censet tractat. de confess. questio. 14. iure tantum Canonico præmittendam esse. Idem docere videntur Ricardus in 4. dist. 17. artic. 3. questio 6. & Paludanus 4. dist. 17. quest. 4. Adrianus in 4. questione 1. de Eucharistia, Tabientis verbo, Communio, num. 30. Abbas in cap. de homine, de celebrat. Missarum. Communis verò aliorum sententia contendit eam esse iuris diuini à Christo instituti. Synodus Tridentina in Sessio 13. capite 7. vbi agit de præparatione adhibenda ad dignam sacra Eucharistia perceptionem, sic ait: Communicare volenti reuocandum est in memoriam Apostoli præceptum. Probet autem seipsum homo: Ecclesiastica autem Consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumcumque sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistia accedere debeat. Ex quibus verbis videtur colligi, Confessionem ante Eucharistia

sumptionem, diuino iure adhiberi: quod quidem Domini præceptum declarauit Apostolus primæ ad Corinthios 11. dicens: *Probet autem seipsum homo.* Quod autem hic locus Apostoli de sacra Cõfessione, & non solum de peccatorum detestatione per veram cordis poenitentiam intelligatur, habemus non quidem ex Scripturis, sed Traditione, verbo, non scripto accepta ab Apostolis, quam & ipsi acceperunt à Domino, & quam generalis totius Ecclesiæ perpetuo seruata conseruatio declarauit.

Tertio quæritur, An aliquando ad dignè suscipiendam Eucharistiam, sufficiat sola lethali-um criminum per veram mentis poenitentiam detestatio? Concilium Tridentinum, vt paulo ante vidimus, nonnet adhibendam esse Confessionem, quando quis est sibi conscius peccati lethalis, & habet copiam Confessarij, & insinuat sufficere solam cordis poenitentiam, necessitate urgente, si copia Confessarij non adfit. Et communis omnium opinio, quam habet Sotus in 4. distictio. 12. quest. 1. artic. 4. & distictio. 18. questio. 1. artic. 4. explicat, quandonam cuique id liceat facere: tunc nempe, cum imminet mortis periculum; deinde, quando quis sua peccata confiteri nequit, citra grauem aliorum offensionem; & tamen ad Eucharistiam accedere alioqui iure debet: cum etiam quis absque dedecore, & infamia abstinere à sacra Communione vix posset. Tunc demum, quando dies festus adest, quo populus ad rem diuinam audiendam iure ipso cõuenit, nec alius omnino sacerdos in prõptu est, qui Confessionem audiat, nisi Parochus.

Quæritur Es, An causa Confessionis faciendæ, quis conferre se debeat ad locum remotiorem? Respondeo in hunc modum: aut locus ille prope distat, aut longè. Si primum, debet eò se conferre, nisi aliquid legitime impediatur, vt potè notabilis cœli intemperies, aut repentina aliqua sacrum faciendi necessitas. Si secundum, præcepto non cogitur ad eum locum ire.

Quarto quæritur, An quando præceptum sacre Communionis percipiendæ vim habet, Verbi gratia, quia anniuersaria in digne festo Paschatis celebrata recolitur, vel dies festus celebratur, quo res diuina, vel faciendæ, vel audiendæ nobis est, an si tunc non adfit, qui Confessionem excipiat, sufficiat solus animi dolor de peccatis conceptis? Respondeo, si ijs temporibus ab Eucharistia abstinere minime possimus absque infamiae nota, vel offensione aliorum, Eucharistiam esse percipiendam absque peccatorum confessione, cum debita tamen lethaliu peccatorum detestatione, quoniam arctioris est vinculi naturale præceptum de infamia, aut offensione aliorum vitanda, quàm lex de Confessione peccatorum faciendæ. Si verò solum instet præcepti Ecclesiastici de re diuina audiendâ in die festo, aut de Eucharistia in die Paschatis percipiendâ: tunc potius meo iudicio videtur esse ab Eucharistia abstinendum: cum duo præcepta sibi iniucem occurrant, nimirum sacrum audiendi, vel accedendi ad Eucharistiam; & lethale peccatum confitendi; quod quia est iuris diuini, arctius nos tenet, & adstringit, quàm illud prius, quod tantum est iuris Canonici. Sic videtur

sentire Sotus 4. distictio. 12. quest. 1. artic. 4. licet quidam oppositum affirmant moti auctoritate Pauli 4. distictio. 9. questio. 1. artic. 2. Armil. communium. 1. Adrian. in 4. questio. 1. de Eucharistia. Tabien. verbo Communicare. quest. 30. Siluest. Eucharistia 2. q. 7. Sed hi, & alij ideo sic sentiunt, quia putant præceptum confessionis, ante Eucharistiam esse solum iuris Canonici. Idem est iudicandum, quando quis vel sui, quod fecit, voti religione, vel superioris iussu percipere Eucharistiam debet. Si enim lethali peccato fuerit obstrictus, nec sit cui confiteatur, ab Eucharistia abstinerebit: votum enim emissum, & acceptum à superiore mandatum interpretari debemus in eum sensum, vt cum diuino iure non pugnet.

Quinto quæritur, An sacerdos, qui peccatis generetur, quorum absolutio reseruata esset Episcopo, quem adire commodè non posset, tuta conscientia sacrificaret, aut Eucharistiam perciperet? Respondeo, si absque infamia, vel offensione aliorum continere se nequeat, iure ad Eucharistiam accedit: aliter verò abstinere necesse est.

Sexto quæritur, Quid sit dicendum, si Titius excommunicatione occulta, suspensione, vel irregularitate teneatur obstrictus, quippe, qui Clericum occultè percusserit, vel quempiam occiderit, qui nisi rem diuinam faciat, vel Eucharistiam suscipiat, alios offendet, aut ipse dedecus & infamia, vel etiam mortis periculum incurret: An ab Eucharistia abstinere se debeat? Respondeo, duas esse opiniones: Vna affirmat posse sine peccato ad Eucharistiam accedere. Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 239. & de poenitent. distictio. 6. cap. 1. §. Laboret. num. 24. Armilla excommunicatione. num. 9. Tabien. excommunicatio. 1. num. 6. Corduben. libro 1. questio. 35. ad finem. Castr. lib. 2. de lege poenali, cap. vltimo, hi omnes ita distinguunt. Aut Titius aliorum offensionem, vel infamiam commodè euitare potest, aut non potest. Si primum, opus est, vt Eucharistiam omittat. Si secundum, tuta conscientia ad eam accedit; quia iure naturali alienâ offensionem, vel nostrâ infamiam cauere, fugere, & vitare oportet. Excommunicationes autè, ac ceteræ Ecclesiasticæ poenæ sunt tantum iure Canonico constitutæ. At arctiori vinculo nos naturalia, quâ Canonica præcepta constringunt.

Alterâ sententia est aliorum, qui generatim videntur negare, Titium posse iure ad Eucharistiam accedere. Siluest. Excommunicatio. 3. in effectibus. Sotus 4. distictio. 12. questio. 1. artic. 4. Couarruias in cap. Alma mater. par. 1. §. 2. num. 11. Medina in sua instructio. cap. 11. ratio eorū est, Ecclesiæ lege Titius est inhabilis ad Sacramenta recipienda, siue ministranda. Certè negari non potest, quin sit valde probabilis prima sententia: neque enim videtur Ecclesia cum tanto periculo, videlicet mortis, vel infamiae, & dedecoris nos voluisse obligare. Nam Sotus in 4. distictio. 18. quest. 2. artic. 5. ad finem, idè concedit, cum ait: tunc non licere nobis ad Eucharistiam accedere, nisi grauisima esset aliorum offensio sequenda.

Septimo quæritur, An si sacerdos nullus adfit, qui confessionem audiat, legitime approbatus, aut adfit quidem vnus, sed qui non fit ab excom-

municatione, alijsq; similibus pœnis solutus, & liber, iure ei confiteri queat Titius, vel rem diuinam facturus, vel Eucharistiam percepturus, ne ad eam accedat absque confessione? *Respondet*, nequaquam; quia tunc perinde res se habet, ac si absit copia Confessarij: vt si tunc temporis graue infamiae damnum subire Titius cogatur, vel alijs offensionis causam præbeat, tuto ei licet ad Eucharistiam accedere. Confessio autem tunc non est facienda, quia sacerdos, qui non sit legitime approbatus audire confessiones nequit, præterquam in mortis periculo. Qui item nominatim excommunicatione tenetur, iurisdictionem non habet, quâ possit a peccatis absolueri.

Octauo queritur, An Titius sacrificaturus, vel Eucharistiam percepturus, tuta conscientia, tunc ad Sacramentum, vel sacrificium accedat absque sacra peccatorum confessione, eo quòd alium sacerdotem expectet, cui religiosius, & commodius confiteri queat? *Ricardus in 4. distin. 17. artic. 3. quest. 6. id concedit Angelus Eucharistia. 2. quest. 5. Tabien. communicare. quest. 30. & Adrianus in 4. quest. 1. de Eucharistia id quoque fatentur, sed restrictiuis, videlicet cum quis præcepto cogitur sacrificare, aut Eucharistiam suscipere. Sotus autem, Siluester, & Cordubensis locis citatis, negant generatim, id licitum esse facere. Et hoc mihi magis probatur: nam satis est, si idoneum sacerdotem nactus sit, cui commode sua peccata confiteatur.*

Nono queritur, An sicut, cum sacerdos iuxta Concilij Tridentini decretum, necessitate urgente, absque vlla confessione sacrificium faciens, debet, quum primum commode poterit, confiteri; idem etiam sit de laico iudicandum, ita vt si absque confessione, quam facere non potuit, Eucharistiam perceperit, confiteri cogatur, quum primum postea poterit? *Nauarrus* sentit in *Manuali, cap. 2. num. 10. idem iuris esse de Laico, quod de sacerdote, quoniam eadem ratio videtur esse de vtroque. Cæterum alijs probabilius videtur oppositum. Nam sacerdos ideo debet quam primum potest confiteri, quia frequenter Missæ sacrificium facit, ideoque necesse est, vt sit legitime probatus ad sacrificandum: at verò Laicus Ecclesie præcepto non nisi in Paschate cogitur ad Eucharistiam accedere. Quare si causa offensionis, vel infamiae vitandæ absque confessione Eucharistiam in Paschate percipiat, non cogitur præcepto, statim atque potest, confiteri: sed tuto ei licet confessionem differre ad annum proximè sequentem. Mihi magis placet sententia Nauarri: nam eadem videtur ratio de Laico, quæ est de sacerdote; licet Concilium solum meminerit sacerdotis, de quo sermo erat.*

Decimo queritur, An sacerdos, qui sibi conscius peccati lethalis citra confessionem Missæ sacrificium facit, cum alioqui posset commode confiteri, peccatum admittat duplici deformitate grauatam, videlicet sacrilegij, quia indignè sacrificium facit, & omisæ confessionis, quam ante Missæ sacrificium facere deberet? *Quidam*, è quorum numero videtur esse *Canus de peniten. par. 4.* affirmant, eo argumento permoti, quòd

duo simul præcepta violauerit. Verum probabilius alijs opinantur, vnus tantum peccati deformitatem, & maculam contrahere; quoniam etsi præceptum est datum de Confessione ante Eucharistiam, vel ante Missæ sacrificium faciendâ; id ideo est, vt dignè, & idoneè præparati tantum Sacramentum sumamus, aut ad tantum sacrificium accedamus: ergo qui sumit, vel qui sacrificat, cum confessus ante non sit, in eo solo peccat, quòd sacrilegium admittit, indignè accedens ad Sacramentum, vel sacrificium. *Parietiam* ratione qui absque debito cordis dolore sacram Communionem acciperet, vel Missæ sacrificium faceret, quando commode confiteri non posset, vnus sacrilegij peccatum committeret, scilicet indignè sumendo, vel indignè sacrificando. *Nec* his obstat, quòd duo præcepta frangantur: non enim ob præceptorum numerum peccata multiplicantur, sed ob diuersitatem præceptorum ad diuersas virtutes pertinentium: at præceptum faciendæ confessionem ad Eucharistiam sumendam; vel ad Missæ sacrificium faciendum datum est, vt digna tantæ sacramenti perceptio, & digna tantæ hostiæ immolatio, & vbi vnus præceptum propter aliud constituitur, ibi vnus tantum est præcepti violatio.

Vndecimo queritur, An sacerdos, qui cum confessus non sit, quando confiteri commode posset, vel qui de lethali peccato non dolet, quando confiteri nequit sacrificat, peccatum incurrat multis deformitatibus confans; his nempe: quòd indignè consecret; indignè offerat, ac indignè infumat corpus, & sanguinem Domini? *Quidam* putarunt in hoc sacrilegio tres esse peccati prauitates. Sed alijs verius dicunt, vnus tantum peccati esse deformitatem.

Nam vnus est tantum sacrificium quamuis tribus partibus consistat, Consecratione, Oblatione, & Sumptione: quare quemadmodum tres eiusmodi partes vnus sacrificium constitunt; sic etiam qui indignè sacrificat, vnus tantum peccatum admittit, quòd tribus in partibus consistit, nimirum, in indigna consecratione, indigna oblatione, & indigna sumptione.

Duodecimo queritur de corporis immunditia, An qui per quietem se noctu polluit à sacrificando abstinere debeat? *Respondet* S. *Tho. 3. par. 7. ar. 7. cuius* sententia communi consensu recepta est; Aut huiusmodi nocturna pollutio est lethale peccatum, vel ex lethali peccato proueniens: & impedit quo minus sacrificare sacerdoti liceat: aut est prorsus absq; vilo lethali peccato, & nihil impedit sacrificium. *Quæres*, quo modo intelligat S. *Thomas* nocturnam pollutionem esse cum lethali peccato? *Resp.* ille talem esse; cum quis sua sponte, ac voluntate se polluit, aut se oblectat, dum vigilat in pollutione, quæ per quietem accidit, aut cum nocturnæ pollutionis causam sciens, & spontè præbuit; & causa fuit cum lethali peccato data, aut eam optauit.

Decimotertio queritur, An quando nocturna pollutio talis est, qualem S. *Thomas* describit, impediatur Missæ sacrificium eo die, etiam post debitum cordis dolorem, & confessio-

nem pec-

nem peccatorum factam? Quidam, vt Gabriel, *super Canon. Missæ. lect. 10. testatur*, videntur asserere, post huiusmodi pollutionem omnino esse sacrificio abstinendum intra viginti quatuor horarum spatium, etiam si qui pollutus in somno est legitime de huiusmodi peccato doleat, illudque confiteatur. Et certè id asserere videntur grauis simi Theologi. *Alexan. p. 4. q. 47. m. 1. art. 1. Alber. 4. d. 9. art. 10. S. Thom. 4. dist. 9. q. 1. art. 4. & 3. p. q. 80. art. 7. ad 3. Ricar. 4. dist. 9. art. 2. q. 3. Palud. 4. dist. 9. q. 2. art. 2. & Bonauen. 4. dist. 12. art. 1. quest. vlt. Gabr. loco citato.* Fortassis olim fuit Ecclesiæ præceptum, vt à sacrificando intra illud tempus abstinere. Sed quidquid sit de huiusmodi præcepto Ecclesiæ, quod mihi non videtur impositum fuisse, multò verius est, quod alij docuerunt, fas esse sacerdoti die sacrificare, præmissa confessione cum legitimo cordis dolore: nulla quippe aliud quodlibet lethale peccatum, modò illud sit dolore legitimo, & confessione expiatum, sacrificium impedit, ergo nec nocturna pollutio. Deinde, nulla est nunc lex, quæ id prohibeat. Respondent aliqui nocturnæ pollutionis peccatum minimè sacrificium impediri, quia sit peccatum ceteris grauius, atque deterius, sed quia mentem, & animum cogitationibus perturbat, ac distrahit.

Sed quid, si huiusmodi cogitationes minimè in mentem veniant, aut si venerint, nihil tale efficiant? Accedit, quod ex alijs etiam peccatis similes cogitationes in animo oriuntur, & surgunt. Adde, eiusmodi cogitationes non esse voluntarias, quod si voluntati placuerint, ita vt in vitio, & culpa sint, tunc non nocturna pollutio, sed ipsa animi cogitatio mala sacrificium impedit.

QVÆRES, an si pollutio post mediam noctem acciderit, sacerdoti impedimento sit, ne eo die iure sacrificet? Paludanus affirmat eam impedire, etiam si per dolorem, & confessionem pollutio expiatur; quamuis cum communi opinione fiteatur, ante mediam noctem pollutionem contingentem minimè impedire. Sed constans est ceterorum opinio, eam quoque minimè obstat, quo minus sacrificium fiat. *Sotus 4. dist. 12. q. 1. art. 7. Ledesm. 4. dist. 21. art. 7. Caiet. in sum. verbo, Communio, ad finem. Cordub. lib. 1. q. 7. Nauar. in sum. cap. 21. num. 51. Angel. Eucharistia. 2. q. 28. & 29.* QVÆRES, insuper, an S. Thomas, Bonaventura, Alexander, & Albertus locis citatis, in hac controuersia primam opinionem reuera sequantur? Quidam arbitrantur eos primam illi opinioni adhaerisse, sed meo iudicio id aperte non sentiunt: nam Sanctus Thomas solum habet: Pollutus etiam contritus, & confessus ex quadam congruitate, non tamen ex necessitate præcepti debet se abstinere ab Eucharistia. Ceteri verò supradicti Doctores tantummodo id ipsum sic innuunt: Pollutus etiam contritus, & confessus debet abstinere ab Eucharistia, nisi aliud necessitas exigat. Sed apud eos auctores verbum (debet) non significat præcepti, vel legis necessitatem, sed æquitatem quandam, & honestatem; quasi dicere voluerint, debet qui sic est pollutus, ex æquo, bono, & honesto ab Eucharistia abstinere.

Dices; eos auctores citare ac proferre veteris Testamenti leges, Exodi 19. Leuit. 15. Deuteron. 23. & 1. Reg. 21. in quibus pollutus iubebatur vique

ad Vesperam extra castra manere. Respondeo eiusmodi leges ab hisce auctoribus in medium adduci ad indicandum ex æquo, & bono ab Eucharistia sibi temperare debere pollutum.

Decimoquarto queritur, An saltem veniale peccatum admittat, qui post pollutionem nocturnam etiam confessione cum debito animi dolore præmissa, ad sacrificandum accedit? An item veniale noxam incurrat sacrificans post pollutionem nocturnam absque vilo peccato accidentem? Alexander, Albertus, Bonaventura, & S. Thomas videntur innuere veniale peccatum committi in vtroque. Sed certè probabilius est oppositum: si per se loquamur, non de accidenti extrinseco: quoniam nullo iure, lege, aut ratione, firma, & efficaci conuinci possumus, vt id credamus: & supradicti Theologi potius de æquitate, & honestate, quam de legis necessitate videntur locuti.

Cap. XXXII.

Quaedam alia questiones de Missæ sacrificio diluuntur.

PRIMO queritur, An lethali peccato se obstringat sacerdos, qui Missæ sacrificium inchoatum non perficit? Respondeo, consecratione facta, Missam inceptam relinquere, lethale peccatum esse: quæ constans est Theologorum opinio, quam habet Nauar. *de Orat. cap. 16. num. 55.* Sed dubie questionis est, an inchoata Missa, nondum facta consecratione, relinqui absque lethali peccato possit? Profecto, qui citra causam iustam, & legitimam, imperfectum Missæ sacrificium relinquit, vix effugit lethale peccatum: quoniam in cap. Nihil. 7. quest. 1. & c. Nullus. de consec. dist. 1. & cap. Illud, eade causa, & questione, strictè & seuerè præcipitur, ne sacrificium Missæ imperfectum relinquatur, constituta poena, vt qui id fecerit, excommunicacione feriatur.

Secundo queritur, An qui Missam relinquit inchoatam, ipso iure in aliquam excommunicacionem maiorem, vel minorem incurrat? Quidam affirmant, inter quos videtur esse Palud. in 4. dist. 11. q. 1. art. 1. quamuis meo iudicio id aperte non dicat: & probant ex Decretis paulo ante allatis. At probabilior est Nauarri in *tract. de Orat. cap. 16. num. 58.* & in *Miscell. de Orat. 86.* sententia, in nullam incidere excommunicacionem: quoniam citata iura solum denunciant, & statuunt huiusmodi Presbyterum excommunicacione ferendum, vel ab officio amouendum ad tempus. Idem quoque sentiunt Angel. in verbo, Eucharistia. 2. §. 2. & sequentibus. Silu. Eucharistia. 2. q. 7.

Tertio queritur, An Missa incepta iure relinquatur ob eam causam, quod vir aliquis princeps, & illustris, ad rem diuinam audiendam accesserit post generalem Sacerdotis peccatorum confessionem, aut etiam post Angelicum Hymnum, Gloria in excelsis Deo, aut post Epistolam quoque recitatum? Respondeo cum eodem Nauarro locis supra citatis, talis viri aduentum, iustam esse causam, & probabilem iterum Missam inchoandi: vt si Cardinalis, Episcopus, Dux, Marchio, vel Comes accesserit, & petierit, vt Missa incepta repetatur.

Quarto

Quartò queritur, An Sacerdos, qui promissè facturum pro mortuis sacrum funebre, promissis satisfaciat aliud sacrum, quod non est funebre faciens? *Respondeo*, minimè, quando commodè potest promissum sacrificium facere: nam licet sacrificium ex parte rei oblatæ æqualis sit fructus, & ponderis: ex parte tamen precationum, quæ Ecclesiæ institutione, ac nomine, in Missa funduntur, non est æquale: in Missis enim, quas constituit Ecclesia pro ijs, qui obiit, sunt propriae preces, quæ funduntur pro mortuis, quæque tum ipsum Sacerdotem, tum circumstantes excitant, inuitant, & mouent ad precandum pro ipsis; quibus fructibus, & commodis mortuos priuat Sacerdos, qui aliud sacrum facit: quare ut promissioni suæ satisfaciat, iure id alijs precibus, & sacrificijs compenſabit, ut rectè Siluester, Angelus, & alij annotarunt.

Quintò queritur, An Presbyter, vel beneficio Ecclesiastico præfatus, qui quotidie ratione sui muneris pro ijs, qui decesserunt, sacrum funebre facere debet, iure faciat sacrum, quod diei occurrenti, ab Ecclesia assignatum est? *Respondeo*, in hunc modum: si in eum diem incidat aliqua celebritas, quæ in Ecclesiastico officio Duplex, aut Semiduplex appellatur, citra peccatum, eiusmodi sacrum dictæ celebritati conueniens facere potest: immo aliquando fatius est tale sacrum offerre: ut si fuerit dies Dominica, vel alia aliqua celebritas solemnior: tum quia potius est regulis, præceptionibus, & Rubricis parendum, quam testatoris verbis, qui mentem suam, & voluntatem Ecclesiæ institutioni accommodare debuit; tum etiam quia si testator nunc adfuisset, hoc proculdubio voluisset. Et quo fit, ut si Cappellanus institutus sexta quæque feria cuiuslibet Hebdomadæ debeat sacrum facere quinque plagarum, aut Sanctæ Crucis, Passionisue Dominicæ, & in eam feriam incurrerit Natalis Domini, vel aliqua alia celebritas, facere debeat sacrum ei celebritati in officio Ecclesiastico destinatum: & idem iuris est de alijs Missarum sacrificijs, ad quæ faciendâ Cappellani esse adstricti consueuerunt.

Sextò queritur, An si quis à Sacerdote petierit uti cras certum quoddam sacrum faciat, quod diei crastino minimè conueniat, satisfaciat Sacerdos ille habens in animo sacrum, quod diei crastino congruit, facere? *Respondeo*, satisfacere: quoniam hæc laicorum postulata, ut rationi sint consentanea, debent cum Ecclesiæ regulis, & præceptionibus congruere: trudes enim homines, & ignari in die etiam Natali Domini, & in ipso Paschate solent petere à Sacerdotibus, ut pro mortuis funebre sacrum faciant, & offerant.

Septimò queritur, An in diebus festis præcipuis decantari iure queat sacrum funebre? *Respondeo*, si funus ad templum deferatur, ut mortuus sepulturæ mandetur, licitum esse pro eo sacrum funebre solemnè ritu, & cæremonia decantare; dummodo publicum, ac solemnè diei festo sacrum conueniens non impediatur: est enim cõsuetudine receptum, ut mortui sine tali sacro manè minimè sepeliantur, & iura solùm constituunt, ne in hisce diebus Missa temporè congruens præmittatur. *SI QVÆRAS*, an in diebus profestis fas sit Sacerdoti sacrum facere pro sui animi vo-

to, & sententiæ, eo prætermisso quod temporè conuenit? Quidam opinantur non esse licitum id facere, eo quòd in cap. *Quidam*, De celebr. Missa reprehenduntur ij, qui singulis diebus peculiaria Sacra Sanctæ Trinitatis, & Sancti Michaelis audiebant, & sacra temporè congruentia negligebant. Cæterum, ut Glossa, & Abbas, ac cæteri communi consensu docent, in eo capite solùm reprehenduntur, qui id faciebant superstitiosa quadam religione moti: & statuitur ibi, & in cap. Et hoc De consec. Dist. 1. ne sacra temporè conuenientia absque iusta, & debita causa præmittantur, quæ verba Panormitanus, & Glossa sic exponunt: in Ecclesijs, in quibus plures sunt Sacerdotes, uno faciente sacrum, quòd diei est accommodatum, cæteris licitum est arbitratu suo sacrum facere, quòd ipsis liberit: in Ecclesijs vero, ubi vnum tantum est Sacerdos, si sacrum facere debet, quòd temporè conuenit: non igitur relinquendum est sacrum temporè conueniens sine iusta causa.

Octauò queritur, An Latinus Sacerdos lethaliter delinquat, si in pane fermentato corpus Domini consecret? *Respondeo*, grauiter peccare: quoniam licet Græci Sacerdotes in fermentato corpus Domini consecrant, latina tamen Ecclesia in Eucharistia consecranda, pane azymo, non fermentato vitur, & in Concilio Florentino statutum est, ut vnaquæque Ecclesia suum morem, & vsum sequatur, & seruet. Et in c. vii. de celebr. Missa, cuidam Latino Sacerdoti officium abrogatur, & beneficium aufertur, eo quòd in fermentato pane consecrauerit.

Cap. XXXIII.

De vitijs, & erratis, quæ in Missa contingunt, quemadmodum ea corrigi, & emendari queant.

A Nimaduertendum est, in Missæ sacrificio errores casu, nescio quo, interdum euenire, quare videndum est, quo modo illi corrigantur: hi autem ad sex potissimum capita reuocantur.

Primo queritur, quid faciendum sit, quando Sacerdos antequam sacrificium absoluat, morte corripitur, aut morbo graui aliquo, vel alio calu præpeditur? *Respondeo* S. Tho. 3. p. q. 83. art. 6. ad 1. cuius sententiæ ab omnibus recipitur, vel id euenit ante consecrationem, aut post eam. Si primum, nullo iure, aut præcepto cogitur sacrificium absoluerè: si secundum, tunc debet sacrificium per alium Sacerdotem ad finem vsque perducere. Sic olim Concilium Toletanum statuit, quòd citatum est à Gratiano in cap. Nihil. 7. q. 1. *QVÆRAT ALIQUIS*, an tunc temporis sit sacrificium consummàdum necessitate legis siue præcepti: si quidem in hoc Nihil. solùm habetur, liberum esse Episcopo, vel Presbytero tunc Missam perficere. S. Thomas loco citato, cui ferè omnes adhæserunt, videtur insinuare iuris esse diuina, ut tunc sacrificium per alium Sacerdotem expleatur. Quibusdam tamen alijs visum est complendum esse sacrificium per alium, ubi populus adesset, alioqui inde causam offensionis accepturus, secus non item: Probabilius est, quòd S. Thomas docet. Sed numquid necessariò ieiunus erit Sacerdos ille, qui Missam eiusmodi inchoatâ absoluet, ac perficiet? Cõuenit inter omnes, ieiunū esse oportere. Illud maiorem dubita-

dubitationem habet, quid erit tunc consilij capiendum, quando ieiunus sacerdos nullus adest? Ait Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 6. fas esse sacerdoti non ieiuno sacrificium absolueri, quod arctioris sit vinculi lex de sacrificio complendo, quam præceptum de Eucharistia à ieiuno percipienda. Verum tamen si in cap. Nihil, præceptum non datur de perficienda Missa, tunc si nullus adsit ieiunus sacerdos, sacrificium non est finiendum, cum in eo capite liberum relinquitur, ut possit absolui. Quod si sacrificium non compleatur, tunc species consecrate seruari debent in pixide, vel in alio vaseculo, ut in die proximi sequenti infumantur. Deinde quamuis Glossa in eo capite doceat sacrificium perfici non posse, si meridies effluerit, verius tamen est posse: quia Missa post meridiem inchoari quidem nequit, at si ante meridiem inchoata fuerit, iure continuatur atque finitur, ut docet Nauarr. Missal. 76. num. 6. ubi ait, id omnes confiteri. Sed quid si eo tempore inueniatur tantummodo sacerdos, aut lethali peccato infectus aut excommunicatione, vel irregularitate obstructus? Ait Sotus ei sacerdoti licere sacrificium absolueri, si grauis alioqui secutura sit cæterorum offensio: quia sublata, nõ item. Si pergas querere, vndenam incipiet is, qui vicem explet prioris sacerdotis? Respondeo, inde, ubi alius reliquit, nisi quod formas consecrationis debet integras proferre, si alter inchoatas tantum reliquerat: nam ex verbis à primo sacerdote prolatis, & ex his, quæ secundus profert, integra consecrationis forma non fit.

Secundo queritur, Quid sit facturus sacerdos, qui post sacrificium inceptum, meminit se non esse peccata confessum, vel non esse ieiunum, vel excommunicatione, vel irregularitate affectum? Respondeo ex communi sententia, quam habet S. Thomas 3. par. 83. art. 6. ad 2. Si horum aliquid in memoriam venerit post consecrationem corporis Domini, sacrificium omnino esse finiendum: nam arctioris est vinculi præceptum absoluedi sacrificium, quam cætera, si verò ante consecrationem id contigerit, S. Thomas videtur inuere potius esse sacrificium relinquendum, quam illud prosequendum. Attamen id solum docere vult, meo quidem iudicio; quando commodè sacrificium relinqui potest absque vlllo sacerdotis, & aliorum astantium detrimento, & incommodo, potius esse à sacrificio cessandum, quam ultra procedendum. Si tamen probabiliter oritura eredatur adstantium offensio, vel sacerdotis infamia, tunc præstat sacrificium perficere. Hæc est Soti, Angeli, Siluestri aliorumque sententia.

Tertio queritur, Quid factu opus sit, si in calicem consecratum aranea deciderit, vel si fuerit venenum infusum, vel aliquid aliud noxium, aut quod vomitum excitet? Vna est omnium sententia, quam habet S. Thomas 3. par. q. 83. art. 6. ad 3. id si ante consecrationem acciderit, aliam hostiam; vel vinum esse consecrandum relicto, & abiecto priore; si autem post, extrahendum esse id, quod est noxium, & species consecratas sumendas, si verumque non incommodè fiat: si minus, extractio animalculo, vel veneno, species in sacramentum sunt proijciendæ, ut statim dicemus;

atque eadem ratio est de veneno, vel bestiola quando separari, & disungi à speciebus consecratis nequit. Querat quispiam, an si hoc acciderit in specie vini, sit aliud vinum de integro consecrandum? S. Thomas affirmat, cæteri verò negat. Liberum est Lectori quam malit sententiam amplecti, videlicet, an sit iterum consecrandum vinum vna cum pane, si prior species panis fuerit à sacerdote consumpta, ut sentiunt Paludan, 4. dist. 11. quest. 1. art. 1. conclus. 5. Silu. Eucharistia. 2. q. 9. dicto 1. An vinum tantummodo, ut putat Sot. 4. d. 13. q. 2. a. 6. ad 3.

Quarto queritur, quid fiet, si sub altera specie mirabiliter diuino nutu, caro, vel sanguis appareat? S. Thomas, 3. p. q. 82. art. 4. ad 3. respondet sacerdotem minime cogi aliam speciem consecrare, nam eo ipso, quod Dei voluntate id contingit, soluitur sacerdos lege denuo consecrandi aliam speciem, & sumendi. At idem S. Thomas, Sotus, 4. d. 13. q. 2. art. 4. ad 3. & quidam alij opinantur, non quidem esse præceptum consecrandi, & percipiendi aliam speciem; sed prudenter, & rectè facturum si denuo consecret, & sumat. Quidam tamen alij simpliciter negant id esse faciendum.

Quinto queritur, Quæ ratio sit ineunda sacerdoti, qui cum sanguinem sumit, comperit non fuisse in calicem vinum impositum, sed solam aquam? sentiunt omnes cum S. Thomas 3. par. q. 83. a. 6. ad 1. cum id perceperit ante consecrationem, denuo vinum apponi oportere: cum post consecrationem verò, alterum vinum esse consecrandum, & sumendum; quoniam vtriusque speciei consecratio in Missa fieri debet, & vtraque eisdem speciei à sacerdote sumi. Quæres, quid faciet sacerdos, ubi nouerit aquam in calicem non fuisse infusam, aut non fuisse naturalem aquam, sed arte factam, ex herbis, aut alia quavis materia expressam? Resp. non esse propterea aliud vinum consecrandum: quoniam aqua est quidem vino miscenda, cum id Ecclesia præcipiat; sed ad substantiam consecrationis non pertinet; quare consecratio vini sine aqua rata est, & firma. Et idem iuris est, si non naturalis, sed arte confecta, fuerit aqua in calicem infusa. Hæc S. Thomas loco citato.

Verum id dubitationem habet, an tunc temporis, cum aliud vinum est denuo consecrandum, consecrari quoque debeat alia species panis denuo, an verò satis sit, vinum tantummodo consecrari? Dux sunt opiniones, vna docet aliam speciem panis consecrandam esse, siue prior nondum sit absumpta, siue iam consumpta. Alij autem non esse denuo panem consecrandum, si prior species nondum fuerit absumpta, at si ea consumpta fuerit, aliam denuo consecrari debere. Ita secundum aliquos sensit S. Thomas 3. par. quest. 83. artic. 7. ad 4. & alij, quod inde probant, quia sacrificium fieri, & offerri integrè debet: at ex panis specie, quæ est sine vino consecrata per se sola, integrum sacrificium non est factum, cum sit sine vino consecrata, & sumpta; quod si vinum denuo tantummodo consecratur sine pane, integrum etiam sacrificium non fiet, quoniam sanguis Domini sine corpore

corpore

corpore consecrabitur, cum hostia ante consecrata, & consumpta in altari non sit. Si illis opponas, Ante fuerat panis consecratus, ergo ex illo, & ex vino, quod denuò consecratur, constat integrum sacrificium. Contra respondent illi nihil argumento concludi, quia panis, qui fuerat ante consecratus, ad aliud sacrificium pertinuit, ergo ex illo, qui non amplius in altari est, utpote iam ante consumptus, & ex vino denuò consecrato non fit vnum sacrificium.

Secunda opinio est, solum vinum consecrari oportere: quæ Scoti est in 4. dist. 8. q. 3. ea ratione firmata, quòd nec iure, nec vllò argumento efficaci concluditur rursus esse panem consecrandum, sed tantum suppleri debere, quòd defuit; at sola vini consecratio defuit, hæc igitur sola est addenda. Deinde sacrificium Missæ, duarum specierum consecrationibus constat, videlicet panis, & vini, ergo cum vna sola defuerit, satis est eam adiungere. Sotus alioqui S. Thom. discipulus, distinguit in 4. dist. 13. quest. 2. art. 6. ad 4. hunc in modum: *Ant Missæ, inquit, sacrificium est publicum, & solemne, & tunc satis est vinum tantummodo consecrare: nam si panis consecratur; notabilis erit populi adstantis offensio. Si autem priuatum sacrificium fiat: tunc inquit, vinum solum, & panis consecrari debent. Sed reuera nihil S. Thomas in hac parte distinguit, sed generatim loquitur: nam putat iuris esse diuini, vt sacrificium vtriusque speciei consecratione constet, & simul etiam credit panem prius consecratum ad aliud sacrificium pertinere. Scotus verò censet, ad sacrificium quidè iure diuino vtriusque speciei consecrationem requiri, sed ex pane ante consecrato; quamvis iam absumpto, & vino, quòd denuò consecratur, vnum fieri sacrificium: Concludit itaque S. Thomas esse aliam panis speciem denuò consecrandam, eo quòd solis verbis consecrationis sanguinis fieri iure non debet ipsius sanguinis consecratio; sed repeti omnia verba necesse est, quæ post calicis consecrationem dici solent, at ea verba aptè, & commodè non iterantur sine specie panis in altari existente, cum multa de vtraque specie consecrata dicantur. Sanè hac in parte vtraque sententia probabilis est; sed meo iudicio saltem Soti sententia videtur tenenda: nec enim video rationem satis firmam, quæ conuincat ad asserendum aliam panis speciem esse consecrandam: nec sine populi adstantis graui offensione panis consecratio repeteretur.*

Sextò quæritur, Quid fiet, si cum Sacerdos viderit non fuisse in calicem vinum, nihil in templo vini reperitur, ita vt si sit denuò vinum consecrandum, mitti aliquis debeat per mediam plebem ad vinum aliunde deferendum? Respondet, tunc temporis vini consecrationem commodè fieri non posse absque notabili plebis offensione; ac proinde parum, aut nihil est incommodi, si tunc sacrificium imperfectum sine vini consecratione maneat; nam arctioris est vinculi ius naturale, quàm diuinum scriptum, aut positum.

Septimò quæritur, quid sit faciendum, si species consecrata à Sacerdote sumi nequeant, eo quòd Turcarum vel Hæreticorum, aut Paganorum subitus aliquis incurfus irrumpat. Suadent aliqui, species igni esse exurendas, si id fieri pos-

sit: Alij verò, esse in certo loco reponendas, ex quò deinde resumantur; aut eas Sacerdotem secum deferre debere. Si ROGES, si falne sit Sacerdoti non ieiuno eas tunc temporis edere, cum dicitur, sacerdoti non ieiuno, qui sacrum faciendo consecrauit species? Respondet, fas esse ob hostium, quòd imminet periculum deuitandum; ne si forte, in sacrilegas eorum manus veniant, impiè, & nefariè ab eis conculcentur, traudentur, ac pereant.

Octauò quæritur, quid erit de speciebus consecratis faciendum, cum putrefactæ corruptæque sunt? Respondet, eas esse igni comburendas, earumque cineres in sacro aliquo templi loco reponendos, vel certè in sacram piscinam mittendos. Idem dicendum, si animal consecratas species deuorauerit, si enim capiatur, tradendum est igni, & cineres eodem modo vel in piscinam mittendi, vel in alio aliquo templi loco mundo & commodo reponendi.

Nondò quæritur, quid factò opus sit, cum ob intemperiem frigoris, torpente manu Sacerdotis, panis species delabitur in Calicem siue ante, siue post fractionem eius? Respondet S. Thomas 3. par. q. 86. art. 6. ad 6. nihil esse tunc iterandum.

Decimò quæritur, de eo Sacerdote cuius negligentia sanguis Christi effunditur, aut cuius infirmitate Sacramentum sumptum euomitur, quæ poena puniri debeat? Respondet S. Thomas 3. par. q. 80. art. 3. ad 7. id fieri debere quòd statuitur in cap. Si per negligentiam, & cap. Si quis, & cap. Qui non bene. De Consec. dist. 8.

Cap. XXXIV.

De ijs, quæ in Missa adhiberi solent, ceremonijs, & ritibus.

Primò quæritur, Vnde, & quare Introitus Missæ dicatur, & quibus ille partibus constet? Respondet introitum Missæ inde nominatum, quia cantatur à Choro in ingressu Sacerdotis ad altare, vt Micrologus de Ecclesiast. obseruat. cap. 1. Rupert. lib. 1. de diuin. offic. cap. 27. Raban. lib. 1. de institut. Cleric. cap. 33. annotarunt. Vel iuxta aliorum sententiam, dictus est Introitus Missæ, hoc est Procemium, & Initium Missæ, sic Conrad. lib. 1. ceremoniar. cap. 1. vel quòd alij testantur, vt Renanus apud Tertullianum de corona militis, quia olim canebantur à Clericis, dum conueniebat, & introibat populus in templum. Alijs demum introitus videtur dictus à primo verbo, quo vtitur Sacerdos, in ingressu ad altare: nam sacrificium incipiens, ait: *Introibo ad altare Dei*; qui versiculus est in Missa peruectus, vt constat ex Liturgijs Basilij, & Chrysofolomi; & ex Ambrosio. Sed hic versiculus non ad Introitum pertinet, quia antecedit Introitum. Constat enim Introitus Missæ Antiphona, vno Psalmi versiculo, & versiculo Gloria Patri, &c. Porro ante Introitum Missæ Institutione antiqua Ecclesiæ, facit Sacerdos generalem peccatorum confessionem: sed quis eam addiderit Missæ, certò non liquet, quamvis quidam Damaso tribuant. Vsum verò confessionis ante Missæ Introitum antiquum esse patet ex Micrologo, qui planè testatur præmitti solitam confessionem, & Liturgia S. Iacobi incipit à Confessione.

Deinde

Deinde Sacerdos ingressus ad altare Antiphonam dicit semper ex aliquo scripturæ loco desumptâ, & versiculum vnum aliquo item Psalmo acceptum, cum versiculo Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: nam olim Psalmi in introitu Missæ decantari solebant; postea verò pro toto numero Psalmorum est vnus tantum versiculus ex aliquo Psalmo retentus. Et communis quidem est opinio Cælestini Primum instituisse, vt initio statim Missæ, Psalmi canerentur Antiphonam, teste Anastasio Bibliothecario, cum antea Epistola tantum, & Euangelium legerentur ante Missæ sacrificium. Sic testatur Alcuinus *lib. de diuin. offic. cap. quid significent vestimenta. Amala. lib. 3. Ecclesi. offic. cap. 5. Raban. lib. 2. de instit. cleric. cap. 32. VValfrid. de rebus Eccles. cap. 22. Sigeb. in Chronico anno 426. dum de Cælestino verba facit. Microlog. de Eccles. obseruanti. cap. 1. Verisimile tamen non est id à Cælestino primum in Ecclesia introduci cœpisse. Nam Dionysius Areop. meminit Psalmorum, qui ante Missæ sacrificium cantabantur; Et Basilus in sua Liturgia ad introitum Missæ iubet tres, aut quatuor Psalmorum versiculos decantari. Fortassis Cælestinus in Romana Ecclesia primus cum morem induxit, cum in alijs Ecclesijs feruaretur, aut primus præcepit, vt Psalmi canerentur, cū antea de more solum, nō lege, & præcepto canebantur. Versiculū porrò, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & reliqua plerique putarunt consilio B. Hieronymi Damasum introduxisse. Cæterum, vt ex Theodoro *lib. 2. c. 24. & Sozom. lib. 3. c. 19. Tripartit. lib. 4. cap. 33. constat, ad finem Psalmorum hic versiculus in Græcia antea canebatur. VValfridus in *lib. de rebus Eccles. cap. 25. refert, vltimū & morè canendi huiusmodi versiculum à Nicæno Concilio esse constitutum. Concilium Valente Canon. 7. tradit, non solum Romæ; sed in toto etiam Oriete, & per Aphricam, post Gloria Patri, & c. addere hæc verba Ecclesijs conuenisse: sicut era in principio, & que sequuntur.***

Secundo queritur, quantæ antiquitatis sit cantus eius particule Kyrie eleison, & c. post introitum Missæ? Respondeo, eam Missæ partem esse perantiquam, vt indicant Liturgiæ B. Iacobi Apostoli, Basilij, & Chryostomi. Idem quoque Basilus in *epist. 63. ad Neocesarienses* de hac precatōe meminit. Nec minoris est apud Latinos etiam antiquitatis hæc particula. Nam Gregorius I. *lib. septimo, Epistol. 63.* cum accusaretur, quod eam Missæ partem, nempe Kyrie eleison, & alia quædā ex Græcorum cæremonijs, & ritibus accepisset, & in Latinam Ecclesiam inuexisset; respondit se anti quas Ecclesiæ Romanæ cæremonias conseruare, non autem ex Græcis accipere; eo vsus argumēto, quod apud Græcos Kyrie eleison dici solet simul ab omnibus; at apud Latinos, & in Romana Ecclesia dicitur à Clericis, & à populo respondeatur Christe eleison, & totidem vicibus dicitur apud Latinos, Christe eleison; quod apud Græcos nullo modo dicitur, sed simpliciter dicitur Kyrie eleison. Deinde in Concilio Vasensi centum quinquaginta annis ante Gregorij atatem celebrato *Canon. 3. statuitur, vt Sacerdotes in Gallijs ad Missam Kyrie eleison decantent, eo quod in Romana, inquit, & Apostolica Ecclesia, & in omni Italia, ea supplicatio ad Missam cani solet.* Porrò Kyrie elei-

son Græcis idem est, quod Latinis, Domine miserere.

Tertiò queritur, Quando primū in Missa hymnus Angelicus Gloria in excelsis Deo, cœperit decantari? VValfridus *lib. de rebus Eccles. cap. 22. Rupertus, Amalarius, Rabanus, Berno, & alij hanc institutionem Telephoro tribuunt. Annorandum tamen, in hymno prædicto multa esse adiecta verbis Angelorum, quis verò ea addiderit, non est admodum certum adhuc, & compertum. Innocentius III. credit Telephorum addidisse omnia; plerique verò totius additionis, Hilariū Episcopum Pictauiensem faciunt auctorem. Quidam aiunt, ea esse addita à Symmacho Pontifice Romano. Hoc testatur Berno *cap. 25. de officio Missæ.**

Quartò queritur, Vnde sumpta fuerit saluatio, qua Sacerdos in Missæ sacrificio populum salutat dicens, Dominus vobiscum? Respondeo, ex Hebræorum more, qui saluantes dicere solebant, Dominus tecum, aut Dominus vobiscum, vt constat Iudicum 6, Ruth. 2. 2. Paralipomenon. 27. Lucæ 1. cuius quidem salutationis in Missa vsus est antiquissimus, vt ex Concilio Vasensi, & Liturgijs S. Iacobi Apostoli, Basilij, & Chryostomi planè colligitur. Salutat verò sic populum Sacerdos, quoties eum excitat, vel ad precandum, vel ad audiendum. Meminit huius salutationis Soter Pontifex Romanus, vt est apud Burchard. *lib. 3. decreti cap. 7. 4. & apud Iuonem part. 2. capit. 127.* Edidit libellum de hac salutatione Petrus Damianus.

Quintò queritur, Quare preces, quæ in Missa cantantur, Collectæ dicantur? Respondeo, propriè Collectam dici Collectionem, & Conuentum populi frequentem. Ita vt dicta sit Collecta, quasi Collectio, sicut Remissa olim dicebatur remissio. Propriè igitur Collecta est coetus populi in vnum collectus. *Leuit. 23. est enim cæritus, Moyses inquit, atque collecta;* & *Deuter. 10. Collecta est Domini Dei.* Inde translatum est nomen, ad significandos dies festos, ac celebres, in quibus frequens populus cogebatur. *2. Paralipomenon 7. Fecit Salomon in die octauo collectam 2. Eldr. 8. & In die octauo collectam.* Deinde etiam Missa ipsa cœpit quoque collecta appellari, quia ad Missam totus populus conueniebat. Eleemosyna itidem, quæ in frequenti Christianorum conuentu in commune conferebantur, dictæ sunt collectæ. *1. ad Corinth. vlti. De Collectis autem, que sunt; & paulo post: Tunc collectæ stant.* Ita etiam preces, quæ populo in vñ collecto fundebantur, Collectæ dici cœperunt. De hac re *Microlog. de Eccles. obseruanti. ca. 3. VValfrid. de rebus Eccles. cap. 22. Hugo S. Victoris lib. 2. de offic. Eccles. cap. 16. QVAERES, cur in Missa preces certo, ac finito numero consent? Respondeo, nisi id ita fieret, quilibet Sacerdos arbitratu suo eas multiplicaret; quæ res populum fidelem tædio, ac fastiditate afficeret, eumque à re diuina frequentanda auocaret potius, quam alliceret, Durand. in *Rationali diuin. offic. lib. 4. ca. 15. Sed cur vna, aut tres, aut quinque, aut septem in Missa preces adhibentur? Respondeo, pro more vetere adhiberi posse vnâ, tres, quinque, vel septem: non plures vt ait Micrologus de Eccles. obseruanti. capit. 4. Radulph. de canonum obseruanti. propositi. 23. septem quidem, ob septem petitiones, quæ in oratione Do-**

minica continentur, vel ob septem Spiritus sancti dona: quinque autem, ob quinque Christi Domini plagas, & vulnera: tres, ob mysterium Trinitatis, vel quia Christus Dominus ante mortem suam in horto, ter orasse in Euangelij perhibetur: vnam, ob vnitatis diuinæ Sacramentum.

Sexto queritur, Vnde sumpta sit chori, vel Populi responsio, Amen ad singulas prope modum in Missa precesiones Sacerdotis? Respondeo, ex Hebræis, qui finitis Psalmis precationibus subiungere solebant, Amen; quasi dicerent, sit, vel, Fiat: hæc enim particula Amen, significat idem quod verè, vel certè. Vnde est, vel affirmantis, vel optantis. Et ideo Christus in Euangelio frequenter dicebat: Amen amen dico vobis, hoc est, verè dico vobis.

Septimo queritur, cuius sit antiquitatis lectio Epistolæ ad Missam? Respondeo, post Collectam, lectio accepta ex Propheta, Apostolo, vel aliquo alio Scripturæ sacræ libro, sequitur: & ut constat ex Clemente, Iustino, Tertuliano, ac Dionysio Areopagita, quos citat Durant. lib. 2. de ritib. Eccl. Cathol. cap. 18. mos iste desumptus est ex Apostolis, apud Hebræos autem, per omne sabbatū ex Prophetis in Synagogis Scripturæ legebantur Lucæ. 4. Act. 13. 17 & 18. Cum autem lectio petitur ex Prouerbis, Ecclesiaste, Sapientia, Cantico Cantorum, & Ecclesiastico, dicitur lectio Sapientia, quoniam omnes isti quinque veteris Testamenti libri, dici communiter solent sub nomine Sapientie: cum lectio ex Prophetis sumitur, lectio Prophetæ: cum ex Epistolis Apostolorum, lectio Epistolæ. Porro dum legitur Epistola sedet Episcopus, sedent, & ministri, ut testatur Amalar. lib. 3. de Eccl. officijs, cap. 10. Ruper. lib. 1. cap. 32. de diuin. offic. Innocent. lib. 3. de Myst. Missæ, cap. 34.

Octauo queritur, Vnde Graduale nomen accepit, qui se illud instituerit? Respondeo, Missæ responsoria, ut à cæteris Responsorijs distinguerentur, quæ in Horis Canonicis dici conueniunt, dicta esse Gradualia, eo quod dum Diaconus quibusdam gradibus ad suggestum ascendebat, Euangelium alta voce annunciatus à Choro cantabatur. Walfrid. lib. 3. de reb. Eccl. cap. 22. Ruper. lib. 1. de diuin. offic. cap. 34. Radulphus de Canon. obseruant. propositi. 12. Responsoria verò nominantur eo quod vno incipiente, alij respondēt, ut scribit Rabanus lib. 2. de instrum. C. eric. cap. 15. idem quoque dicit Isidor. lib. 6. Etymolog. cap. 19. & lib. 1. de Eccl. offic. cap. 8. Ne igitur tempus illud necessario interponendum Epistolæ, & Euangelij lectioni, otiosè transigeretur, adhibiti sunt eiusmodi versiculi: qui aliquando vocantur Gradualia, ob rationem assignatam, aliquando Tractus; aliquando etiam adhibentur profæ, siue sequentiæ sic dictæ. Gradualis institutionem, quidam in Gregorium I. referunt: Sigebertus verò, Rupertus, & alij, in Cælestinum I. Alij Gradualium, & Tractuum auctorem faciunt Gelasium I. Tractus verò, appellantur, quod sint versiculi, & ex immo pectore quædam veluti tractæ voces lugubres; nimirum canus quibusdam quasi gemitibus atque suspirijs, lugubri, & aspera voce decantati: non enim Tractus huiusmodi adhibentur præterquam temporibus luctus, & penitentia, ut in Septuagesima, & Quadragesima, & in sacro funebri, quod sit pro

mortuis; Inter Tractum porro, & Responsorium hoc interest, quod in Tractu non vnus incipit, & alij respondent, sed omnes simul cantant: in Responsorio autem, vno inchoante, Chorus respondet.

Nono queritur, De antiquitate lectionis Euangelicæ ad Missam adhiberi solitæ? Respondeo, eam esse per antiquam: quod Liturgiæ omnes testantur: Concilium quoque Laodicenum cap. 16. Carthaginense 4. can. 84. Valentinum. can. 2. Idem iudicat Epistola Anastasij ad Episcopos Germaniæ & Burgundiæ, vbi præcipit, ut omnes stantes Euangelium audiant, quam quidem cæremoniã non ipse primus instituit, sed confirmauit, aut obseruari iussit, vbi non seruabatur. Nam Clemens li. 2. conscribit. Apostol. cap. 61. testatur Apostolos constituisse, ut omnes, tum Clerici, tum Laici, assurgant, dum Euangelium legitur. Lectio Euangelio, Codicem Sacerdos exosculatur reueritus felicem, faustâ, bonam Dei annuntiationem. Mittitur verò in Missis publicis à Sacerdote Diaconus, sicut à Christo sunt Apostoli delegati ad Euangelium promulgandum. Desertor Crux tanquam signum Christi, cuius res gestæ, vita, & mors in Euangelio referuntur. Diaconum comitantur Acolyti cæteros accensos gestantes, qui Fidei calcæ diuinæ que lumē referunt. Lectio Euangelio, canitur Symbolum Fidei compositum à 2. Synodo Generali, quod Symbolum Synodus Toletana, singulis diebus Dominicis decantari iussit, ut in Missa fieret Fidei professio iuxta morem Orientalium. Vvalfridus lib. de reb. Eccl. cap. 22. scribit apud Germanos, & Gallos vsum Symboli ad Missas cantandi, tempore Caroli Magni porrius viguisse, contra Felicem Vrgelitanum Episcopum, qui tunc est hæresis condemnatus.

Decimo queritur, Vnde dictū sit Offertorium? Respondeo, cum Vvalfrido de reb. Eccl. cap. 22. Ruper. lib. 1. de diuin. offic. cap. 2. Amal. lib. 3. de Eccl. offic. cap. 19. Microlog. de Eccl. obseruant. cap. 10. Isidor. lib. Etymolog. 6. cap. 19. Innocent. lib. 2. de Myst. Missæ, cap. 53. Lectio Euangelio Subdiaconus Diacono, & Diaconus Sacerdoti, & Sacerdos Deo panem consecrandum offerebat: vnde factum est vt populus tunc temporis sua munuscula offerret, iuxta illud, quod habetur in cap. Omnis Christianus. De consecr. dist. 1. & Paralip. c. 26. dicitur David instituisse, vt Leuitæ, cum offerrentur holocausta, Laudes Domini cantarent, & clangerent tubis, cymbalis, & Psalterijs. Offertorij verò tempore quinque precesiones à Sacerdote funduntur, vide licet, suscipe Sancte Pater omnipotens æterne Deus; & offerimus tibi Domine; & Veni sanctificator; & In spiritu humilitatis; & Suscipe Sancta Trinitas. Micrologus ait huiusmodi preces iuxta ordinem Gallicanum in Missa recitari, sed secundum ordinem Romanum nullas esse precesiones institutas inter offertorium, & secretas: & Vvalfridus, Amalarus, Rupertus, Alcuinus, & Innocentius hæc quinque Orationum non meminerunt. Postea sequuntur Orationes, quæ vocantur secretæ, quæ tot numero recitantur, quot fuerunt Collectæ ante Lectionem Epistolæ.

Vndecimo queritur, cur dicta sit Prefatio Responsorio, eo quod sit præparatio quædam, & excitatio populi ad eã actionem, in qua propriè, ac principaliter sacrificium consistit; videlicet, ad con-

secratio.

secrationem, & oblationem corporis, & sanguinis Domini. Incipit verò Præfatio in illis verbis, & salutatione, Dominus vobiscum. Nam ea verba: *Per omnia secula seculorum*, signiuit solum Orationes, quas appellamus secretas; quæ quidam verba, licet Orationes ipsæ tacito quodam silentio fuerint recitatae, alta voce proferuntur, vt populus altans respondere possit, Amen, & priores Orationes confirmare, vt scribit Micrologus. Vfus Præfationum est antiquus, vt ex Clemente Romano, Cypriano, Chrysostomo, Basilio, Ambrosio, probat Durand. in *lib. de ritibus. Ecclesi. Cathol. 2. cap. 30.*

Porro Præfationes, nouem numero sunt, eaque antiquissimæ: nam Pelagius II. consultus ab Episcopis Germaniæ, quæ, & quot essent Præfationes authenticæ? Respondit, esse noue, videlicet præter communem, vt habetur in *ca. Inuenimus. De consecr. dist. 1.* Primam, de Natali Domini; Secundam, de Epiphaniâ, Tertiam, de Quadragesima; Quartam, de Cruce; Quintam, de Paschate; Sextam, de Ascensione; Septimam, de Pentecoste; Octauam, de Trinitate; Nonam, de Apostolis. Postea verò Urbanus II. in Concilio Placentino circa annum Domini 1080. Decimam Præfationem, quæ est de Beatissima Dei Genitrice, adiunxit, & referatur in *cap. Sanctorum dist. 70.* Extra has præfationes cæteras esse delendas, ait Hostiensis in *ca. consilium de celebr. Missar. 7.* voluit dicere, reliquas non esse iure communi approbatas.

Duodecimò quæritur, Canon Missæ, quante sit vetustatis? Respondeo, in primis Canonem ideo dictum, quod sit regula fixa, & stabilis in Missa à Sacerdote obseruanda. Gregorius meminit Canonis, scribit enim *lib. 7. Epistol. 63.* post Canonem recitari orationem Dominicam: Walfrid. de *reb. Ecclesi. cap. 22.* vocat Regulam Ecclesiasticam, qua omnes Sacerdotes vtuntur: Optatus verò *lib. 2. cap. 3. contra Parmenianum.* Mileuitanus appellat legitimum ordinem, qui in sacrificio offerendo obseruari debet, vocat Canonem Actionem Microlog. *lib. de Ecclesi. obseruanti. cap. 12.* Multa contra Canonem Missæ obijciunt Hæretici; sed ea nullius planè sunt ponderis, & momenti. Animaduertendum est, Canonem etiam dici Actionem: sed Canon vocatur, vt iam dixi tanquam regula, & formula in sacrificio vsu, & instituto Ecclesiæ seruanda: non quod sit omnino ad sacrificij substantiam, & rationem necessaria; nam etiam consecratio Domini verbis adhibitis, sine alijs Canonis verbis rata, & firma esset. Actio verò dicitur, quia in ea parte Missæ est actio, in qua potissimum sacrificium cõsistit, nimirum consecratio, & oblatio corporis, & sanguinis Christi, vnde etiam quædam pars Canonis dicitur, *Infra actionem*, quia recitatur intra eam actionem, ex qua propriè sacrificium constat. Itè, Canon continet Orationes, tres ante consecrationem, & totidem post. Ante Consecrationem fit mentio viuorum, pro quibus sacrificiũ offertur: mentio item Sanctorum cælestis patriæ ciuium fit, quorum patrocinij imploratur: post consecrationem fit mentio mortuorum, pro quibus sacrificium offerimus.

Porro quando institutus sit Canon, & quis eum instituerit, non omnino certo constat. In primis compertum, & exploratũ est, ante Gregorium I.

omni ferè ex parte fuisse completum: nam Alcuinus, Amalarius, & cæteri testantur, prædictum Pontificem addidisse verba illa: *Diesque nostros in tua pace disponas*, & ita Canonem fuisse perfectum. Et in eo libro, qui dicitur Ordo Romanus, quem citant Alcuinus, & Amalarius, non procul ab initio, totus Canon extat expressis verbis. Gregorius videtur asserere *lib. 7. epistol. 63.* Canonem esse compositum ab Scholastico: quis porro fuerit ille Scholasticus, compertum non est. Quidam aiunt Scholastici nomẽ fuisse proprium certi cuiusdam viri, qui eo tempore Canonem edidit. Alij putant esse commune nomẽ significans virum insigni doctrina, & eruditione, & eum fuisse Gelasium I. Scholasticum dictum, quod fuerit doctrina, & eruditiõ clarissimus. Passim apud Gregorium, Scholasticum sumi pro viro docto constat *lib. 1. epistol. 3.* Paulo Scholastico *lib. 3. epistol. 38.* Marcello Scholastico *lib. 10. epistol. 2. lib. 12. Epistol. 30.* Immo Scholasticus, aliquando idem est, qui aduocatus *lib. 2. c. de iuris aduoca. lib. 12.* aliquando idem est, qui Affessor: vt apud Gregor. *lib. 4. Epistol. 29.* Gregorius Seuero Scholastico Exarchi, hoc est Seuero Affessori Exarchi, Quisq; ille fuerit Scholasticus, certissimum est, quod Synodus Tridentina definit *sessione 22. cap. 4.* sacrum Canonem multis ante sæculis editum, & ita ab omni errore purum, vt nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem, ac pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat: is enim constat tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum pijs institutionibus. Hoc ideo dictum est, quoniam etũ vnus aliquis in certam formam Canonem redegerit, partem tamen ex Domini verbis, partem ex Apostolorum Traditionibus, partem ex Romanorum Pontificum institutionibus accepit. Etenim verba quibus panis, & vinum consecrantur, ipsius Domini sunt: Inuocatio Sanctorum Martyrum, & commemoratio Mortuorum, sunt Apostolorum traditiones: pleraque alia Romani Pontifices addiderunt. Obijciens, Gregorium dicentem *lib. 7. epistol. 63.* Apostolos ad solam Dominicam orationem Eucharistiam consecrare solitos, ergo nihil eorum, quæ continentur in Canone, Apostoli instituerunt. Respondeo, Apostolos primum solam precationem Dominicam ad Eucharistiæ consecrationem adhibere contuuisse; sed deinde alia quædam addidisse; nimirum quam retuli Inuocationem Sanctorum Martyrum, & Commemorationem mortuorum.

Decimotertiò quæritur, Quo pacto intelligatur id, qd in prima sacri Canonis precatione oratur Deum Sacerdos, primo pro Ecclesia; secundo pro Papa; tertio pro Antistite loci; quarto pro Imperatore vel Rege in quibusdam Ecclesijs; quinto vniuersim pro omnib; Orthodoxis; sexto speciatim pro ijs, pro quibus vult. Respondeo, in omnibus Liturgijs orare Sacerdotem pro Ecclesia. Deinde in Concilio Valensi sub Leone I. celebrato, Canone 6. statuitur, vt nomen Domini Papæ, quicumque Sedi Apostolicæ præfuerit, in omnibus Gallicanis Ecclesijs recitetur. Item, nomina Episcoporum ad altare recitabantur. S. Gregor. *lib. 4. Epistol. 37.* Concil. African. *cap. 48.* Concil.

Carthag. 4. cap. 84. & August. Epist. 110. Nomen verò Imperatoris, aut Regis ijs in locis, ac provincijs, quæ in eius imperio, & ditione sunt, vt ait Innocentius III. Illud verò, *pro omnibus Orthodoxis*, Micrologus scribit esse superfluum, nec haberi in libris correctioribus, habetur tamen apud Alcuinum, Innocentium, & ceteros: nec videtur abundare, non enim idem est orare pro Ecclesia vniuersa, quod pro omnibus Orthodoxis, quoniam hoc loco omnes Orthodoxi accipiuntur ceteri omnes à Papa, Episcopo loci, & Rege, vel Imperatore distincti: perinde, ac si diceretur: offerimus tibi in vniuersum pro omni Ecclesia, deinde verò speciatim pro Papa, pro Episcopo loci, vel Rege, vel Imperatore, & pro ceteris omnibus Orthodoxis.

Obijcies, saltem superuacanea videri illa, quæ subiunguntur verba: *aque fidei Catholicae, & Apostolicae cultoribus*: cum idem videantur esse orthodoxi, qui Catholice, & Apostolice fidei cultores. Respondeo in hunc modum: sicut in sacris literis crebræ inveniuntur repetitiones eorundem, aut Synonimorum verborum, ad animi affectum plenius, ac vehementius exprimendum, augendum, & amplificandum; sic etiam Ecclesia in suis precationibus eadem repetere, aut Synonima adhibere solet ob affectum animi expressius significandum.

Quærat aliquis, quàm apud dicatur ab Ecclesia: *que tibi offerimus Domine*. cum de pane ipso, & vino loquatur, nec enim panis, & vinum offeruntur, sed corpus, & sanguis Domini. Profecto, panem, & vinum, dicit Ecclesia offerre se tanquam materiam in corpus, & sanguinem Domini mutandam, & proinde tanquam materiam consecrandam. **QVÆRAT** insuper quispiam, quid significetur illis verbis; *Pro quibus tibi offerimus*, vel qui tibi offerunt pro redemptione animarum suarum. Respondeo, cum dicitur, *pro quibus offerimus*, intelligi illos, qui nihil ad hoc sacrificium contulerunt; nihilque de hoc sacrificio cogitarunt, ac proinde pro illis offertur sacrificium, non ipsi offerunt: nomine autem eorum, de quibus dicitur, qui tibi offerunt, accipere debemus ceteros, qui aliquid ad sacrificium attulerunt, videlicet, quia aut elemosynam erogarunt, aut sacrificio præsentibus adsunt, aut rem diuinam faciendam aliquo modo curarunt.

Caput XXXV.

De eadem re alia quæstiones breuiter diluuntur.

PRIMO quæritur, Quinam sit sensus eorum verborum Canonis: *Communicantes, & memoriam venerantes*. Alcuinus in cap. de celebr. Missæ. Innoc. lib. 2. de Missæ. cap. 9. Durand. in Ration. lib. 4. capit. 38. & alij, hæc verba referunt ad Communionem cum Sanctis, vt hæc sit sententia: offerimus hoc sacrificium communicantes Sanctorum memorijs, & eisdem venerantes. Micrologus refert hæc verba ad offerentes inter sese, perinde ac si diceretur, nos communicantes, id est, quadam Societate, & communionem coniuncti, & Sanctorum memoriam venerantes, & reliqua.

Secundò quæritur, Quo pacto dicatur: *vt ac-*

pta habeas, & benedicas, nam prius est rem sacri, & eam deinde acceptam, & gratam Deum habere. Respondeo, hæc verba dici de ipso pane, & vino, tanquam de materia statim consecranda. Ac proinde duo hic petit Ecclesia, primum, vt eam materiam acceptam, & gratam sibi Deus Pater habeat tanquam ad consecrationem aptam, & destinnatam, & deinde, vt benedicat, id est, eam sacrare dignetur, & conuertere in corpus, & sanguinem Christi filij sui Domini nostri. Panem, & vinum sacrificia appellat Ecclesia, quia sunt symbola, & signa veri sacrificij, & hostiæ, qui est Christus Dominus: sunt signa corporis, & sanguinis Domini.

Tertiò quæritur, Cur dicatur: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia*. cum tamen panis, & vinum non sint sacrificia, quæ Domino offeruntur. Cum item vna tantum sit victima, & sacrificium, cur Ecclesia dicit numero multitudinis, munera, dona, & sacrificia? Respondeo sensum horum verborum obscurum non esse. Panem, & vinum appellat Ecclesia dona, & munera, nimirum consecranda, & conuertenda in corpus, & sanguinem Domini. Vocat item sacrificia, (vt ad secundum respondeam) non quod sint res ipsa, quæ immolatur, sed quod panis, & vinum sint res, & materia, quæ per consecrationem mutatur in corpus, & sanguinem Christi Domini, qui est vera hostia, quæ in Missæ sacrificio offertur, quare vnus est sacrificium, vna victima, quæ est Christus Dominus, qui hostia incruente immolatur in Missa: At verò quia duo sunt symbola, & signa, videlicet, species panis, & vini; ideo Ecclesia numero multitudinis appellat mysteria, Sacramenta, & sacrificia, munera, & dona.

Quartò quæritur, Quomodo verum sit illud in eodem Missæ Canone contentum: *Hæc igitur oblationem seruatius nostræ*. Respondeo: oblationem appellari ab Ecclesia panem, & vinum, eo quod sint materia ad altare allata, consecranda, & conuertenda in corpus, & in sanguinem Domini. **QVÆRITUR** deinde, quid significant illa verba ibidem contenta: *benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere dignetur*. Videtur enim subobscura? Respondeo, petere à Deo Ecclesiam, vt eam oblationem consecrando, benedictam, hoc est, sacram ex profana reddat, & eam approbando faciat adscriptam, hoc est, inter dona, & munera, quæ sunt ipsi accepta, & grata, adscribat, & numeret: & confirmando ratam efficiat, id est, stabilem, & firmam, quæ nobis fructum certum, & perpetuum reddat. Rationabilem quoque faciat, hoc est, bonam, & rationi maxime consentaneam: & denique acceptabilem; videlicet, vt etiam ex parte ipsius ministri offerentis digna sit, quæ Deo accepta, & grata habeatur. Hæc verba sunt antiqua, nam apud Ambrosium in lib. 4. de Sacramen. cap. 5. habentur, & apud Augustinum, vt refert Gratianus in c. 1. 1. de consec. dist. 2. & S. Tho. 3. p. 4. q. 8. 4. ea etiam tribuit Augustino. Quamuis locus hic apud Augustinum nunc non extet, reperitur tamen, ac legitur apud Paschasium lib. de corpore, & sanguine Domini. cap. 12. ex quo videtur acceptus.

Quintò quæritur, Quo pacto illud ab Ecclesia dicatur: *Supra quæ propitius ac sereno vultu respiciere digneris*. videtur enim id in eodem, cum petere Ec-

clesia

eclesia videatur, vt Pater suo Filio sit propitijs. Peti etiam, vt Filium suū acceptum, & gratum habeat, sicut olim munera Abelis, & sacrificium Abrahæ Patriarchæ grata, & accepta habere dignatus est, quod non videtur satis apte, & commodè dici. Perit insuper Ecclesia vt iubeat Deus Pater *hæc referri per manus Sancti Angeli in sublime altare suū.* in quibus verbis tria subobscura: primum quia peti videatur, vt Christus Dominus manibus Sanctorum Angelorum deferatur in cælum. Secundo, quia videtur Sacerdos aliquod altare in cælo collocare. Tertio, quia postulat, vt deferatur in cælum, quod ipse statim est consumpturus. *Respondeo:* ex Scripturis constare, nos Angelorum patrocinio iuari, precesque nostras eorum ministerio, & opera ad Deum deferri: ergo verè, & aptè Ecclesia peti, vt Angeli nostrum sacrificium deferant in cælum: non quo intelligamus ab ipsis Christum deferendum in cælum; sed vt quod à nobis offertur, ipsi dignentur ad Deum deferre: res enim, quæ offertur, Christus Dominus est, ac proinde non indiget ministerio Angelorum, quo portetur, sed ex parte ipsius ministri, Sacerdotis nempe offerentis, petitur Angelorum ministerium, quod idem est, ac si diceretur: Fac, vt quod nos minus dignè offerimus, ipsi Angeli dignius offerant. Nec verò vllum in cælis altare corporeum, sed spirituale collocamus, cuiusmodi est ipsum cælum. Nam Ioannes Apocalyp. 6. ait vidisse se sub altare Dei animas interfectorum, propter verbum Dei, vbi per metaphoram, altare Dei appellat ipsum cælum: nam sicut Martyrum corpora in terra sub altari posita requiescunt, sic animæ eorum in cælo quiescunt. Sic etiam sicut in terra super altare preces, & sacrificia Deo offeruntur: sic in cælo Angeli Deo preces nostras offerunt.

Sexto queritur, quo modo oremus pro ijs, qui dormiunt in somno pacis: & tamen ipsi precamur locum refrigerij, lucis, & pacis? *Respondeo,* orare nos pro omnibus, quorum peccata pœnis purgatorijs expiantur, ac proinde etiam pro ijs, qui dormiunt in somno pacis: ij enim pacem, & quietem habent ex parte, quatenus pro certo, & comperto habent se æternam felicitatem aliquando consecuturos; quatenus itidè certò nouerunt se nunquam amplius peccaturos. Optamus verò illis locum refrigerij, lucis, & pacis; videlicet plenissimè, nimirum, vt debitis pœnarum perfolutis, ad sempiterna gaudia conuolent.

Septimo queritur, Cur in secunda Cómemoratione, vbi Sanctorum Martyrum mentio habetur, dicatur: *Ioannis, Stephani, Matthiæ, Barnabæ,* cur, inquam Ioannes iterum repetatur, cum fuerit in prima Cómemoratione inter Apostolos numeratus? *Quæritur* deinde cur Stephanus Diaconus Matthiæ, & Barnabæ Apostolis præponatur? cur item Matthiæ, cum fuerit duodecim Apostolorum numero adscriptus, fuerit in prima Cómemoratione prætermisus? Quidam Ioan-nem hoc loco intelligunt non Euangelistam, sed Baptistam, ac proinde Ioannem, aiunt, non bis commemorari. Alij Euangelistam accipiunt, & cum voluit repeti tanquam virginittatis palma cum Stephano coniunctum. Alij verò Marcum Euangelistam accipiunt, cui Ioannis nomen erat

etiam impositum, cum & Ioannes, & Marcus vocaretur, teste Luca. Probabilius ego senserim, hic Baptistam designari: non enim verisimile videtur, aut eundem Ioannem Euangelistam bis referri, aut Marcum hic nomine Ioannis intelligi, quippe cuius vtitatis nomen erat Marcus.

Obijcies id, quod præcedit: cum Sanctis Apostolis, & Martyribus tuis: ergo Ioannes Euangelista, non Baptistam debet intelligi. *Respondeo,* hic numerari quatuor, duos quidem Apostolos, & duos Martyres: Apostolos quidem, Matthiam, & Barnabam, Martyres verò Baptistam, & Stephanum, & ideo cum præcedentibus sequentia coherent, cum Sanctis Apostolis, & Martyribus tuis, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba. *ROGABIS SECUNDO,* cur Stephanus sit Matthiæ, & Barnabæ præpositus, nempe Diaconus Apostolis. Rursus cum prius dictum sit generatim, cum Sanctis Apostolis, & Martyribus tuis, vbi Apostoli Martyribus præferuntur, vt par est: cur deinde cum nominatim & speciatim referuntur, Apostolis Martyres anteponuntur? *Respondeo* in hunc modum, cum generatim recitentur, habet Ecclesia rationè dignitatis, potestatis, functionis, & officij: & quia Apostoli dignitate, & munere Martyribus præstant; ideo dictum est, cum Sanctis Apostolis, & Martyribus tuis. In eis verò nominatim recitandis, habita est ratio, nõ quidem muneris, potestatis, & dignitatis, sed obitus, & mortis. Et quia Baptistam primus omnium mortem obiit, primo loco memoratur, deinde Stephanus, qui ante Matthiam, & Barnabam morte occubuit, lapidibus obrutus à Iudæis.

Octaudo queritur, Quid significetur illis verbis: *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedixisti, & præstas nobis:* aut enim hæc dicuntur de corpore, & sanguine Domini, & vera non sunt, vt patet: aut de ipsis signis, panis nempe, & vini, quibus etiã non apte contentiunt, cum post consecrationem, hæc dona non amplius Domino offerantur. Quidam existimant, hæc verba olim ante consecrationem dici solita fuisse, deinde verò per errorem, post consecrationem fuisse posita. Sed reuera apud Alcuinum in cap. de celebrat. Missæ. Amalarij lib. 3. de Ecclesiast. offic. cap. 26. & cæteros rerum Ecclesiasticarum scriptores, post Consecrationem leguntur, nec aliquid absurdum continent, vt mox apparebit. Dicuntur enim de ipsa materia, ex qua factum est Sacrificium. Ac primò dicimus, per Christum hæc bona, signa videlicet panis, & vini, in quibus verè reipsa Christi corpus, & sanguis sunt, creari; quia cum cæteris quoque rebus sunt diuinitus procreata: deinde sanctificari, quia destinata sunt ad sacrificium offerendum: tertio, viuificari, quia verè in corpus, & sanguinem Domini sunt per consecrationem mutata: quarto, benedici, quia ex ipsa consecratione plenissimam bonorum copiam acceperunt: vltimò, præstari nobis; eo quòd consecrata sunt, vt sumamus, omnique bonorum vberitate cumulatisimè repleamur.

Nonò queritur, Quando primum recitari cœperit Oratio Dominica in Missæ officio? Innocent. lib. 5. de Mysler. Missæ. cap. 17. & quidam alij iuniores precationem Dominicam sentiunt intra sacrum Missæ Canonem contineri, ita vt ea sit ipsius Canonis finis. At Alcuinus lib. de rebus Eccles. in

cap. de celebra. Missæ, & Amalar. lib. 3. de Eccles. offic. cap. 20. ac ceteri Innocentio antiquiores tradunt eam post verba Canonis legi, idque fit mihi probabilius. Habetur autem hæc oratio in omnibus liturgijs: & ex Ambrosio. lib. 5. de Sacramen. ca. 4. Hieron. lib. 3. contra Pelagianos. August. serm. 28. de verb. Domini. & lib. 50. homiliarum hom. 42. Gregor. lib. 7. epist. 63. & Concilio Tolerano, 4. Can. 9. constat, eam in Missæ sacrificio esse recitandam. Quot verò petitionibus constet, & quid vnaqueque earum petitio contineat, diximus lib. 8. cap. ultimo, cum generatim de oratione tractauimus.

Decimò quæritur, Quid significetur illis verbis: *Hæc commixtio corporis, & sanguinis Domini*. videntur enim obscuritatem continere, nimirum signa tantum, & species panis, & vini cõmifcentur, non ipsum corpus, & sanguis Domini. Rursus nulla fit consecratio, cum iam facta fuerit. Respondeo horum verborum sensum esse, sicut corpus Domini dicitur tangi, ceri dicitur tangi, manibus sumi, in altari tolli, eo quòd de specie panis, in qua ipsum corpus est, hæc dicitur, sic corpus etiam Domini, & sanguis dicitur permisceri, cum signa, & species panis, & vini cõmifcentur. Fit autem per mixtio mysticè, id est, vt quiddam nobis sacrum significetur. Sunt enim corpus, & sanguis per se seorsum consecrata, ad mortem Christi in memoriã reuocandam, per quam effusus est sanguis ipfius. Cõmifcentur species panis, & vini, ad mysteriũ Dominicę resurrectionis designandũ, per quam iterum est sanguis corpori coniunctus. Consecratio verò non dicitur simpliciter fieri; sed, vt fiat nobis accipientibus salutaris, & fit nobis utilis ad æternam vitam, & gloriam consequendam.

Vndecimò quæritur, De antiquitate, qua sacra panis species frangitur, ac in partes diuiditur, antequam Sacerdos eam sumat. Dionysius Areopagita, in c. 3. de Eccles. Hierar. sanè, inquit, *operum panem, & indiuiduum aperit (Sacerdos) in frusta cõcidens*. Chrysostomus item hom. 14. in 1. ad Cor. *quare addit (Apostolus nempe) panem frangimus, Hoc in Eucharistia videre licet, in Cruce autem minime, sed omnino cõtra. Os enim eius non cõteretur, sed quod in Cruce passus non est, id in oblatione patitur: & propter te frangi permittit, vt omnes faciat*. Huius etiam diuisionis, & fractionis sacrę Hostiæ meminerunt Augustinus, Beda, Prosper, Haymo, Algerus, Guirmodus, Paschalis, quorum testimonia citat Durant. lib. 2. de ritib. Eccles. Cathol. c. 51. Et annotandum est, olim sacram Hostiam in tres partes diuidi solitam, quarum vna mittebatur in Calicem; alteram statim Sacerdos sumebat; tertia verò pars in altari vsq; ad Missæ finem referuabatur: qui ritus postea est in Ecclesia mutatus; neque enim tertia pars referuatur, ob pericula, quę oriri circa eam possent, piè, & religiosè deuitanda. S. Tho. 3. p. q. 83. ar. 5. ad S. Bonau. 4. dist. 12. ar. 1. q. 3. Gabr. super Canon. Missæ, lectio. 80.

Duodecimò quæritur, Quare pax omnibus nuntiatur à Sacerdote in Missæ sacrificio? Meminere, (vt hoc obiter prius dicam) huius cæremoniæ Dionysius Areopagita, Clemens, Chrysostomus, Augustinus, & Optatus Mileuitanus. Pax igitur nuntiatur à Sacerdote, quia Missæ sacrificium est panis mysterium ad reconciliandos Deo peccatores. Deinde est Sacramentum pacis, concordiæ, & charitatis, vt quotquot id sumunt, tanquam

Christi membra inter sese societate coniungantur, & in vnum veluti corpus coalescant.

Precationem verò illam, *Agnus Dei, institutam esse à Sergio I. ante Communionem*, testantur Alcuinus, Amalarius, Walfridus, Rupertus, Sigbertus, Micrologus, quos citat Durant. lib. 2. de ritibus Eccles. Cathol. cap. 41. num. 7. Olim porò ter à Populo, & Clero dicebatur, *Agnus Dei miserere nobis*; postea verò auctore Innocentio III. lib. 6. de Myste. Missæ, cap. 4. irruentibus varijs persecutionibus, & erroribus, cœpit vbique ferè, cum tertio dicitur, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, addi etiam illud, dona nobis pacem*. In sacrificijs tamen, quæ mortuis fiunt, & offeruntur, nec datur pacis osculum, quia iam è viuis exceleserunt, nec nobiscum amplius commorantur: nec dicitur, *miserere nobis*, sed, *dona eis requiem*. Deinde ante communionem, post verba, *Agnus Dei*, ter repetita, tres Orationes fundit Sacerdos, quæ vt scribit Micrologus ca. 17. ex vsu, & more Religionum recitantur.

Decimotertiò quæritur, Quare precationes, quæ ad finem Missæ dicuntur, vocentur, Postcommunio? Respondeo, id inde venisse, quia olim, postquam Sacerdos corpus Domini sumperat, Clerus, & populus sacram Communionem percipiebat, & deinde succedebat precatio, qua Deus pro omnibus Sacerdos orabat: vnde factum est, vt ea oratio dici cœperit Postcommunio. Processu deinde temporis populus, immo etiam Clerus à sacra sese cõmunionē abstinerebat: vnde quidam opinantur, loco sacrę communionis esse introductum panem, quem vocant benedicti vsum, qui in diebus Dominicis, & alijs solemnioribus festis dari ad finem Missæ populo solet. Ceterum, panis benedicti vsus antiquior est. Pius enim I. qui M. Antonini Veri temporibus floruit, sic constituit; vt de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationibus, quæ super sunt, vel ex panibus, quos deseruit fideles ad Ecclesiã, vel certè de suis Presbyter conuenienter partes incisas habeat in vase mundo, nitido, & commodo, vt post Missarum solemnias, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die dominico, & diebus festis inde accipiant. Nazianzenus in laudem patris sui oratione 19. se panes sacrare, & Cruce signare consueuisse, innuit his verbis: *cum castris panibusque in primis candidis pro meo more benedictis, & Cruce consignatis*. Extat etiam eiusdem panis benedicti mentio apud Augustinum, & Paulinum. Vnde in Concilio Florentino, quod primum Ferrariæ inchoatum est sub Eugenio Quarto, legimus, proxima Dominica quindecim Græcos Sacerdotes Imperatoris iussu, sacrum solemnem ritum fecisse, & Marchionem Ferrariensem cum suis ciuibus affuisse, & panem benedictam è manu Patriarchæ Constantinopolitani, more Græcorum, accepisse. Et apud Græcos teste Nicolao Cabasila, Sacerdos absoluto Missæ sacrificio, oblatum panem, ex quo sacrum panis abscedit, in multa diuisum frusta tradit fidelibus, vt qui sanctus fit, eo quòd tempore fuerit dicatus, & oblatus. Illi autem piè, & religiosè suscipiunt, & Sacerdotis dexteram osculantur. Olim porò hic panis in ipso sacrificio sacrari solebat, nunc verò eo absoluto, & perfecto, precationibus adhibitis de more sacratur.

Decimoquartò quæritur, An sacrum vulgari

lingua,

Quos citat
Durant li.
2. de ritib.
Eccles. Cathol.
ca. 51.

Citat, Dur.
ran lib. 2.
de ritibus
Eccles. Cathol.
ca. 51.

Duran. lib.
2. citat.

lingua, & Sermone recitari debeat? Hæretici contendunt id ita fieri oportere. At Synodus Tridentina *sess. 22. Canone 9.* contrarium sancit, his verbis: *Si quis dixerit, vulgari tantum lingua Missam celebrari debere, anathema sit.* De hac quæstione supra suo loco breuiter disputauit.

Decimoquinto quæritur, An vsus Missarum priuatarum e medio tolli, & abrogari debeat; Et an fuerit in Ecclesia peruetustus? Hanc quæstionem tractat Durant. *li. 2. de ritib. Eccl. Cathol. c. 4.* vbi testimonij S. Ambrosij, Augu. Chrysof. Nazian. Prosperij, Iustini, vsus priuatarum Missarum comprobatur. Hæretici contendunt, Missas priuatas, quæ scilicet absque populi conuentu celebrantur, vel in quibus nullus præter Sacerdotem, sacram communionem sumit, esse abolendas, quia olim Missæ non celebrabantur nisi cõueniente, & astante populo, & Sacram Eucharistiam sumente. At Synodus Tridentina *sess. 22. Canon. 8.* definit: *Si quis dixerit Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit, & idem decernit c. 6.* Aiuunt præterea Hæretici, Lutherani, & Caluiniani, ante Gregorium I. non fuisse in vsu Missas priuatas, sed tantum publicas. Certè quamuis olim Missæ publicæ colerentur, priuatae tamen erant etiam vsu receptæ, nec quipiam video esse, quod impediatur, quo minus Missæ priuatae celebrentur. Obijciunt nobis Canonem X. Apostolorum, & Canonem Anaclei in c. *Peraffa. De consecr. dist. 2.* vbi excommunicatione afficiuntur, qui ante discedunt à templo, quam sacrificium finiatur: & qui sacram Communionem non sumunt: item Canonem Sotheris in cap. *Hoc quoque. De consecr. dist. 1.* vbi habetur, illam esse legitimam Missam, in qua adsunt Sacerdos, respondens minister, offerentes astantes, & communicantes. Respondeo, hos Canones id decernere, quod tunc de more fiebat; at progressu temporis vsu abrogati fuerunt. Obijciunt deinde illa sacri Canonis verba: *Ut quotquot ex hac altaris participatione sumserint, & sacramenta, que sumpsimus, ergo in Missa plures debent adesse, & Sacram Cõmunionem percipere.* Respondeo, ea verba in Missa dici iuxta morem pristinum: nihilominus etiam nunc verè dicuntur, quia Sacerdos ea dicit publico Ecclesie nomine: sicut quando orationem Dominicam priuatim quisque recitat, dicit, *Pater noster; & Domine nobis debita nostra, sicut & nos dimissimus debitoribus nostris.*

Decimosexto quæritur, An vsus Ecclesie, quo in Missa quædam alta voce, alia tacitè, & silentio dicuntur, reprehendi merito queat? Hæretici, suo more, reprehendunt: sed eos damnat Synodus Tridentina *sess. 22. Canon. 9.* Christus Dominus nihil de hære constituit, sed liberum Ecclesie reliquit, ut quicquid vellet decerneret. Græci quidem licet quædam in silencio dicant, alia voce alta pronuncient, verba confectionis alte proferunt: sed Latina Ecclesia, & consecrationis verba, & multa item alia tacite pronunciat iustis de causis, ne videlicet ea ad omnium aures perferantur, & sæpius audita faciliè contemnantur, vulgus enim quæ sæpe repetita audit, despiciere consuevit.

FINIS LIBRI DECIMI.

IOANNIS AZORII LORCITANI, E SOCIETATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM,

LIBER XI

DE SECUNDO PRAECEPTO Decalogi, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

CAPVT PRIMVM.

Quidnam hoc Praecepto imperetur.

ILLVD primo loco quæritur, quidnam secundum in Decalogo Dei præceptum imperet, quid vetet? Respondeo, in hunc modum: quando lex aliquid fieri prohibet, in eo etiam simul continetur præceptio earum rerum, quas præstare quisque debet: Vnde cum hoc secundo præcepto, quod nomen Dei in vanum vsurpare vetat, coniuncta quoque est lex, quæ nomen Dei honorare, & per illud religiosè, & sanctè iurare præcipit. Prohibet igitur hoc præceptum, quo minus quis sacrosanctum Dei nomen contemnat, polluat, vanè vsurpet, quominus item per ipsum, aut falso, aut frustra, aut temerè iuret. Nam adeo omnia iureiurando affirmantur, aut negantur: adeo omnia imprecationibus, & execrationibus referta sunt, ut nemo ferè, vel vendat, vel emat, vel negocij aliquid gerat, qui non iusurandum interponat, Deique sanctissimum nomen millies, vel in re leuissima, & inani, temerè non ad testimonium adhibeat.

Secundo quæritur, Quid Dei Nomine in hoc præcepto intelligatur? Profectò, cum iubemur debitum diuino nomini honorem tribuere; non iubemur ipsius nominis literas, & syllabas, aut omnino per se nudum verbum tantummodo attendere, sed in eam cognitionem mentem, & animum conjicere, quidnam valeat, quid contineat, quid significet illa vox. Non igitur nomen Dei honoramus, & colimus propter ipsum vocis sonum, aut propter literas, & syllabas, quibus constat; sed propter immentam Dei maiestatem diuino nomine significatam. Deinde, hoc præceptum; quod nomen Dei imperat honorari, non de vno aliquo nomine, sed de omnibus, quæ Deo tribui solent, intelligendum est, multa enim Deo indita, ac posita sunt nomina, ut Domini, Omnipotentis, Altissimi seu Excelsi, Regis regum, & alia id genus, quæ in scripturis passim leguntur.

Tertio quæritur, Qua ratione diuinum nomen veneremur, & honoremus? Respondeo, nos colere, & venerari Dei nomen in primis, cum lauda-